P. Terenti Afri Comoediae

Terence, Karl Franz Otto Dziatzko

Dziatzko

P. TERENTI AFRI

COMOEDIAE

RECENSVIT

CAROLVS DZIATZKO

EDITIO STEREOTYPA

EX OFFICINA BERNHARDI TAUCHNITZ

LIPSIAE MDCCCLXXXIV

BERNHARD TAUCHNITZ.

GRIECHISCHE UND RÖMISCHE CLASSIKER

OCTAV-(SCHUL-)AUSGABEN, TASCHENAUSGABEN UND PRACHTAUSGABEN.

OCTOBER 1892.

ANDOCIDIS orationes. Ed. JUSTUS HERMANNUS LIPSIUS.
Octavausgabe. ℳ 1,20.
Prachtausgabe. ℳ 1,50.

ARISTOPHANIS comoediae. Ed. AUGUSTUS MEINEKE.
Octavausgabe. 2 Voll. ℳ 3,00.
Vol. 1. ℳ 1,50. — Vol. 2. ℳ 1,50.
Jede Comoedie einzeln ℳ 0,45.
Taschenausgabe. 2 Voll. ℳ 2,70.
Vol. 1. ℳ 1,20. — Vol. 2. ℳ 1,50.
Jede Comoedie einzeln ℳ 0,30.
Prachtausgabe. 2 Voll. ℳ 7,50.
Vol. 1. ℳ 3,75. — Vol. 2. ℳ 3,75.

DEMOSTHENIS orationes. Edidit IMM. BEKKER.
Octavausgabe. 3 Voll. ℳ 4.50.
Vol. 1. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 2. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 3. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Taschenausgabe. 3 Voll. ℳ 4,20.
Vol. 1. Pars 1. ℳ 0,60. Pars 2. ℳ 0,60.
Vol. 2. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Vol. 3. Pars 1. ℳ 0,75. Pars 2. ℳ 0,75.
Prachtausgabe. 3 Voll. ℳ 11,25.
Vol. 1. ℳ 3,75. — Vol. 2. ℳ 3,75.
Vol. 3. ℳ 3,75.

EURIPIDIS tragoediae. Ed. AUG. WITZSCHEL.
Octavausgabe. 3 Voll. ℳ 3,00.
Vol. 1. ℳ 1,00. — Vol. 2. ℳ 1,00.
Vol. 3. ℳ 1,00.
Jede Tragoedie einzeln ℳ 0,30.
Taschenausgabe. 3 Voll. ℳ 2,70.
Vol. 1. ℳ 0,90. — Vol. 2. ℳ 0,90.
Vol. 3. ℳ 0,90.
Jede Tragoedie einzeln ℳ 0,30.
Prachtausgabe. 3 Voll. ℳ 11,25.
Vol. 1. ℳ 3,75. — Vol. 2. ℳ 3,75.
Vol. 3. ℳ 3,75.

HERODOTI historiae. Ed. ABICHT
Octavausgabe. 2 Voll. ℳ 2.70.
Vol. 1. ℳ 1,35. — Vol. 2. ℳ 1,35.
Prachtausgabe. 2 Voll. ℳ 6,00.
Vol. 1. ℳ 3,00. — Vol. 2. ℳ 3,00.

HOMERI Ilias. Edidit BAEUMLEIN.
Octavausgabe. 2 Partes. ℳ 1,50.
Pars 1. ℳ 0,75. — Pars 2. ℳ 0,75.
Taschenausgabe. 2 Partes. ℳ 1,50.
Pars 1. ℳ 0,75. — Pars 2. ℳ 0,75.
Prachtausgabe. ℳ 5,25.

HOMERI Odyssea. Ed. BAEUMLE[IN]
Octavausgabe. 2 Partes. ℳ 1,5[0]
Pars 1. ℳ 0,75. — Pars 2. ℳ 0,75.
Taschenausgabe. 2 Partes. ℳ 1,[20]
Pars 1. ℳ 0,60. — Pars 2. ℳ 0,60.
Prachtausgabe. ℳ 3,75.

LUCIANI Samosatensis opera. E[d.] GUILELMUS DINDORF.
Octavausgabe. 3 Voll. ℳ 6.30.
Vol. 1. Pars 1. ℳ 1,05. Pars 2. ℳ 1,05.
Vol. 2. Pars 1. ℳ 1,05. Pars 2. ℳ 1,05.
Vol. 3. Pars 1. ℳ 1,05. Pars 2. ℳ 1,05.
Prachtausgabe. 3 Voll. ℳ 13,50
Vol. 1. ℳ 4,50. — Vol. 2. ℳ 4,50.
Vol. 3. ℳ 4,50.

LYSIAE orationes. Ed. ANTONII WESTERMANN.
Octavausgabe. ℳ 1.20.
Taschenausgabe. ℳ 0.90.
Prachtausgabe. ℳ 3,00.

PLATONIS opera. Ed. M. SCHAN[Z]
Octavausgabe.

No. 1.	Euthyphro, Apologia, Crito, Phaedo.	ℳ 0,6
No. 2.	Cratylus, Theaetetus.	ℳ 0,7
No. 5.	Symposion, Phaedrus.	ℳ 0,4
No. 6.	Alcibiades I. et II., Hipparchus, Amatores, Theages.	ℳ 0,4
No. 7.	Charmides, Laches, Lysis.	ℳ 0,4
No. 8.	Euthydemus, Protagoras.	ℳ 0,4
No. 9.	Gorgias, Meno.	ℳ 0,6
No. 10.	Hippias maior, Hippias minor, Io, Menexenus, Clitopho.	ℳ 0,4
No. 13.	Leges I - VI.	ℳ 0,7

Kritische Ausgabe.

Vol. 1.	Euthyphro, Apologia, Crito, Phaedo.	ℳ 6,0
Vol. 2.	Fasciculus I.: Cratylus.	ℳ 3,0
Vol. 2.	Fasciculus II.: Theaetetus.	ℳ 3,0
Vol. 3.	Fasciculus I.: Sophista.	ℳ 2,0
Vol. 5.	Fasciculus I.: Symposion.	ℳ 2,0
Vol. 5.	Fasciculus II.: Phaedrus	ℳ 2,0
Vol. 6.	Fasciculus I.: Alcibiades I. et II., Hipparchus, Amatores, Theages.	ℳ 3,0
Vol. 6.	Fasciculus II.: Charmides, Laches, Lysis.	ℳ 2,0
Vol. 7.	Euthydemus, Protagoras.	ℳ 4,5
Vol. 8.	Gorgias, Meno.	ℳ 5,0
Vol. 9.	Hippias maior, Hippias minor, Io, Menexenus, Clitopho.	ℳ 3,0
Vol. 12	Leges I—VI.	ℳ 6.

Fortsetzung auf der dritten Seite dieses Umschlages.

P. TERENTI AFRI

COMOEDIAE

RECENSVIT

CAROLVS DZIATZKO

EDITIO STEREOTYPA

EX OFFICINA BERNHARDI TAVCHNITZ
LIPSIAE MDCCCLXXXIV

GVSTAVO GROEBER

ARGENTORATENSI

AMICITIAE GRATIA

DE VITA AC SCRIPTIS

P. TERENTI AFRI

PRAEFATIO.

Quod saepe factum esse videmus, ut virorum ingenio atque scriptis insignium et ob ea maxime laudatorum vitae fortunaeque vicissitudines, quamdiu vivi essent, neglegerentur neque ullo modo memoriae traderentur, a posteritate tamen, cum homines illas curare inciperent, non iam vel ex caecae obscuritatis tenebris vel ex diversae famae rumorisque dubitationibus evolvi atque ad certae fidei confidentiam perduci possent, id in Terentio quoque poeta usu evenit. quamquam enim singulari fortunae gratia contigit, ut vita eius a *Suetonio* conscripta in initio commentarii, qui Aeli Donati nomen fert, nobis servaretur[1], nec non alia vel ex prologis didascaliisque ipsarum fabularum de vita Terenti erui possunt vel ab aliis auctoribus referuntur, maiora tamen quaeque fere non sunt eiusmodi, ut pro certo ac sine dubitatione affirmari queant.

Ac primum quidem de *anno* eius *natali* ambigitur. anno 594 u. c., i. e. 'post editas *sex* comoedias,' nondum plus viginti quinque annos eum natum fuisse Suetonius Nepote, Porcio, aliis, ut videtur, auctoribus memoriae tradit[2]: anno igitur 569 natus esse putandus sit. sed iam Fenestella (infra p. 3), fortasse vel antea Santra (v. Roth l. c.) eum natu maiorem fuisse contenderat. at neque hanc neque illam sententiam certis testibus, sed mera hominum doctorum inniti ratiocinatione H. Sauppe (Nachr. d. Gött. Ges. 1870 p. 111 sqq.) dilucide exposuit. priore enim illo anno natali posito Terentius, cum a. 588 Andriam primam fabulam in scaenam daret, nondum viginti annos habuisse potest; quod cum aliis de causis parum probabile est, tum vero quia poetae nostro adversarii, a quorum variis perpetuisque opprobriis se in prologis defendit, nimiam adulescentiam numquam profecto vitio dederunt (v. edit. meae Teubn. I p. 7): tantummodo ut '*nouom* poetam' '*ueteri* poetae' Luscio Lanuvino se opponit[3]. vel illud alicuius momenti est, si recte sentio, quod 'maliuolus uetus poeta' Terentium '*repente* ad studium se adplicasse musicum' dictitabat (Heaut. 23). neque enim qui adulescentiam modo ingressus comoediam scribere ausus est, 'repente' id facere iure dicatur, sed potius is qui praeteritis iam annis primae scribendi exercitationis ad tale studium certamenque delatus est. cum Sauppio igitur l. c. natalem Terenti annum, quippe quem ignorarent post eius aetatem homines docti, ex falsa computatione positum fixumque esse arbitramur; cum enim illum amicum *P. Scipionis Africani minoris* fuisse

1 Hanc antiquam vitae enarrationem, ne quid libello nostro deesse videretur, ipsis comoediis infra praemisimus.

2 C. L. Roth (Rh. Mus. XII 182 sqq.) et Ritschl (Vit. Ter. in Suet. ed. Reifferscheid. p. 512 sqq. = Opusc. phil. III 250 sqq.) cum optimo codice *uicesimum* (non cum recentioribus libris *tricesimum*) legendum esse evicerunt. quamquam fatendum est III *cesimum* (i. e. *tric.*) perfacile in *uicesimum* transire potuisse.

3 Heaut. 51 sq. Ambivius prologus vel cum despectu quodam *adversarios* Terenti ut '*adulescentulos*' denotat.

tota fere antiquitas praedicaret, item eodem utrumque anno natum esse statuerunt[4]. nec vero ideo *aequales* illos fuisse itemque Laelium negari potest, ut non ita multis annis ante Scipionem (circiter a. 564) Terentium natum esse conicere liceat.

Carthagine eum natum esse apud Suetonium legimus; inde Romam eum in servitutem Terenti Lucani senatoris venisse. nec tamen eum bello captum esse potuisse 'inter finem secundi Punici belli et initium tertii' iam Fenestella recte monuit (Vit. Ter.); magis de altero dubitandum est, quod idem dicit illum vel si a Numidis aut Gaetulis (ex Carthaginiensium finibus) captus esset, non potuisse ad dominum Romanum pervenire 'nullo commercio inter Italicos et Afros nisi post deletam Carthaginem coepto' (v. Bergk in Phil. XVI 628). aliam dubitationem Aem. Baehrens movit (N. Jahrb. f. Ph. 1881 p. 401 sq.) *Afri* cognomine aliam atque Carthaginem patriam Terenti significari dicens; numquam enim Carthaginienses illo nomine appellari solere[5]. quod cum recte monuerit — neque enim Poenulo cognomen poetae est —, Afer natione fuisse videtur, ab uno Afrorum illorum oriundus, qui permulti sine dubio Carthagine in servitio vivebant. inde puerulus perpaucorum annorum[6] commercio seu dono ad Terentium senatorem Romam perductus est.

A Terentio Lucano 'ob ingenium et corporis formam[7] liberaliter educatus et mature manu missus est' (Vit. Ter.). cum iam in eius domo, ut opinari licet, cum filiis nobilium virorum amice agere coepisset, libertus postea ob easdem virtutes, quibus libertatem debebat, familiari consuetudine nobilissimorum et clarissimorum, qui tum Romae vigebant, hominum utebatur: inter amicos Scipionis Africani minoris, C. Laeli, Furi Phili adulescentium, vel C. Sulpici Galli, Q. Fabi Labeonis, M. Popilli virorum provectioris aetatis Terentius numerabatur; nam patriciorum genere illud temporis plurimi erant ei, qui cum ad rem publicam tenendam aptissimi essent, tum artibus litterisque maxime faverent. ut taceam de rumore, quo vel corporis consuetudine cum adulescentibus illis nobilibus coniunctus esse dicebatur, cui iam Fenestella sano usus argumento oblocutus est (Vit. Ter.), pervulgata quidem antiquitatis fama erat, cuius ipse poeta in Adelphon prologo (v. 15—21) mentionem facit[8], ab amicis illis nobilibus eum in scribendo adiutum esse. quam famam quod leviter tantum refutare videtur, iam Suetonius recte observavit ideo fieri, quia poeta eam amicis non ingratam esse sentiret. Terentium sane in Terenti fabulis agnoscere nemo nimirum dubitabit, quamquam ei consuetudinem elegantium et omni modo liberaliter eruditorum hominum in arte quoque factitanda perutilem fuisse nec defuisse ei, si ex usu essent, illorum consilia non minus concedendum est. sermonem quidem eius non minus ex eo dicendi genere, quo Romani nobiles tum usi esse nobis putandi sunt, quam ex veterum poetarum imitatione conformatum esse constat. ab aliorum poetarum vel litteratorum hominum, qui tum

4 Scipionem anno 569, qui Terentio tribuitur, revera natum esse ex certis veterum testimoniis constat (v. Roth l. c. p. 183 et Sauppe l. c. p. 115).

5 Graece Afri Λίβυες sunt, diversi illi, ut Niese amicus me docuit, et a Carthaginiensibus et a Numidis.

6 Vid. Bergk l. c. p. 628 sq. et Engelbrecht, Stud. Ter. p. 5.

7 'Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco' (Vit. Ter.). imaginibus Terenti vel in codice Vaticano pingendo vel in nummo quodam qui dicitur contorniato statuariave arte redditis parvam aut nullam fidem habendam esse J. J. Bernoulli (Röm. Iconogr. I 66—70) demonstravit, idem tamen addens posse imaginem illius codicis ad Varronis hebdomadas referri. fugit eum tres alios codices praeter Vaticanum eodem modo Terenti imagine ornatos esse, Parisinum, Basilicanum, Ambrosianum (v. Umpf. ed. Ter. p. XXV, XXIX, XXXI).

8 Cf. ed. m. Teubn. I p. 8.

musicae artis quendam dominatum usurpabant, amicitia vel, si quod erat, sodalicio satis remotus fuit. ita enim et quod Caecilio poetae, cum primam fabulam Andriam daret, ignotus erat et quod adversarii opprobrio dabant (Heaut. 23) '*repente* ad studium hunc se adplicasse musicum', satis explicatur atque aperta illa invidia inimicitiaque, qua ceteri poetae eum insequebantur. quae maledicta ipsa ad artis quandam normam regulamque, quam Terenti fabulae neglegere dicebantur, plurimum spectant.

Temporis sui et suo ipse studio ductus ad *palliatam* comoediam conversus est. quae cum inde a Livi Andronici primo conatu (a. 514) continuata serie clarissimorum poetarum, ex quibus Naevium Plautum Ennium Caecilium nominatim memoramus, tractata esset et iam ad occasum vergere inciperet, per Terentium agmen illorum quasi claudentem postremum laetissime effloruit. *Menandri* maxime inter Graecorum novae comoediae poetas vestigia sequi fabulasque in latinum sermonem convertere sibi proposuit. atque *prima Andria* erat, quam a Menandro conversam a. 588 ludis Megalensibus in scaenam dedit: aediles quidem, ut Suetonius narrat, poetae etiamtum obscuri fabulam accipere dubitarunt eamque ante Caecilio recitari voluerunt; quod cum fieret, magna ille oblectatione et admiratione affectus est[9]. sequebantur *Andriam*, si temporis ordinem servamus, hae fabulae a Terentio perscriptae et in scaenam datae:

II. *Hecyra* (non acta) a. 589 ludis Megalensibus;
III. *Heauton timorumenos*[10] a. 591 ludis Megalensibus;
IV. *Eunuchus* a. 593 ludis Megalensibus;
V. *Phormio* a. 593 ludis Romanis; *Hecyra* (relata, sed non peracta) a. 594 ludis funeralibus L. Aemili Paulli;
VI. *Adelphoe*[11] a. 594 eisdem ludis; *Hecyra* (tertio relata et peracta) a. 594 ludis Romanis.

Andriam praeterea ab ipso poeta relatam esse a quibusdam ex prologo comoediae colligitur; quod parum considerate fieri compluries comprobare studui (v. quae ed. m. Teubn. I p. 10 congessi et quae contulerunt O. Brugman l. c. p. 417 et Rich. Meister in Zeitschr. f. d. Gymn. 1876 p. 560). magis incerta stat sententia de duplici Adelphon actione, quam ex prologi potissimum verbis et ex Donati praefatione W. Wilmanns (De didasc. Ter. p. 49 sqq.) eruere sibi videbatur; cui sententiae alii assensi

---

9 De anno quo Caecilius mortuus sit, v. Ritschl ad Vit. Ter. p. 497 sq. et ed. m. Teubn. I p. 10. — O. Brugman (N. Jahrb. f. Phil. 1876 p. 416) ex Andr. prol. 18, ubi Caecilius non una cum Naevio Plauto Ennio inter 'auctores' poetae contaminantis fabulas nominetur, illum etiamtum *inter vivos* fuisse conicit; sed cum prorsus nesciamus, quam Caecilius, qui 'in argumentis palmam poposcit,' in illa re rationem secutus sit, cavendum est ne ei argumento nimium tribuamus.

10 Numerorum causa Bentley ad Heaut. prol. 6 adnotavit *Hauton. tim.* v. 5 pronuntiandum esse (at cf. e. c. Heaut. 856). dehinc Ritschl primus, quod sciam, scripsit quoque (Parerg. p. 381) nomen breviata pronominis forma eumque multi viri docti secuti sunt. ego cum prius idem fecissem, postea (Rh. Mus. XXVII 159 sqq.) mihi persuasi distinguendum esse inter pronuntiationem vocis, quae aliis locis alia esse potest, et scripturam *tituli* (cf. Fleckeisen in N. Jahrb. f. Phil. 1870 p. 72 sqq.): titulus autem quin pleniorem formam ubique in codicibus praebeat, dubitari nequit. praeter eos titulos, quos similes l. c. attuli, Caecili Ex hautu hestos (cf. W. Wagner in ed. Haut. p. 26) et Dexicratis '*Υφ' ἑαυτῶν πλανώμενοι*' fabulae memorandae erant.

11 Pet. Langen (Phil. Rdsch. 1881 p. 1122) terminationem *Adelphoe* aeque ac *Menandru* soli didascaliarum auctori nos debere autumat, Terentium ipsum 'Adelphi' potius dixisse. qua in re virum doctum errare puto. cum enim palliatas comoedias Terenti aetate poetae ex graecarum, quas converterant, titulis nominare solerent, ita ut *Adelphos*, non *Fratres*, *Hecyram*, non *Socrum* dicerent, terminatio graeci vocabuli non minus quam nomen ipsum transsumpta est. quod ita esse luculenter demonstrant Heaut. 5 *Heauton timorumenon* et Phor. 25 *Epidicazomenon*. alia est ratio eorum nominum, quae (ut *Eunuchus*) mutata terminatione iam quasi recepta erant in linguam latinam; talia enim cum graeca esse satis pateret, non retro in graecas formas transmutari consentaneum erat.

sunt — inter eos Herm. Schindler (Observ. crit. p. 29—38) novo quodam allato indicio —, alii oblocuti. sed cum certis argumentis vel testimoniis sententia eorum, qui Adelphos comoediam iam ante annum 594 semel a Terentio actam esse arbitrarentur, nondum confirmata sit, in tradita didascaliae memoria nobis acquiescendum esse duco[12]. plures autem quam sex illas Terenti comoedias neque antiquitas noverat neque ipse, quamdiu Romae erat, in scaenam dedit. quattuor earum a Menandro translatas esse constat; reliquas duas, Hecyram et Phormionem, ab Apollodoro Carystio convertit. omnes Hecyra excepta populo vel prima actione satis placuerunt; quin etiam Eunuchus fabula tanto successu data est, ut aediles eisdem ludis eam iterum darent et poetae octo milia nummum darent, quantum pretium nulla antea cuiusquam comoedia meruerat (Vit. Ter.). Hecyra vero, postquam bis frustra in scaenam delata est, tertio tandem populo probatur.

Anno 594, paulo post peractam Hecyram, ut arbitrari licet[13], in Graeciam profectus est, ut mores institutaque Graecorum, in quibus exprimendis tota quasi continetur nova comoedia, melius cognosceret perciperetque. a Porcio (Vit. Ter.) in terram ultimam Graeciae se contulisse refertur; et cum Volcacius (ap. Suet.) eum Roma in *Asiam* iter fecisse dicat, non est veri dissimile primo eum aliquam graecarum urbium Asiae minoris adiisse; hae enim apte et 'in Graeciae terra ultima' et 'in Asia' sitae esse putabantur[14]. ad inopiam redactum re familiari misere neglecta atque indignabundum eum a nobilibus amicis Roma discessisse eiusdem Porci versus (Vit. Ter.) indicant; cui vel id repugnare videtur, quod eodem anno, quo in Graeciam abiit, ludis funebribus Aemili Paulli, quos Scipio una cum fratre dedit, duas Terenti fabulas actas esse scimus. iam insequenti anno (595 u. c.)[15] Romam rediens mortuus est vel naufragio prope Leucadiam insulam facto vel in Arcadia Stymphali oppido; ibi enim nuntio allato sarcinas, quas navi praemisisset, in mari interiisse, gravi morbo affectus e vita decessisse dicitur. fabulae sane quas novas e graeca lingua converterat, naufragio una perierunt[16]. — Romae 'reliquit filiam, quae post equiti romano nupsit; item hortulos viginti iugerum via Appia ad Martis' (Vit. Ter.). unde parvam quidem, sed non nullam fuisse ei rem familiarem pernoscimus.

Terenti fabulas poeta vivo non minus amicis eius nobilibus atque toto populo probatas et magna laude elatas, quam a paucis quibusdam adversariis, quos e numero invidorum poetarum vel eorum asseclas fuisse nobis putandum est, maxime autem a Luscio Lanuvino, qui ipse poeta palliatarum erat, graviter vituperatas et continuis obtrectationibus vexatas esse iam supra breviter indicavimus. vel contaminatas eas esse, i. e. singulas latinas ex compluribus graecis consutas miscendoque corruptas[17], vel non iam novas, sed aliunde sur-

12 Omnem didascaliarum Terentianarum rationem, ex quibus maxime cognitio nostra pendet temporum, quibus singulae fabulae actae et conscriptae sint, in Rh. Mus. XX 570—598 et XXI 64—92 exposui.

13 Sunt qui cum H. Schindlero (l. c. p. 51 sq.) putent poetam initio a. 594 ante secundam Hecyrae actionem Romam reliquisse; utrumque prologum eius comoediae non a Terentio, quod de posteriore prologo iam Guyetus suspicatus erat, sed ab Ambivio, domino gregis, scriptum esse, Adelphon autem prologum ad priorem aliquam actionem pertinere.

14 Graeciae summatim graecas colonias Asiae minoris attribui ex Nep. Milt. III 3 apparet. hanc interpretationem si accipias, non opus sit cum Frid. Leone (Quaest. Aristoph. thes. X) apud Volcacium *in Achaiam* pro *in Asiam* scribere.

15 Errore, ut videtur, Hieronymus (Euseb. chron. II 127 ed. Schoene) mortem ad olymp. CLV 3 (596 u. c.) refert.

16 De numero earum v. infra adn. ad Vit. Ter.

17 De contaminandi verbi notione inter alia videas quae ed. Teubn. II 7 sq. adnotavi.

reptas variato clamore ei vitio dabant. ab initio enim latini poetae inde a Livio Andronico, cum graecas fabulas latine verterent, id potissimum agebant, ut eas quam maxime auribus et sensibus populi romani adaequarent, subtilem componendi artem vel mores personarum diligenter et aequabiliter per totam fabulam descriptos minus curantes quam eas virtutes, quae rudium et illiteratorum hominum animos allicere et captare possent, actionis varietatem et alacritatem, incitatos multisque et petulantibus iocis intermixtos sermones. sensim vero et paullatim iudicio hominum aliquantulum expolito et exculto neglectas illas antea virtutes magni aestimare coeperunt imprimisque homines docti et qui in litteris principatum quendam sibi arrogabant, flagitare insistebant, ut latinae comoediae graecis quam maxime similes evaderent. hinc vero graeci coloris nimio studio occaecati eo obscurae diligentiae (Andr. 21) progressi sunt, ut quamque graecam comoediam plane integram vertendam esse neque ullam alius comoediae scaenam, quamvis aptam et venustatis plenam, addi licere statuerent[18]. Terentius vero etsi in ceteris rebus graeca exempla sat presse reddebat, contaminando tamen, ubicunque ex re esse rebatur, non abstinuit, veterum potius poetarum, quam aemulorum auctoritatem secutus: et Andria et Adelphoe et Eunuchus contaminatione confectae sunt. deinde vero critici illius aetatis prorsus novas nec iam ab aliis tractatas esse debere fabulas vel totas vel partes earum dictitabant; quibus dictis Terentius vel revera fabulam suam novam esse (Ad. 6 sqq.) vel se nescivisse respondet alium poetam eadem iam fabula usum esse (Eun. 19 sqq.), simul ostendens (ib. 27. 35 sqq.) nihil peccati in eo inesse sibi videri, quod eaedem graecae fabulae aut partes earum a diversis latinis poetis tractentur. si praeterea (Phor. 5) adversarii ei obtrectabant 'fabulas tenui esse oratione et scriptura leui,' id tetigerunt, quod — aliis verbis dictum atque minus maligne — posteri quoque minus laudandum in Terentio esse censebant. sedatis enim motibus et reiecta graviorum affectuum concitatione, leni plerumque et aequabili flumine sermo eius labitur, ita ut Varro (Gell. VI 14, 6) eum ut exemplar probabilis mediocritatis afferat: ἤθεσιν, non πάθεσιν excellebat. cum ne comica quidem vis, quae dicitur, in eo singularis esset et graeca exempla nimis anxie premere videretur, a Volcacio Sedigito in canone decem poetarum palliatae comoediae sextus tantum locus ei tribuitur; at valde laudatur a Cicerone et Caesare propter elegantiam ac puritatem sermonis[19], atque Horatius omnes eius virtutes uno verbo comprehendens ait Terentium *arte* vincere dici.

Novae editionis parandae fundamentum et debet et potest esse apparatus criticus, quem *Franc. Umpfenbach* in editione Terenti (Berolini 1870) magna cum industria vel sua ipsius vel amicorum con-

18 Nimium hoc et a rudimentis palliatae comoediae gradatim accrescens studium graecas fabulas quam maxime integras latine reddendi primam gravissimamque causam celeris ac paene praecipitis interitus eius poesis generis fuisse puto. nam cum proprii ingenii additamentis novisque incrementorum elementis illi in dies magis quasi dedita opera certoque consilio abstinerent, fieri non potuit, quin totum genus cito aresceret et in se, ut ita dicam, collaberetur. Similiter de ea re G. Boissier (Mél. Graux p. 79—86 '*Les prologues de Térence*') disputavit duo genera spectatorum Romanorum fuisse exponens, litteratorum et a litteris studiisque graecis prorsus abhorrentium.

19 De proprietate Terentiani sermonis deque veterum in ea re testimoniis v. Engelbrecht, Stud. Ter. p. 7 sqq. De indole moribusque poetae et de eius scriptis subtiliter Bergk in Phil. XVI 629 sq. iudicat.

gessit. ibi et antiquissimi Bembini codicis[1] (saec. IV vel V) et ceterorum, quotquot tunc antiquissimi ac dignissimi habebantur et adiri poterant (saeculis IX—XII tribuuntur), lectiones uno obtutu perlustrare licet; praeterea ex scholiis cod. Bembini[2], ex antiquorum commentorum collectione, quae sub Aeli Donati nomine nostram aetatem tulit, ex Eugraphii commento (si quis eius usus est), quaecunque ad artem criticam factitandam adhiberi posse videbantur, nec non veterum scriptorum testimonia collecta propositaque sunt.

Ac primum quidem, quod ad *libros manuscriptos* attinet[3], *Umpfenbach* ipse (Philol. XXXII 442—446 et 460—477) de priorum quorundam editorum, *Lindenbruchii*, *Lengii* (Ter. ed. Cantabrigiae 1701), *Bentleii*, subsidiis criticis deque ratione, quae inter ea et sua ipsius intercedat, fusius exponit. de novo codice Parisino (n. 7903 a. saec. X), qui classi δ assignandus est, *Aug. Fritsch* (ibid. p. 446—460) refert, de fragmento Lugdunensi Gallorum (bibl. urb. cod. 1190 saec. VIII), quod ad cod. γ (ut accuratius dicam, cod. C et P) pertinet, *W. Foerster* (Zeitschr. f. oest. Gym. 1875 p. 188 sq.)[4], de Lipsiensi (bibl. urb. Rep. I. 37 in 4to; saec. X) *O. Brugman* (N. Jahrb. f. Phil. 1876 p. 420), qui ordini δ eum recte tribuit. hunc Lipsiensem (*L* littera notetur) ut Vratislaviae in usum huius editionis conferre mihi liceret, liberalitate eorum, qui Lipsiae res urbanas procurant, atque bibliothecae antistitis contigit: excerptas tantum eius lectiones, prout desiderat natura editionis meae, afferam[5]. — *Donati* commentariorum optimum codicem Parisinum (A = bibl. nat. Lat. 7920), quem Andriae tantum et Adelphon partis commenta continere dolemus, atque Oxoniensem (bibl. Bodl. Canon. Lat. Auct. Class. 95 = 0)[6] ipse totos, aliorum partes saltem excussi. Umpfenbachio minus accuratam codicis A collationem suppetivisse in ed. Teub. I 99 monuimus; praeterea num ullius pretii vulgata lemmata sint Donati, in quibus ille afferendis inutilem sumpsit diligentiam, perdubium mihi esse videtur. ipsi textui eum, codicum maximeque Bembini scripturae vel contra rationis probabilitatem nimis addictum, minus consuluisse satis constat.

Bembinus quantum antiquitate,

---

1 Sparsa paucorum locorum eius codicis cognitio ipsi *Petro Bembo* debetur; largam ut ex aliis vetustis libris manuscriptis, ita ex Bembino *Gabr. Faernus* (ed. Ter. Florentiae 1565 et 1572) materiam praebuit, quam integram Bentley editionibus suis inseruit. — Unam paginam Bembini (Phor. prol. 18—34) Zangemeister in Ex. cod. lat. tab. VIII heliographico ectypo exprimendam curavit, aliam paginam (Ad. 755 ad inscr. V sc. 2) The Palaeogr. Soc. pl. 135.

2 Praeter editionem principem horum scholiorum parum sufficientem, quam *Umpfenbach* (Herm. II 337—402) publici iuris fecit, comparanda sunt quae *Studemund* (N. Jahrb. f. Ph. 1868 p. 546—571 et a. 1882 p. 51—63) corrigendo et addendo attulit.

3 Quotquot singulae lectiones eorum codicum, quibus Umpfenbachiana editio nititur, mihi memorandae erunt, ex hac ipsa editione desumptae erunt, et eisdem ego atque ille siglis utar: *A* est Bembinus; *D* Victorianus, *G* Decurtatus, *E* Riccardianus, *V* fragmentum Vindobonense; *C* Vaticanus, *F* Ambrosianus, *P* Parisinus (bibl. nat. n. 7899, non 7859, ut apud Umpf. p. XXIV legitur), *B* Basilicanus. concentum omnium codicum littera ω notabimus, omnium praeter Bembinum nota ς, codicum *DG*, quibus saepe *E*, *L* (cum *V*) accedunt, δ; reliquorum autem littera γ. — De codice P et Bentleii libris manuscriptis vid. praeterea Warren in Am. Jour. of phil. III 59 sqq.; una pagina huius codicis (Andr. 20—34) a Palaeogr. Soc. pl. 36 heliographice exhibita est.

4 *Rud. Peiper*, vir doctissimus, collationem huius fragmenti, quod ipse quidem saeculi IX vel X esse aestimavit, a. 1877 confectam humanissime dono mihi permisit.

5 Hic moneo magnam in eo lacunam esse ab Andr. v. 74 ad v. 376. ceterum cf. quae de eo in Rh. Mus. XXXIX 339 sqq. disputavi; addas autem quae ad And. 51. 607. 767. 962. Eun. 591. 898. Phor. 500. Ad. 82 infra adnotavi.

6 Cf. Dziatzko in N. Jahrb. f. Phil. Suppl.-Bd. X 675 sqq. — Editionum Donati praeter veterrimas, quarum ratio ac condicio nondum satis perlustrata est — *principi* quidem editioni (Romae 1472) non plus fidei deberi quam cuipiam noviciorum codici puto —, *Rob. Stephani* (Parisiis 1529 vel 1536), *Lindenbruchii* (Parisiis 1602 vel Francofurti 1623), *Westerhovii* (Hagae Com. 1726) potissimum adhibendae sunt.

tantum auctoritate ceteris codicibus, qui omnes *Calliopii* recensionem subscriptionibus testantur[7], praestat. quae fides in emendandis Terenti comoediis codicibus nostris universe habenda sit quaeque duobus illis generibus, Ritschl (Op. phil. III 284 sqq.) subtiliter exponit, in eo tamen errans, quod p. 293 Bembini familiae satis confidenter Victorianum, dubitanter Decurtatum adiunxit, qui et ipsi ex Calliopii recensione prodierunt. solum Bembinum a ceterorum multitudine, cui Donatus quoque adnumerandus erat, didascaliarum tantum ratione habita vel ante Umpfenbachium seiunximus (Rh. Mus. XXI 88). Calliopianam enim recensionem, si cum Bembini fortuita magis ac ratione egente, sed satis sincera et incorrupta scriptura compares, ipsam quoque ex perantiquo bonoque atque adeo pleniore fonte fluxisse, sed hominis non indocti consideratas quidem, sed pro manco aetatis intellectu saepe perversas et satis licenter grassantes operas perpessam esse explanavimus. idem fere *Conr. Sydow* (De fide libr. Terent. ex Call. rec. duct. Berolini 1878) ex ipsarum fabularum memoria diligenti dissertatione evicit: multis et correctionibus (maximeque metricis) et cuiusvis generis additamentis libros Calliopianos refertos esse, attamen ita, ut bonae scripturae memoria haud raro a censore intacta relinqueretur; praeterea Bembinum correctionibus et additamentis non prorsus liberum esse nec non neglegenter scriptum multos scribendi errores exhibere ad corrigendum modo faciliores modo difficiliores (Sydow p. 65 sq.). a quo in eo tantum dissentio, quod licentiam Calliopianae recensionis non satis severe perstrinxisse videtur, ita ut integritati Bembini codicis, cui ex familia δ nonnumquam aliquid adiumenti accedit, etiam plus quam ille tribuam[8]. quamquam fatendum est codicum, quos Calliopianae recensionis nomine complectimur, nondum omnes, qui extent bonae frugis, nos vel cognitos vel exhaustos habere; quod si factum erit, sperandum est vel maiorem illi fidem gratiamque haberi posse.

Duos codices inter Calliopianos, D et G, singularis cuiusdam et a ceteris diversi pretii esse cum iam Ritschl perspexisset (v. supra), eosdem Umpf. p. I sq. itemque alios minoris auctoritatis a ceteris disiunxit ex Donato arbitratus ibi Calliopii recensionem constanter correctam esse. qua in re sententiam prorsus eum fefellisse *Herm. Schindler* (Observ. crit. et hist. in Ter.) capite primo (De Arusiani Messii testimoniis Terent.) idoneis argumentis comprobavit; ipse vero rationem, quae inter duos illos ordines Calliopianorum codicum intercedat, hanc potius esse autumat (p. 24): librarius, qui archetypum Victoriani scripsit, praeter codices *tertiae* cuiusdam familiae etiam codice aliquo recensionis Calliopianae usus est, qui nonnulla scholia ex Donati commento descripta in margine exhibuit; cuius codicis lectionum haud parvum numerum in textum recepit, quo etiam perpauca scholia irrepserunt. multo aliter *Frid. Leo* de ea re iudicavit: cum iam dissertationis suae inauguralis (Quaest. Aristoph. 1873) thesi IX contendisset inter libros Terentianos integriora extare Calliop. rec. exemplaria Victorianum et Decurtatum,

7 Nihil constat nec de persona nec de aetate Calliopii. *Konr. Braun* (Quaest. Ter. 1877) p. 21 exeunte eum tertio saeculo vel ineunte quarto Terentium recensuisse censet, *Frid. Leo* (Rh. Mus. XXXVIII 321 al.) tertio saeculo eum, quippe cuius recensione iam Donatus usus sit, assignat.

8 Ut unum saltem exemplum afferam, Phor. 1028 A L^1 (et D^1?) exhibent *Faxo tali sit mactatus atque hic est infortunio.* quod recte se habere arbitror, cum *hic* vocula natura brevis sit (v. Andr. 787; Ph. 266. 992 et ex Plauto praeter alios locos Pers. 544 *hĭc est* (in fine senarii), *est* autem antecedente brevi monosyllaba corripiatur. hanc rationem cum censor non perspiceret, pro arbitratu scripsit *F. t. eum mactátum atque hic e. i.*, eumque editores perperam secuti sunt. — Haec cum iam scripsissem, postea demum Aug. Luchsium (Comm. pros. Plaut. I a. 1883) de mensura pronominis *hic* sollerter disserentem idem de nostro loco sentire pernovi.

retractata Parisinum, Ambrosianum, Vaticanum, similes picturis ornatos, nuper quidem (Rh. Mus. XXXVIII 317—347) pleniore disputatione, quae externo codicum habitu et didascaliarum ratione potissimum nititur Donati commentis simul in auxilium vocatis, idem comprobare studuit. atque duas illas, quae Calliopii nomen ferunt, familias diversa ratione fabulas ordinandi — alter ordo (in δ) alphabeticus est, alter (in γ) ex parte chronologicus — atque eo, quod altera tantum (γ) picturis ornata esset, inter se distare recte demonstrasse mihi videtur; in eo autem, quod caput est, non possum cum eo facere. duobus enim censoribus ita nobis opus est, Calliopio et alio viro grammatico posterae aetatis, cuius nomen aut nusquam memoriae traditum esse aut prorsus e codicibus evanuisse putandum sit. quod vero gravius est, permirum sit, si ille alter grammaticus, qui ex vetusto codice tradito comoediarum ordini alium substituit et insignem picturarum ornatum addidit, non item textum indidem emendaverit, sed potius pro arbitratu mutaverit et corruperit. Donati autem commentis, quorum ratio ac condicio nondum satis explorata vel illustrata est, in hac lubrica quaestione uti dubitamus. simplicius igitur ac probabilius esse duco, si cum Schindlero l. c., id quod iam antea (Jen. Lit. Zeitung 1879 p. 122) significaveram, nobis persuademus praeter Bembinum et Calliopii recensionem tertium quendam fontem, a Bembino, quod ad textum attinet, paulo propius distantem, nobis agnoscendum esse: unde Victoriani familiam ita fluxisse, ut Calliopii recensio vulgo recepta gradatim magis in eam penetraret maximeque textu exaequato vel nomen suum alteri familiae inderet. ita aptissime et similitudo illa, quae est familiae δ cum Bembino codice[9], et eius proprium quoddam pretium, et quod plerumque cum recensione γ congruit, explicatur. via autem, qua eam transformationem progressam esse putemus, facile patet, si consideramus, quanto opere ipse Bembinus a recenti correctore (saec. XV), qui Calliopiano aliquo codice usus est, radendo, expungendo, superscribendo, corrigendo mutatus sit (v. Umpf. p. XI sq.). idem si compluries deinceps evenisset, multo etiam saepius quam nunc pristina scriptura deleta Calliopianae recensioni similis lectio extitisset; nam nomen eius nondum in ipsam subscriptionem irrepsisse fortuito magis quam pudore librarii factum esse existimamus. atque codices familiae δ ipsos, quo vetustiores sint, eo magis a ceterorum Calliopianorum consensu recedere videmus, et secunda plerumque manus in eis Calliopianorum lectiones addidisse refertur; denique ab indole librariorum illius aetatis abhorrere puto codices iam recensos et ad exempla alicuius celebris grammatici transscriptos ex alio antiquo atque errorum mendorumque pleno codice variis lectionibus onerare.

Haec igitur quam exposuimus ratio librorum manuscriptorum in recensendis fabulis nobis respicienda observandaque erit. nimirum autem non sufficit codicum lectionibus, quae quidem inter se discrepant, diligenter pensitatis unam alteramve eligere, sed saepenumero vel sententiarum conexus vel usus loquendi Terentianus, grammaticae vel denique metricae rhythmicaeve rationes nos cogunt, ut a tradita scriptura recedamus et aperta menda coniectando sanare studeamus. qua in re cum multi iam viri docti sudaverint, quos omnes vel plerosque enumerare longum atque a consilio huius editionis alienum est, tum duo editores prae ceteris de nostro poeta bene meriti sunt: *Bentleium* dico primum (ed. Ter. Cantabrigiae 1726 et Amstelaedami 1727), qui cum via ac ratione,

---

9 Velut Heaut. 935 AGD[1] exhibent *quod rogo* q. s.; D[2] superscr. *uolo;* EL γ *quod uolo.*

etsi eligendo magis quam exhauriendo, antiquissimorum, quotquot indagare poterat, codicum lectionibus uteretur, subtilissima observandi facultate atque eximia totius linguae latinae cognitione, ingenii summo acumine atque coniectandi felici sollertia excelleret, non suae tantum aetatis, sed posterorum quoque studiis in poeta nostro impensis, nec tantum Terentianis, sed omnino philologicis studiis, metricae potissimum artis legibus sagaciter exploratis, plurimum profuit; alterum *Fleckeisenum* significavi, qui et *God. Hermanni*, *Ritschelii*, aliorum doctrina scaenicis Romanorum poetis utilissima imbutus, et ipse iudicio perquam sano atque artis criticae magna peritia, subtili numerorum sensu ac summa veterum scriptorum cognitione usus ad Terentium edendum ita paratus erat, ut eius editio postquam prodiit (Lipsiae a. 1857), vulgatae instar haberetur, quamquam eo ipso, quod Umpfenbachii apparatu critico carere debebat, multis locis non iam eam fabularum formam condicionemque praebet, qualem antiquissimam vel genuinam fuisse nunc confidimus.

Canticorum, quae extant in Terenti fabulis, *compositio* cum his proximis annis permultum tractata et profecto, si singulis ipsis auctoribus credere liceat, plane iam perspecta esse putanda sit[10], tamen adhuc tenebris et caligine vix hic illic pausillum discissis involuta latet. una fere lex, quae ad rhythmi continuationem spectat et recte iam a Bentleio (adn. ad Andr. II 1, 7) observata est, octonarios trochaicos usquequaque excipi aliis trochaicis versibus, etiam nunc rata certaque habetur[11]. omnino autem eos, qui strictam responsionem in constituendis Terenti canticis efficere conentur, frustra esse puto; chorica enim carmina graecarum comoediarum, quae semper strophica compositione utebantur, in ipsa nova comoedia, quam latini comici imitabantur, non iam locum habebant; melica autem illa, quae aetatem tulerunt, magna ex parte sine dubio ἀπολελυμένα erant, ita ut apud latinos illorum interpretes strophicam canticorum compositionem indagantibus nobis res vix satis procedat. recte igitur Frid. Leo (Dt. Lit. 1882 p. 932) monuisse videtur, cantica illa componendi artem ex musicis potius rationibus iudicandam esse[12].

De *stichicorum* versuum arte quod vel ad singulorum pedum rationes vel ad caesuras vel ad verborum accentum cum versuum numero consociandum attinet, recentioris maxime aetatis homines docti cum permulta et recte et utiliter observaverint, tum vero, ut libere fatear, in eo nimii fuisse videntur, quod saepe usum ad severiorem quandam normam redigere atque ex multorum exemplorum consensione legem ubique valentem deducere studebant. mihi cautius agendum esse duco et multis locis in librorum scriptura acquiescendum, ubi aequabilitatis studium vel etiam sensus quidam subtilior numerorum correcturam ut faciamus, suadet.

In *orthographicis* rebus diversitatem formarum satis evitare studui vel tum, cum diversas formas antiquitus traditas esse concedi

10 *Carl Conradt*, D. metr. Compos. d. Com. d. Ter. (Berlin 1876), qui de distinguendis potissimum stichicis et mutati generis versibus optime meritus est (v. Jen. Lit. Zeitung 1877 p. 59 sqq.); *Frid. Schlee*, De vers. in cant. Ter. consecutione (Diss. inaug. Berolini 1879), qui singula cantica in periodos (vel ordines) distribuendi et singula versuum genera inter se continuandi usum non sine fructu perscrutatus est; *Carl Meissner*, D. Cantica d. Ter. u. i. Eurythmie (N. Jahrb. f. Phil. Suppl.-Bd. XII 465—588).

11 Minoris momenti, quamuis recte fortasse observatum est, quod *B. Born* (De div. ap. Ter. vers. Magdeburg 1868 p. 5) statuit, ubi senarius immisceretur diversi numeri versibus, aut antecedere ibi aut subsequi septenarium trochaicum.

12 Ante omnia, ut opinor, clausularum, quae dicuntur, natura atque usus exploranda et constituenda sunt, priusquam ad universam canticorum structuram indagandam aggrediamur.

liceret[13]. codicibus, vel antiquissimis, parvam tantum in ea re fidem habendam esse, cum librarii dedita opera et mira quadam perseverantia antiquitatis robiginem delere atque vetustioribus formis usitatas suae ipsorum aetatis substituere soliti sint, rari quidam errores, unde pristinum scribendi usum coniectura assequi etiam nunc liceat, manifesto produnt[14]. quod si Hec. 232. 606 in A *mihi* pro vocativo *mi*, Phor. 370 in ς *nostram* pro *uostram* (alias plerumque *uester* etc.), Phor. 504 in A *qui* et Ad. 854 *quod* pro *quoi* (alias *cui* etc.), Hec. 131 in A *cumloqui* pro *conloqui* (cf. Hec. 177 *cumplusculos*) scriptum invenimus, inde alibi quoque *mi* ex *mihi*, *uoster* ex *uester*, *quoi* (et *quoius*) ex *cui* (et *cuius*), *quom* (vel *qom*) ex *cum* cet. nobis restituenda esse censemus. nec plus fidei codicibus tribuimus, si Andr. 797 et Heaut. 194 *diuitias* legitur, ubi metrum *ditias* flagitat, vel *aiebam*, *sciebam* etc. pro *aibam*, *scibam* etc., cum item Phor. 768 A *satis* pro *sat* et plerumque omnes codices *periculum* pro *periclum* contra metrum exhibeant. quid autem? num in scribendo *haud* vel *haut* sim. solis codicibus confidemus, cum Heaut. 967 in A pro *semper erit praesidium* (omisso altero *er*) *semper id pr.* scriptum sit? tali a librariis institutae orthographicae redactioni cum scriptura ex errore orta cod. A (Heaut. 642) *neq. eius* pro *neque ius* vel (Ad. 789) *autq. rar* pro *aut querar* debetur, tum vero iactura monosyllaborum genetivorum, quam pronomina *hic*, *is*, *qui*, vel disyllaborum, quam pronomina *ille*, *iste*, *ullus*, *nullus* cet. passa sunt, quorum vestigium fortasse Ad. 452 remansit, ubi in ς *is* pro *eius* (vel *eis*) legitur. — *Num quis*, *ne quis* similia (non *numquis*, *nequis*) scripturam praestare ex Phor. 563 colligo (*Núm quid ěst quód operá* q. s.), ubi voculam *est* corripi post monosyllabam tantummodo vocem licet. — In *aphaeresi* vocularum *est* et *es* adhibenda, cum libri manuscripti valde fluctuarent nec minus falso exhiberent Ad. 21 *usus est*, quod contra metrum pugnat, pro *usust*, quam cod. A Phor. 715 *cautust* pro *cautus est* vel Heaut. 908 *filiaest* pro *fili est* et Ad. 929 ς *uxoris est* pro *uxorist* (= *uxori est*) et Heaut. 82 *laboris est* pro *laborist* (= *labori est*), unde consilio quondam pleniores formas suppositas esse tuo iure conicias; ego, ut par est, cum Fleckeiseno aliisque constantem quandam atque post Ritschelii de ea re disputationem (Prol. in Trin. p. 107 sqq.) usitatam scripturam codicum auctoritati nimirum praeponendam esse duxi. atque usui hodie fere vulgo recepto etsi in ceteris orthographicis rebus plerumque obsecutus sum, in paucis tamen, ubi optimus noster codex memorabili aequabilitate singularem quandam nec per se reprobandam scripturam praebet, (e. c. *neclego*, *aliquod*, *quod* = *aliquot*, *quot*, *accersere*; *tibis* in didascaliis), ab ea infra non discedam; quamquam in his rebus persaepe codicem A ceteris libris et maxime familia δ inferiorem esse nobis fatendum est.

De *scaenarum* in comoediis latinis

---

13 Satis ambigimus de vocativis, qui varie in codicibus traduntur, *Chreme* vel *Chremes*, *Lache* vel *Laches*. eas enim formas, quae in —*es* desinnnt, solas a Terentio nsurpatas esse veri simile qnidem videatur reputanti et Terentium *Chremes* cet. ad exempla III. declinationis latine immutare, aliis igitur atque tertiae flexurae terminationibus melius nos abstinere, et graeci poetae scaenici num talium nominum in —ης desinentium vocativos umqnam per metaplasmum in —η formaverint, perdubium esse. sed cum poeta And. 368 genetivum *Chremi* usnrpasse videatur, qui graecae formae I. declinationis respondet (ut Archonidi = Ἀρχωνίδου), et saepissime accusativum *Chremem* (= Χρέμην) posuerit, fortasse iam ab ipso attici illi vocativi (*Chreme* cet.) introducti sunt (cf. E. Kœnig, De nom. propr. . . 1876 p. 40 sq.; Hauler, Terentiana p. 10 sqq.). aequabilitati autem studens cum regula eligendi inter diversas illas formas nulla pateat, cum aliis semper *Chremes* cet. scripsimus. — In gerundii terminatione et — *endus* et — *undus* pro librorum memoria cum ceteris editoribus usurpavi.

14 Singulas minus solitas formas vel ex Donato viri docti elicuerunt (ut Phor. 2 *transdere* [ita schol. Bemb. quoque] pro *tradere* et Phor. 330 sq. *tennitur* pro *tenditur*) vel inscriptionum ope restituerunt (ut *adposisse* cet. pro *adposuisse* cet.; cf. ad Andr. 729).

distributione et *titulis* nuper *Andr. Spengel* (SB. d. bayr. Ak. phil. Cl. 1883 II p. 257—298) subtiliter disputavit. ego omissis, ut par est, omnibus argutiis eas rationes secutus sum, quas iam ed. m. Teub. I p. 24 indicavi. novas igitur scaenas ibi (plerumque cum libro A) seiunxi, ubi vel nova persona, quae non est prorsus secundaria, introit in scaenam vel praesentium aliqua discedit, exceptis vero eis locis, ubi post parvum intervallum in scaenam redit vel post discessum alicuius personae eae quae restant pauca tantum nec quae magni momenti sunt, loquuntur. nominibus personarum partium quoque appellationes addidi, quippe quae in codicibus traditae essent et ad contextus cognitionem nonnihil conferrent. graecas autem litteras, quae in antiquissimis libris ad distinguendas personas adhibentur, ipsorum nominum litteris initialibus substituere non animum induxi, quia perspicuitati ante omnia consulendum, non vetustatis aliquod documentum redintegrandum erat. quamquam falsus *Alb. Wilms* est (De pers. not. in cod. Ter. Halae 1881), qui codicis Bembini demum aetate personas graecis litteris denotari coeptas esse autumat, ut vel inde apparet, quod librorum Calliopianorum, qui sine dubio non sunt ex illo ipso derivandi, falsae nonnullae lectiones ex falsa talium litterarum interpretatione manifesto exortae sunt. luculentum eius rei documentum (Heaut. 611) in Rh. Mus. XXI 314 erui; alia exempla haec sunt: Heaut. 631 (*ς at rogitas* ex *A. rogitas*), Phor. 743 (*γ est* ex *E. st*), 850 (*uapulabis* in DEL vel *—bo* in BC²P² ex *uapula*.B.); alia minus certa consulto praetermittimus.

Priusquam vero ad ipsam adnotationem criticam transeamus, quam textui fabularum praemittimus, indiculum earum editionum atque dissertationum, quae saepius nobis uno auctoris nomine laudandae sunt, una cum compendiis nonnullorum nominum vel verborum subiciemus:

P. *Barth*, De infinit. ap. scaen. poet. lat. usu (Diss. inaug. Lips. 1881).
Btl. = P. Terentii Afri com. rec. Rich. Bentleius (Cantabrig. 1726, Amstelaed. 1727; repet. Lips. 1792 et Ed. Vollbehr, Kiliae 1846).
Ben. *Born*, De diverbii ap. Ter. vers. (Progr. Magdeburg 1868).
*Bothe*¹ vel *Bothe*² = P. Terenti com. ed. Bothe (Berol. 1806 vel Halberstadii 1822). — *Bothe* (sine numero) consensum duarum illarum editionum indicat.
Bothe, Z. f. A. = Bothe in Zeitschr. f. d. Alterth. wiss. VIII. Jahrg. 1841 No. 123 ff.
Theod. *Braune*, Observ. gram. et crit. ad usum *ita*, *sic* etc. (Diss. inaug. Berol. 1881).
Osc. *Brugman*, Quemadm. in iamb. sen. Rom. vet. verb. accent. cum num. consociarint (Diss. inaug. Bonnae 1874).
Conradt, Diss. = Car. Conradt, De vers. Ter. structura (Diss. inaug. Berol. 1870).
Conradt = Car. Conradt, D. metr Compos. d. Com. d. Ter. (Berlin 1876).
*Phor.*ᵗ vel *Ad.*ᵗ = Ausgew. Kom. d. Ter. erkl. von C. Dziatzko (Leipzig, B. G. Teubner) I. Phormio. 1874. II. Adelphoe. 1881. — In Phormione et Adelphis ipsis fabulis prior editio nota *Dz.*¹ indicatur.
Aug. Godf. *Engelbrecht*, Stud. Terent. (Vindob. 1883).
Fl. = P. Terenti com. rec. Alfr. Fleckeisen (Lips. 1857).
Franc. *Guyet*, In Ter. com. VI comment. (Argentor. 1657).
Edm. *Hauler*, Terentiana (Vindob. 1882).
Maxim. *Hoelzer*, De interpol. Ter. (Diss. inaug. Hal. Sax. 1878).
Ed. *Kellerhof*, De collocat. verb. Plautina quaest. sel. (Diss. inaug. Argentor. 1881).
Ant. *Klette*, Exercit. Terent. (Diss. inaug. Bonnae 1855).
Ad. *Koch*, Exercit. crit. in prisc. poet. rom. (Diss. inaug. Bonnae 1851).
J. *Koenighoff*, Dissert. Terent. crit. (Progr. Trier 1877).

Jos. *Krauss*, Quaest. Terent. crit. (Diss. inaug. Bonnae 1850).
Ladewig, Beitr. z. Krit. d. Ter. (Progr. Neu-Strelitz 1858).
P. *Langen*, Beitr. z. Krit. u. Erklär. d. Plaut. (Leipzig 1880).
Muretus = Terent. a. M. Ant. Mureto emend. (Venetiis 1575 vel al.).
Friedr. *Neue*, Formenl. d. lat. Sprache I. II. 2. Aufl. (Berlin 1877. 1875).
C. Rich. *Opitz*, De argum. metr. lat. arte et origine (in Leipz. Stud. f. class. Phil. VI p. 193—316).
Otto *Podiaski*, Quomodo Ter. in tetram. iamb. et troch. verb. accentus cum numeris consociaverit (Diss. inaug. Berol. 1882).
Car. *Rein*, De pronom. ap. Ter. collocatione (Diss. inaug. Lips. 1879).
Ritter = P. Ter. Andr. ex rec. Fr. Ritteri (Berol. 1833).
Herm. *Schindler*, Observ. crit. et hist. in Ter. (Diss. inaug. Hal. Sax. 1881).
Frid. *Schlee*, De vers. in cant. Ter. consecut. (Diss. inaug. Berol. 1879).
Otto *Schubert*, Symb. ad Ter. emend. (Progr. Weimar 1878).
Sp. I vel II = D. Com. d. P. Ter. erkl. v. A. Spengel. I. Andria (Berl. 1875). II. Adelphoe. 1879.
Conr. *Sydow*, De fide libr. Ter. ex Call. rec. duct. (Diss. inaug. Berol. 1878).
P. *Thomas*, La syntaxe du fut. passé d. Tér. I. p. (Gand 1876). Extr. d. l. Revue de l'instr. publ. t. XIX, 6e livr.
Um. = P. Ter. com. ed. Franc. Umpfenbach (Berol. 1870).
Um., Anal. = Analecta Terent. von Umpfenbach (Progr. Mainz 1874).
Wa. = P. Ter. com. by Wilh. Wagner (Cambridge 1869).
Wa.[h] = P. Ter. Hauton timor. erkl. v. Wilh. Wagner (Berlin 1872).

Praeter solita omnibusque perspicua compendia hisce usus sum: Don. = Donatus; Eugr. = Eugraphius; BM. = Monatsber. d. k. pr. Akad. d. Wiss. zu Berlin; DLZ. = Deutsche Litteraturzeitung; Her. = Hermes; LC. = Litterar. Centralblatt; NJ. = Neue Jahrbücher f. class. Phil; Phil. = Philologus; Rh. M. = Rhein. Museum f. Phil. Neue Folge; Dz. = Car. Dziatzko; Rtsch. = Frid. Ritschl; Sp. = A. Spengel; cf. = conferas; conf. = confert *vel* conferunt; cont. = continuat *vel* continuant; seq. = sequor; subst. = substituit *vel* substituunt; test. = testimonia.

ADNOTATIO CRITICA.[1]

Vita Terenti. Suetoni vitam Terenti Aelius Donatus commento suo in poetae fabulas praemisit atque ipse parvo additamento adauxit. editionem huius vitae amplissimo apparatu critico atque accurata enarratione instructam emendatamque Frid. Ritschelius Suetoni editioni Reifferscheidianae a. 1860 inseruit (p. 26 sqq. et 481 sqq.). repetita est apparatu commentarioque aucto et correcto in Opusc. phil. III 204 sqq. ea recensione, ut par est, pro fundamento meae editionis usus sum. codicem A Parisinum (Lat. 7920), longe illum Donati optimum, cum ipse excusserim, Ritscheliano tamen apparatui nihil fere quod alicuius momenti sit, addere possum; Oxoniensis initium cum vita Ter. periit.

p. 3. v. 7 *ad dominum* Jac. Gronov (ed. Suet.), *adducē* A ς[2]; L. Schopen (apud Fl.) *adduci Romam ibique uaenire* || 12 ante *Nepos* ς *cor.* vel *corne-*

1 Hac adnotatione neque omnes locos, ubicunque a codicum scriptura recessimus, neque emendationum auctores ubique indicavimus; sed cum quae ipsi mutassemus, diserte professi simus, et typorum alio genere ea reddenda curaverimus (praeter levidensia quaedam), quae non niterentur librorum memoria, errores lectorum satis nos praecavisse arbitramur.

2 ς littera scripturam recentiorum codicum significavimus.

lius add. || 16 *uocē dum & inhuiuſ &* A; *uoce diuina inhiat* ς; *uocem diuinam inhiat* vul. cum Mureto (ed. Ter.); Dz. antehac (Rh. M. 29, 462) *uocem indulget inhians* || 17 A *fixū* potius quam *firū* pro *Philum* || 18 versus glossemate, ut videtur, (*dum ſe amari ab hiſ credat crebro inalbanū rapiī* A et similiter ς) deformatus a Rtsch. emendatus est; alii duos versus supplendo constituerunt (cf. prae ceteris Bergk in Phil. 16, 630 et Vahlen in BM. 1876 p. 790 sqq.) || 19 *suis postlatis* Rtsch.; *poſt ſublatiſ* A (*ipsus* vel *ipsis subl.* ς) || 20 *abiit Graeciae in ter.* Bothe (Com. soc. phil. Lips. ed. Beck III 35); *abit greciā iniram* A; *abiit in greciam in t.* (vel om. altero *in*) ς; Rtsch. cum Jos. Scaligero (Anim. in Euseb. ed. 1658 p. 144) *abit in Graeciam terram; ubi* add. Bergk l. c. || 22 A *mortuuſ eſt infalo* (similiter ς), unde (cum Rothio) elicias *e* (i. e. *ē* = *est*) *ſtymphalo; in* ins. Roth; Rtsch. *m. Stymphalist Arc. opp.*; cf. Vahlen l. c. p. 792 sqq. || 23 *tum* Dz. ins.; A *ei pfuit. nihil illi;* Rtsch. *Sc. pr., nil illi.*

p. 4. v. 2 post *uersus* in A lacuna est 4 vel 5 litterarum, ut *ab illo* (cum Rtsch.) vel *ab eo* excidisse conicias || 5 *in dinum.* Schopen (apud Rtsch.); *denum.* A; *de enum.* ς; praeter Rtsch. ad h. l. cf. Leo Rh. M. 38, 321 et Vahlen (Ind. lect. hib. Berol. 1883/4 p. 3) || 7 *ſumeī* A; *sumetur* vel *sumeretur* vel *submetr*[e] vel *submeret* ς. totum versum, qui varie temptatus est (cf. Bergk, Leo, Vahlen l. c.), Rtsch. sic dedit: *Simitur Hecura sexta exclusast fabula.* sed Volcacius, si ratione progredi volebat, aut primam, non alteram, aut utramque Hecyrae irritam actionem memorare debebat. fort. scr. *submaeret* (poeta) *Hecyra sexta exclusa fabula* || 8 *deinceps* Rtsch.; *die* cum cod. vel *uno die* Vahlen l. c. p. 4 || 15 Rtsch. cum ς *se tutari*; in A post *refutare* (in fine v.) rasuram 2 vel 3 litterarum (*eā?*) esse, quarum nulla longa scripta erat lineola, apud Rtsch. non legimus || 23 A *autē laeliuſ autē def.;* fort. scr. *leu. def. se* || 30 A *ne interpellaret;* Rtsch. *se* ins.; passivum significat Laelium ab uxore petiisse, ut otium sibi pararet vel ab ipsa vel ab aliis || 38 sq. *quo cons. Meg. lud.* Rtsch.; A & *cuiuſ conſularib. ludiſ*; ς *et qui cons. lud.*

p. 5. v. 1 *sex* Baehrens NJ. 1881 p. 404 perprobabiliter ins. || 2 Rtsch. *ingressus;* sed cf. Sauppe (Nachr. d. G. G. d. Wiss. 1870 p. 116) || *animi* vul. om.; ex A servavi cum Baehrensio l. c.; ante *uitandae* (ς *euit.*) Dz. *seu* add. (Baehrens *aut*); in A s. v. ⁊ (= *et?*) legitur || 8 *in Asiam:* v. praef. p. VIII || *autem* Rtsch. add.; in comment. p. 517 sq. et in ed. II. Buechelero auctore *ut nauem* transp. || 10 sq. verba *sinu Leucadiae* Fl. ex v. 12 huc (post *in*) transp. dubitans (praef. p. VII) an *mari in s. L.* scribendum sit (cf. Sauppe l. c. p. 121; Vahlen l. c. p. 796); equidem duplici *in* nos carere posse arbitror. A *ſiue* pro *sinu*, unde Rtsch. v. 12 *in Arcadia siue Leucadiae* || 11 numerum fabularum cum Rtsch. seclusi. poetam intra unum annum centum et octo fabulas in latinum sermonem transtulisse — atque quattuor earum iam Romae latinas edidit, praeterea fabulas Menandreas antea ab aliis in latinam linguam translatas denuo eum convertisse prorsus improbabile est! — et narrare et credere tam insulsum est, ut scriptori bonae aetatis id tribuere non audeam. aut cum Rtsch. de mera vocis CVM conduplicatione cogitandum aut putandum est ex Gellio vel aliunde aliquem librarium numerum fabularum Menandrearum in margine adscripsisse atque inde eum inferiore demum aetate in textum irrepsisse ita, ut aliud nomen (e. g. *nouis*) submoveret || 14 A *ac* pro *acri;* om. Roth, Rtsch. || 19 *uillam* Schopen (apud Fl.) sust. || v. 21—24 supra leguntur p. 3 v. 23—26, sed ita ut initium alterius loci in brevius contractum esse videatur. Rtsch. duos versus (22. 24) prorsus tollit; idem *Scipio nihil ei pr.* scribit totum locum ad prosae orationis similitudinem exhibens; v. ad l. c. || 27 Rtsch. in textu *Ter. non consim. dicas qu.;*

sed cf. comm. p. 524 || 33 *motibus* Barth (Adv. XXXIV 7); *uocibus* cod.; pro *effers* Rtsch. (Opusc. III 264 sq.) *affers* legi vult sine necessitate || 34 *miscens* Rtsch.; *dicens* cod.; speciosum est quod Baehrens l. c. prop. *Qu. come colens a. o. d. dic.*; nec tamen ei assentior, quod *come loqui* (pro *comi dicendi genere uti*) usurpari posse negat.

Auct. Don. p. 6. v. 4 sq. pro *uallegius* A² (m. rec.) *ualgius*; ς *ualegius*; *in actione* Rtsch. cum A; ς *natione* vel *natione*; verba a multis varie temptata (cf. Leo l. c.) || 6 sqq. sequor Rtsch. et cum Rtsch.² Fleckeisenum (Kr. Misc. p. 62 sq.); A *hae quę uocanť fabulę cuię ſunt? non haſ qui iura populiſ | retentibuſ dabat ſummo honore* q. s. || 9 L. Havet (Rev. de phil. 1877 p. 280 sq.) *Carystio* pro *comico* || 11 sagaciter Leo l. c. p. 322 iambicos numeros detexit (*succéssu et pretio stétit Eunuchus fábula*).

Andria. Didascaliam, quae solum ex Donati praefatione restituta est, tractavi Rh. M. 20, 572 sq. et 21, 64 sq. — 7 *TIBIS:* v. Ad.ᵗ p. 16. — Indicis singuli versus in antiquis exemplaribus aut symmetrice alius alii subiungebantur (e. g. in Sticho Plautina) aut versuum singula verba ita fere ordinabantur, ut in hac editione factum est.

Sulp. Apollin. *Per.* Inscriptio ex ceteris fabulis suppleta est (v. Um. praef. p. V sq.). de *G.* littera pro *Gai* nomine v. *A. Schneider*, Beitr. (Zürich 1874) p. 20. 77 || 8 ς[3] *suasu;* Opitz p. 215 *persuasu;* Fl. *huic D. s.* || 11 *adgnitam* Dz. cum C (Phor.ᵗ ad Per. v. 12, ubi addas Plaut. Ps. arg. II 10 *adgreditur*) || 12 ς fere *dat aliam*; Fl. corr.

Personarum indices in libris man. non extant, sed in γ ante singula argumenta armaria picta sunt, quae figuras personarum pictas continent. — Glyceri virginis vox post scenam tantum auditur.

Prologus. 8 ς *aduortite* (vel *aduert.*); *adtendite* Don. et Nonius. *adtendere* ubique apud Ter. unus vel complures libri *adt.* litteris scriptum praebent; *attinere, attingere* (item *attollere*) semper duplici *t* scribitur || 11 ς Don. *sed* (*set*); corr. Btl. (cf. v. 59, Hec. 465); vul. cum Rittero *sunt dissimili* transp. (sed cf. Conradt, Diss. p. 10 sq.) || de v. 20—34 in cod. P v. praef. p. X.

Actus I. 30 Sp. post *haec* interrogandi signum posuit || 45 vul. in fine sine interr. signo || 51 sq. verba *Sosia . . . potestas* del. C. F. Hermann (Rh. M. 6, 444 sqq.); L om. *et* in fine v. 51 || 58 F. Schmidt in Her. 8, 482 *Ille horum* || 64 ς *obsequi studiis;* transp. Btl.; cum eodem numerorum potissimum causa verba *aduersus . . . illis* sustuli || 70 *uiciniam* Sp. ex C¹ (?) Don. ad h. l. (et ad Phor. II 3, 21); vul. *uiciniae*, quod leve quoddam anacoluthon sit || 76 comma in fine cum Sp. sustuli || 87 sq. ς *Niceratum;* servavit Rtsch. (Op. III 324 sq.) *tum* vel eiecto vel in v. 88 transposito; Fl. *Nicaretum* || 90 *comperiebam:* cf. Engelbrecht p. 57 || 104 pro *fere* Charis. p. 199 *ferme;* ita Fl. || 106 *ei* deest in γ; Sp. om. || 107 ς *amabant;* Muretus *amarant* || 112 Sp. *mihi quid hic* || 116 ς *suspicans etiam* (D om. *etiam*); Fl. transp. || *id* Dz. ex δ (cf. 449. 686) || 117 pro *imus* Baehrens NJ. 1881 p. 405 sq. speciose *intus* coni., quod tamen cum voce *ecfertur* (non *intus interea* q. s.) ei iungendum erat. sed cum iam Cic. de or. II 80, 327 *imus* scriptum legerit, videtur verbum '*ire*' de eis, qui funere ex aedibus elato circa vel pone id ordinarentur, dici solitum esse (cf. Plaut. As. 618 *circumsistamus;* Phor. 1026 *exsequias ire.* de alia re Phor. 135 *uentumst* pro *u. ad iudices* usurpatur) || 121 Fl. Um. cum aliquot cod. *quae; quia* Sp.; Btl. *quae cum* || 143 ς *dederit;* Fl. *dedit* || 153 ς *me meo;* D *me uiuere meo; me* a C¹ omissum add. C² ante *meo;* Don. in lem. *meo*

---

3 A codex a versu demum 787 incipit, ita tamen, ut duo vel tria prima quae extant folia valde lacera sint (cf. Um. praef. p. IV sq. et adn. ad And. 787. 878).

me et ita vul. ed.; Rein p. 46 *memet meo;* illud hunc in perlustranda pronominum collocatione fugisse videtur, accusativos pronominum qui subiecti vice fungerentur, prope ipsos fere infinitivos collocari ‖ 155 *nolet* B; rel. *nolit;* Don. utrumque. Btl. hunc versum cum sequente coni. ‖ 156 ς *animadu.;* sed v. ad v. 767 ‖ 171 cum Wa. verba *Eamus n. i.* Simoni tribui; ea autem quae sequuntur, eidem (cum ς) dedi; propius enim ianuae libertus stare videtur.

Actus II. 181 C[1], EG ex cor. D ex ras. *inter;* rel. *interea.* illud Conradt p. 135 (et Diss. p. 15) def. collato interquiescendi verbo ‖ 182 Btl. *Ut ne* pro *ne*, et ita vul.; *ne* def. Conradt p. 6 et 136 ‖ 188 post *siui* Sp. dist.; *sini* Fl. cum Guilielmo ex cod. Colon. (v. Verisim. I c. 3; cf. Neue II² 489) ‖ 189 Btl. *defert* pro *adfert* ex Cic. ad fam. XII 25, 5 ‖ 202 Guyet, Wa. *locutu's;* vul. *locutus* ‖ ς *circuitione* (Phor. 614 *circŭmiri*); Btl. duas voces dist., ne vox una syllaba longior sit; Guyet *circitione* ‖ 204 Don. ad III 2, 15 *edico* ‖ 205 ς *hoc dices* (D[1]G *dicas*); Don. *haud dicas* (in lem. *dices*). *neque . . haud* aptis exemplis def. Sp.; pro *dicas* Eun. 1080 comparare licet ‖ 206 novam scaenam exordiuntur δ Don. ‖ 213 sq. Btl. . . *aut quam lub.* q. s.; Fl. *si s. aut si quam lub.* q. s.; Conradt p. 72 bene *aut* incl.; v. 214 non exclamatio est, sed relative enuntiatur ‖ 216 Guilielmus in Pl. Asin. c. 9 *si*; ς *siue* ‖ 221 *hinc* Btl. add. ‖ 224 Um. *paruam fabulast* ‖ 225 versum, qui iamb. octonarius esse potest, Ritter uncis incl. ‖ 226 sq. *ut* proscr. Conradt p. 73 (cf. Her. 10, 107); idem ex v. 227 senarium effecit (*Illum ne de hac re* q. s.); Fl. *Vtí c. P. ne p.* verbis *de hac re* seclusis ‖ 228 *Archylis* Btl. contra ς (cf. Rtsch. Op. III 305); Fl. al. *Archilis* ‖ 232 vul. *facultatem;* Dz. cum G *facilitatem* coll. Plin. N. H. 21, 24 (95) ‖ 236 fort. *hocnest* bis scrib.; *factu . . inceptu* Btl. al. cum Don. refragante sermonis aequabilitate ‖ 248 ς *quot;* cf. Phor.[t] ad v. 159 ‖ Sp. *em:* fort. recte ‖ 256 Conradt p. 173. 211 (cf. Her. 10, 109) *aut* cum P in initio v. 257 collocat, item Fl. sic: *Aut c. ull.* ‖ 260 BEG *diuerse*, et ita Fl. (at cf. Sp. ad h. l.) ‖ 264 Klette in Rh. M. 14, 467 *incertumst;* ς *incertum;* Btl. *quorsus* ‖ 265 ς *aliquid de illa;* Btl. proscr. *aliquid* ‖ 266 dubito an arctius versus cum antecedente coniungendus sit ‖ 268 *die* Dz. ex BCDP[1]; vul. *diem . . . in hunc*, quod dici posse negamus (cf. Ad.[t] p. 96) ‖ 270 *hem* cum G ind. Dz. ‖ 276 G *sit solo;* cet. *solo sit;* cf. Btl. et Brix add. ad Mil. v. 265 ‖ 281 *hanc* ante *meritam* add. δ et schol. C ‖ 287 Btl. Fl. *illi utraeque res nunc utiles; res* δ et schol. C. add. post *utr.* ‖ 289 ς *quod ego te per hanc dexteram*, unde vul. *Q. e. p. h. t. dextram;* Sp. recte monuit solemnem verborum ordinem esse *per ego*, sed non minus solitum fuisse videtur *per* ictu acuere. itaque vel cum Reinio p. 3 sq. *Q. p. e. t. dextram h.* scribas vel, id quod feci, ex Eugr. *nunc* assumas ‖ *genium* Btl. ex Don.; ς *ingenium.*

Actus III. 312 ς *ipsum hunc;* Rein p. 64 transp. ‖ 328 ς *hae; haec* Btl.; cf. Don. ad IV 1, 32 ('leg. et *haec nuptiae:* sic enim veteres dixerunt'). ante conson. *haec* cod. A Eun. 89, D[1] (?) Andr. 438, C[1] And. 700, E Ad. 785, E[1] Hec. 101 exhib., *hae* in ς extat Andr. 328, 656; in ω Eun. 282, ubi *haec* restitui; aliter iudicarunt F. Schmidt in Her. 8, 485 sq. (sed cf. Quaest. de pron. p. 46 sqq.), Engelbrecht p. 36 ‖ 332 G *a . . piscier* in ras.; cet. *adipiscier; apiscier* Fl. ‖ 337 ς *scire;* Fr. Fabricius (adn. a. h. l.) et postea Btl. *sciri* ‖ 340 de *nescio* (*quis* etc.) vocis mensura v. Luchs in Her. 6, 264 sqq. ‖ 345 *o* ex vet. ed. add. Fl. (NJ. 1873 p. 503) ‖ 347 ς *certe;* Sp. *certo* ‖ 351 ς *hem; em* O. Ribbeck, Part. p. 32 (cf. Don.) ‖ 353 Fl. *hic me prendit;* Conradt p. 28 (Diss. p. 36) *modŏ m. pr.;* Don. diserte *prehendit* trisyllabe usurpari dicit (cf. Pl. Mer. 213); BC²DEP *apprehendit* ‖ 368 ς *Chremis* (E²*is* in ras.); *Chremi* Btl. ex Don. (cf. Um. ad h. l.) ‖ 369

ferre a *conueni* verbo pendere nequit; sed infinitivi quoque historici structura hic habet quod offendat (v. Barth p. 8 sq.). fort. igitur *fere obolo* (scil. *tulit*) scrib. || 372 ς *necesse;* Lachmann in Lucr. p. 397 *necessus* (ante consonantem) || 375 Donati cod. A novam scaenam exorditur; in ς nulla inscriptio || 377 in ς post 378: ordinem rest. Bothe || 381 *ac* Wa. incl.; cf. Heaut. 904 (item 760) || 386 *hoc* (= *huc*) P; *huc* B; cet. *hac;* cf. Eun. 394. 501. 572. Phor. 152. Hec. 348. Ad. 878 || 389 *hic* cum Sp. a *reddes* seiunxi, sed adverbium, non pron. pers. esse puto || 395 sq. Um. (cf. Anal. p. 10 sqq.) recte interpungendo locum sanavit, ut non opus sit cum Fl. lacunam post v. 395 statuere || 398 ς *alia;* Don. in lem. (Par. A) *aliā*, et ita Um. || 399 fort. *tace* scrib. || 413 sq. cum voce *ut* totus v. 414 a Btl. al. proscriptus est; cum Simonis mentio (*hunc uenientem;* Btl. *huc u.*) vix deesse possit, duo hemistichia removere malim: *Hodie obseruare: id núnc h. u. s.* || 429 ς *uidere;* Don. (var. l. et A pr. m. in lem.) *uideri*, et ita Bothe (cf. Barth p. 36) || 434 ς Da. *Aeque* . . . Si. *Nilne* q. s.; corr. Sp. verba *aeque . . . quidem?* ut puto haud recte interpretatus. hoc senex per ironiam interrogat, num Davos aeque atque antea vulgo mendacii vel fallaciae quidquam proferre velit (cf. 432 sq.) || 437 L om. *es* || 438 *haec*: cf. ad v. 328 || 439 Dz. *eius* add. et *consuetud.* transp.; ς et Don. *pr. h. h. cons.;* vul. cum Erasmo (ad h. l.). *huiusce pr. c. h.;* Sp. *consuetionem pr. h. h.;* duplicis genetivi exemplum est Plaut. Poen. 1188. *eius* cur omissum sit ab inscio librario, facile est perspectu || 451 *drachumis* Rtsch. Op. II 469 sqq. || 452 vul. *num.;* Um. cum ς *non* || 453 Dz. in fine subdist. || 455 Sp. recte dist. || 459 ς *dixti;* Um. cum Don. (var. l.) *dixisti* || 461 Sp. post *haec* interrog. sign. pon.; personas dist. Btl. || 476 dubito an *Mihi?* pro *Mihin?* scribendum sit, cum in fine versuum iambice desinentium non alibi apud Ter. encliticum illud *n* (pro *ne*) usurpari observaverim || 478 vul. cum ς (G ex ras. *Hic me si*) et Don. *Hicine me si;* Bothe[2] *Hic inp. me si;* Wa. *Hic nunc me si inp.* || 481 *oportent* Sp. cum E || 483 *istam* ex Don. Engelbrecht in Wien. St. 1884 p. 217 sq.; idem prop. *lauetur*. fort. *istam lauent* (*sc. ancillae*) scrib.; *dĕinde* trisyllabe vul. probante Sp.; Fl. *poste deinde* || 495 Sp. al. cum D *edixin* || 499 meliores numeri existant, si *non sint t. r.* transponas || 505 cum ς Don. Sp. *falso* Simoni dedi; Davo trib. Btl. || 506 in ς iamb. septenarius est. qui cum non faciat transitum ad aliud metrum — quamquam v. 507—509 facile ad trochaicos numeros reduci posse concedimus —, ad octonarii metrum supplendus est. *itast* add. Conradt p. 78 || 516 cum Conradtio p. 16 sqq. dimidium versus inclusi, ut quae restant cum v. 517 septenarium efficiant; Fl. totum v. 516 proscr. || 525 ς *atque;* Fl. *atqui* || 528 *id* solus Prisc. II 243; dubito an huc pertineat *id*, quod cod. in fine v. 530 legunt || 532 γ *obuiam;* DG Don. *obuiam Chremem; obuiam* Btl. del.; Schubert p. 10 sqq. v. 530 sq. et v. 532 *Chremem* del. || 533 Dz. contra ς verba *optato aduenis* Simoni cont., cum neque Simo *aduenire* apte dicatur neque *optato* verbum Chremeti conveniat || 536 *et* Sp. ind.; cf. Rein p. 4 || 548 *ego* add. Rein p. 13 sq.; vul. *oro te* transp. || 549 DL *quasi si*, et ita Sp. || 573 L ante ras. *nollo*, ut videtur || 593 *dixti* ς (L[2] s. v. *is* add.); vul. *dixisti*. vel *dixti* cum hiatu vel *hem* (ex v. 592), *quid dixti* Engelbrecht p. 59 sq. || 594 Sp. cum ς *apparentur* || 596 ς *corrigere mihi gnatum;* corr. Fl. || 599 ς *quae tibi;* transp. Btl. || 604 sq. non sine probabilitate Meissner, Cant. d. Ter. (v. p. XIII) p. 486 unum versum effecit: *Em astútias: quod sí quiessem — séd eccum uideo ipsum: óccidi.* aliter Conradt p. 81 sq. || 606 Sp. trochaice (item v. 605); vul. iambice. fort. *hinc quo* . . . scrib. || 607 ς *illic est . . . qui me p.;* solus L[1] *illic* sup. scr. *le* (i. e. *ille*). Btl. *perdidit* om. et *hodie* ex cod. add.; sed cum apo-

siopesi nullus hic locus sit, seq. Podiaskium p. 36 sq., interrogandi tamen signum post *est* sustuli (cf. Heaut. 887; Plaut. Bacch. 1095) ‖ 611 cum Fl. al. *nunc* omisi (at cf. Ad. 264) ‖ 613 ϛ *fiducia;* corr. Fl. ‖ 614 *équidem* Dz.; ϛ *quidem* ‖ 615 Fl. cum Don. (var. l.) *productem;* ϛ *producam* ‖ cum Schleeio p. 12 sq. cod. P sequor in constituendis v. 615—617; cet. cod. *Oh* versui 616, *miserum* v. 617 tribuunt, unde vul. transponunt *consiliis tuis* et octonarios iamb. legunt.

Actus IV. 625 ϛ *hocinest;* Btl. *est* om.; fort. scrib. *hocnest:* tales enim formae saepius idoneae sint, quibus metricae difficultates tollantur ‖ 629 ϛ *gen. hom. pess.;* Fl. *i. i. hominumst gen. pess.;* ego cum Sp. Eugraphium (in lem.) seq. ‖ 630 ϛ *in denegando;* corr. Klette p. 10 sq. ‖ 631 ϛ *ubi tempust;* CP *est* om.; Dz. transp. *est* ‖ 633 proscr. a Klettio p. 11 sq.; Sp. et Conradt p. 189 *Et timent denegare et tamen res premit* (Conr. simul transp. versum post v. 630) ‖ 635 dimetrum iamb. esse puto; vul. creticos metiuntur (*Quís tū́ es? quís mihi es?* q. s.), Sp. duas troch. tripod. catal. ‖ 637 *pudent* Btl.; *pudet* ϛ ‖ 647 verborum ordo incertus; γ secutus sum ‖ 648 *ni* pro *nisi* Dz. coll. Eun. 1014, Ph. 544 ‖ 650 ϛ *suis consiliis mihi;* Jos. Krauss (Rh. M. 8, 557 sq.) *suis* om. non sine sententiae detrimento; Dz. *consiliis suis;* idem subdist. in fine. ϛ *confecit; conflauit* Don. (var. l.) ‖ 656 *haec:* v. ad v. 328 ‖ 663 sq. Btl. sequor. ‖ 665 *o* Sp. ex coni.; *oh* L (v. O. Brugman in NJ. 1876 p. 421) ‖ 682 Btl. seq., sed *hem* servato ‖ 686 *ehem* pro *hem* Btl.; ϛ (praeter E) *optume mihi te;* Sp. transp.; *id* Fl. add. ‖ 702 Btl. al. *forti's* sine necessitate (cf. e. c. Ad. 528. 742); Charino hanc vocem ϛ dant; corr. Fl. ‖ 703 ϛ *quid;* Palmerius (Grut. Thes. IV 837) corr. ‖ 706 ϛ *uacuom; uociuom* Sp. (cf. Rtsch. N. Pl. Exc. p. 59); *esse* Dz. incl.; Sp. *nunc me uoc. e.* ‖ 708 Sp. in fine dist. (cf. Brix in NJ. 1877 p. 337) ‖ 712 ϛ *face; fac* Schubert p. 15 sq. ‖ 713 in ϛ (G ?) ultima verba *si quid* Charini sunt; corr. Sp. ‖ 714 *me* in cod. varie collocatur, a Btl. Sp. om. ‖ 718 proscr. versum Conradt p. 84 (et Diss. p. 24) ‖ 728 ϛ *iusiurandum;* corr. Btl. ‖ 729 ϛ hic (E ?) et 742 et 763 *adposu*—(vel *app.*) praebent; sed cf. Rtsch. Op. IV 119 sq. ‖ 730 *in* om. G ex ras., Erasmus (in ed.), Btl. ‖ 751 servus non solum verbis ancillam increpat, sed manum quoque iniciens 'ad dexteram' eam trudit, ut magis distet a sene et exaudiat, quae ipse demissa voce dicturus est ‖ 753 Fl. *rogo .. faxis caue* ‖ 757 sq. versus, cum vix credendum sit senem, antequam v. 765 Pamphili nomen audierit, se *in tempore uenisse* dicere, post v. 765 transponendos esse conicio ‖ 762 Btl. Um. cum δ *t. d. e.* ‖ 763 *adpos.:* cf. ad v. 729 ‖ 765 *hem* in ϛ Davi est; corr. Fl. ‖ 767 D[1] et L[1] om.; schol. D in ima pagina, L[1] s. v. add. ‖ ϛ *animaduert.*, sed cf. Schubert p. 4 ‖ 772 Brandt, De var. . p. 47 *quoia* pro *quoius* haud improbabiliter; cf. Engelbrecht p. 41 sq. ‖ 785 ϛ *hem;* Wa. Sp. *em* ‖ 793 *uolumus* Um. cum ϛ; Btl. (ex uno cod.) et vul. *uoluimus* (*hem* om.) ‖ 804 Wa. post *sic* dist. ‖ 807 ϛ *appuli;* Btl. ex uno cod. et Prisc. II 68 *adtuli* ‖ 811 ϛ Don. in Hec. IV 4, 25 *hic* pro *id;* D in ras. E[1] L[1] Don. in lem. Btl. al. *id* ‖ 815 Sp. post *syc.* subdistinctionem sust. ‖ 817 Sp. *O o. h.* Davo dat; Rich. Meister in Zeitschr. f. Gy. 1876 p. 563 ex Eugr. *per pol ant.* ‖ 819 ϛ *nolo me;* Fl. transp.

Actus V. 823 *cum* Don. in lem.; ϛ *quam* ‖ 836 Sp. cum cod. parte *ficta* pro *facta* ‖ 849 ϛ Serv. ad Aen. XI 373 *responde* (B cum ras. in fine); Don. *respondes;* Btl. seq. (cf. Becker in Stud. pr. lat. I 176 sqq.); Meissner (in ed.) *set iam* q. s. ‖ 850 vul. cum Btl. *modo ego i. iui;* at cf. Engelbrecht in Wien. St. 1884 p. 232 sq.; *ego* ind. Dz. ‖ 857 ϛ et test. *seueritas* vel *ueritas.* hoc iure def. Klotz in NJ. 1864 p. 200 ‖ 860 *Drómo* vel *Dromó;* illud praefero cum Sp. ‖ 861 *sublimen:* v. ad Ad. 316 ‖ 864 vul. *égo iam;* iamb. octonarium rest. Conradt p. 4. 85 *pol* praemisso vel *equidem* pro *ego*

scripto; sed satis est *ego* voci iambicam mensuram dare (cf. Podiaski p. 20) ‖ 895 cum Btl. Sp. post *dicat* subdist. ‖ 920 Don. in lem. *pergit*, et ita Fl. Sp. (at cf. e. c. Heaut. 870 sq.) ‖ 921 Dz. cum A *feras* scr.; ς et vul. *feres* ‖ 922 ς Sp. *dixi . . . audieris* ‖ 926 *tu* Btl.; ω Critoni *Tum is* dant ‖ 936 ω *postilla* (A¹ *posilla*); Sp. *postid;* Fl. *post ibi* ‖ 938 Bombe, De abl. abs. (1877) p. 29 *in mirando* ‖ 940 ω *at mihi unus scrupulus etiam;* transp. Rtsch. Op. II 271 et Conradt, Diss. p. 33; Sp. *scruplus* contra Ad. 228 analogiam ‖ 941 ω (A?) *istuc; istud* recte Aug. Luchs, Comm. pros. Plaut. I p. 12 sq. ‖ 945 *Pasibula* ins. Aug. Luchs in Stud. pr. lat. I 63 sq.; interr. sign. add. Dz.; ς *non patiar heus*, unde profectus Fl. *Pasiphila* (semel) pro *Pasibula* scr. (cf. Rtsch. Op. III 326); cf. Rein p. 65 ‖ 947 A *quid;* Dz. cum ς dubitanter *quod* per aposiopesim (suppl. *oro te, ut in gratiam redeas*) ‖ 950 non de dote expectata Pamphilum cogitare Rich. Meister (Zeitschr. f. Gy. 1876 p. 568 sq.) recte monet ‖ 956 ς praeter G¹ *hunc diem:* per se non improbandum ‖ 957 Sp. *fors* pro *forsitan* (cf. Heaut. 715); idem transp. *Me al. f. p.;* Btl. *forsan* (at cf. M. Haupt in Her. 5, 176 sq.). G. Hermann (Elem. p. 176) al. *putet* transp. et duo octonarios efficiunt (. . *me fórsitan* | *Putet nón put.*), sed v. Conradt p. 85 sq. ‖ 959 v. Engelbrecht p. 18 ‖ 962 L¹ cum A *optem;* rel. *exo.* ‖ 963 Btl. Um. cum A *mallem* ‖ 965 in DGVL nova scaena est ‖ 971 Btl. al. cum γ *iam* pro *eam* ‖ 973 ω *est; es* Btl. et Madvig Adv. II 12 sq. ‖ 978 Sp. *intro* ins. (*ad Gl., intus nunc est*); A *a Glycerium* om. *est;* ς *nunc est;* possis etiam *S. h. tu me: intus* q. s. ‖ 980 sq. Sp. hos duo versus cantori tribuendos esse censet: fort. recte.

Alter exitus Andriae in paucis tantum neque eis optimis codicibus aetatem tulit (cf. Don. ad h. l.). apud veteres grammaticos versus quidem 981, nec vero ullus sequentis scenae laudatur. Ritschl (Par. 583 sqq.) a Terentio eum abiudicans poetae paulo posteriori tribuit, W. Wagner autem cum G. Hermanno genuinum eum esse censuit. ego (NJ. 1876 p. 235 sqq.) eum a grammatico alterius fere p. Chr. saeculi confictum esse probare studui, K. Braun autem (Quaest. Ter. 1877 p. 21) paulo ante medium quartum p. Chr. saeculum versus illos scriptos esse arbitratur. — 4 *nunc* Guyet ins.; Fl. *sortis* ‖ 6 *Ah* Rtsch. ins. ‖ 8 *amicitia nostra:* nominativum ex attractionis studio ortum tolerari posse puto; Um. (cum γ¹?) genetivum, Sp. accusativum posuit ‖ 9 *non* vel *nobis* vel *nam* cod. ‖ Um. pro *studui: set uolui;* lenius *sed* inserui ‖ inde a v. 11 versus in libris varie distribuuntur ‖ 11 *adi* Rtsch.; *abi* vel *ibi* cod. ‖ 12 cod. *agissime* (ex *aequissime?*); Fl. *aequissume* ‖ 13 *multa uerba* Dz. add. ‖ 14. 15 transp. Dz.; v. 15 cum Rtsch. supplevi. ceterum lacunis v. 12 sqq. alii aliter medentur ‖ 16 cod. *quoadcumque* vel *qđadcumque; quocumque* Dz. tentavit (*ad* fort. ex corr. vocis *appl.* huc intrusum). Chremetis personam in initio posui cum Spengelio.

Heavton Timorvmenos. Hanc fabulam, quae vulgo in editionibus tertium locum (post Eunuchum) tenet, et ex chronologico ordine et secundum disertam quorundam codicum memoriam Eunucho praemisi (v. Rh. M. 39, 339 sqq.). — De didascalia v. Dz. in Rh. M. 20, 574 sq. et 21, 68 sqq. — 7 ς *primo* vel *prima* ‖ 10 A *tertia*, γ III.

Sulp. Apollin. *Per.* 1 v. Opitz p. 210. 213 ‖ 9 *suam* Dz. (cf. Eun. 361) ‖ Opitz p. 209 *techinis* (cf. Luchs in Studem. Stud. I 65).

Pers. Nutricis nomen Canthara in sola act. IV sc. 1 inscriptione, qualem A exhibet, legitur (ς *nutrix anus* vel *nutrix*); v. Sp. in SB. d. bayr. Ak. Phil. Cl. 1883 II p. 258.

Prologus. De prologi priore parte disputavi in dissertatione inaugurali (De prol. Pl. et Ter. quaest. sel. 1863) p. 5 sqq. pro certo ibi demonstrasse mihi videor v. 7—9 huc prorsus non quadrare,

sed ex Hecyrae priore prologo fortuito illatos esse. sed ne eis quidem remotis oratio satis recte procedit, cum versus 11 sqq. ipsum versum 3 subsequi debeant, versus autem 16 versum 5 (v. 6 grammaticorum sapientiam redolet) ita tantum excipere possit, ut poetae aliqua mentio antecedat. proinde v. 4—6 post v. 15 transposui et ibidem lacunam significavi sic fere explendam: *Nulla ália graeca in eá scribunda hic úsus est.* versus 10 sine dubio, postquam v. 7—9 irrepserunt, ad transitum faciendum confictus est. alias Rtsch., quem l. c. p. 16 sq. secutus sum, medelas excogitaverat, nec vero eas lenes, alias autem Wa.h || 13 *ω sed;* corr. Btl. || 6 A *duplici;* ς A cor. r. *simplici.* is versus intellegi quidem ita potest, ut prologus dicat argumentum fabulae, quae cum duorum adulescentium amores contineat, ipsa duplex dici possit, non ex contaminatione, sed ex simplicis (graecae) comoediae argumento tale factum esse. sed cum haec nimis contorte dicta sint, grammatici potius alicuius (cf. Euanth. de com. sub fin.; Don. arg. Phor. et Ad.; in Andr. II 1, 1 cet.), quam Terenti ingenio ea deberi arbitramur atque cum Fl. al. uncis inclusimus || 18 A *f. h. e. i.; γ i. e. f. h.* (ita Btl.); Fl. *f. i. e. h.* || de v. 48—50 v. ad Hec. 49—51.

Actus I. 54 *ω quod;* Fl. *quom* || 55 *hoc* numerorum gratia ins. Dz. (cf. And. 31) || 63 *agrum* transp. Brugman p. 15 Buechelero suadente (*mel. n. mai. pr. agr. n. h.*); Fl. *in* om. contra usum sermonis comici || 65 *ser. com.:* subint. *habes* cum Wa. (cf. 142 sqq.) || 66 Btl. Fl. *It. t. att.;* sed cf. Conradt p. 119 || 72 *ω at enim; at* om. Bothe, Z. f. A. p. 1062 || 83 *ω meruisti;* corr. Fl.; D²(B)E *Ei mihi* pro *Eheu* (ita Um.). non extat alibi apud Ter. *meruisse* cet. || 98 *iam* ς A cor. rec.; om. Um. (cf. 104) || 102 *díutius* Dz. (cf. Rh. M. 33, 96 sqq.); vul. *diútius* per synizesim || 115 ς *putauit me et aetate et beniuolentia;* A versum om., sed cor. r. add. *Putauit me etate et sapientia;* vet. ed. corr. || 125 Btl. pro *uideo alios: inde alii.* distinctionem post *alios* Wa. sust., Dz. *fest. l. st.* coniungit || 129 *ω sunt; sint* T. Faber (v. Um.) || 137 Btl. ut numeris sane insolitis succurreret (cf. Conradt, Diss. p. 11), *carentem* vel *inops carensque* scribi voluit; lenius est *vel* sive *hac* ante *patria* inserere || 143 *ω* fere *exercerent;* corr. ante Palmerium (l. c. 841. 843) et T. Fabrum (v. Um.) Dion. Lambinus (Misc. ex libr. man. bibl. coll. Rom. II 415 sq.) || 145 A cor. r. *mercedem* et ita Fl. al. (*Aedis: mercedem*), sed nulla uoce addita parum liquet, aedis utrum uenalis an locandas inscripserit || 154 *quod* Btl.; *ω* fere *qui;* Bergk ap. Fl. *quom fit, ibi* || 158 Fl. cum DE¹ *maxime est* || 174 in A om. et item a Wa. Um. || 176 *ω tibi hic;* em. Conradt, Diss. p. 12 sq.; sine dispendio vel omittatur *hic* || 183 *magna* AD¹F²; cum cet. cod. om. Btl. Um.; *usque* om. cum F¹ Fl. al.; aut *inde a* aut *usque a* dicitur || 185 Btl. Fl. al. *esset amplius* || 187 aequabilitatis numerorum causa Fl. *hercle* post *atque* ins. || 192 pro *crederes* fort. *creduas* scrib.; *ω crederest* || 205 vul. *paulo ... tolerábilis* cum v. 206 coni.; corr. Wa. || 210 cum A al. cod. hic et 221 Um. *quod;* vul. *quid* || 216 Fl. ante *mod.* add. *ei* (sc. *adulescentiae*) || 219 *meus:* scil. *facit;* Fl. al. *meust* || 224 deest in A || 225 sq. Btl. et Um. seq. || 227 *ω potens* (fort. ex Ad. 502 huc illatum); *impotens* Bothe, Z. f. A. p. 1062 (at cf. Ad. 607); Btl. *petax;* Wa. *petens* || 228 *ei* in A¹ om. nec sane verborum contextu requiritur; *recte* adulescentis, non meretricis verbum est (aliter Wa.).

Actus II. Dubitari licet, num Clitipho post v. 229 ex scaena abierit, novus igitur actus exordiatur. — 232 *ω multae opiniones quae;* Fl. al. *multa eam opinionem quae;* Dz. *opinionem res* pro *opiniones;* Btl. *animo; ω aninum* || 237 fort. *stuc* scrib. || 238 *iam* Palmerius (l. c. IV 846 ex l. v. Stanaei) || 253 *ei* Bergk add. apud Fl. || 261 *ω expell.;* corr. Btl. || 276 *ω aperuit;* Btl. *aperit* || 283 L *cottid.;* rel. *cotid.* || 289 *ω esse* (pro *os*). Dietsch

apud Fl. lacunam post hunc v. stat.; Btl. *re interpolatam; os* Dz. dubitanter; cf. Ladewig p. 11 sq. ‖ 290 *pexus* A et Don. in Phor. I 2, 56; ς *passus* (cf. Phor. 106) ‖ ω *prolixus;* Btl. *promissus*, Fl. *prolixe et*, quod recepi *et* omisso; proinde ante *necl.* subdistinxi ‖ 297 ω *sordidam; horridam* Madvig, Adv. II 15 ‖ 317 Btl. *illa*, quo non opus est ‖ 333 *pulchre cedo quid hic f. s.* quod vul. (non ab Um.) receptum est om. altero *amicam;* D[1]G *cedo* om.; fort. scrib. *pulchre: hic quid f. s.?* ‖ 340 ω *hinc . . . reuortantur;* corr. Btl. ‖ 343 sq. verba *Syre!* (ad Syrum) *dic. m. u.* (ad Cliniam) dist. Conradt p. 41; *uerum* Dz. trib. Syro, qui antecedentia verba sua (v. 341 sq.) ita continuat ‖ 346 *porro tamen ..!* (scil. *frustra me orabis*) Dz. dist.; vul. *perge p. t.* uno tenore leg. ‖ 353 *te* om. A et δ ‖ 380 ω *o hominem;* Fl. om. *o* ‖ 382 *isti* (scil. *mores*) nominativum esse puto; fort. transp. *i. ut m. for.* (cf. Engelbrecht p. 37 sq.) ‖ 394 fort. *ab* del. ‖ 402 Btl. pro *esse habitum* scrib. *partes...duras*; Madvig, Adv. II 15 *habitu.* Bergk apud Fl. *turbas* pro *duras* et ita Fl. Wa.; sed cf. Madvig l. c. et Vahlen in Her. 15, 268 sq. ‖ 404 dubito an *Disperii* Cliniae, *Perii misera* Antiphilae sit; in A alia est distributio ‖ 405 *Cl.* notam Bergk apud Fl. add.

Actus III. 411 ς *ex me;* v. ad Phor.[t] 765 ‖ 444 ω *commeare;* Btl. *commetare* coni.; idem apud schol. Bemb. legitur ‖ 452 D et unus ex cod. Btl. *satrapas;* rel. *satrapes;* corr. Btl. ‖ 458 *sic hoc* sine causa sollicitatum a Madvigio Adv. II 16 et Conradtio p. 42 ‖ 461 ω *habui;* corr. Btl. ‖ 463 cum A corr. r. et δ Kellerhoff p. 77 *ita* pro *sic:* fort. recte (cf. Braune p. 41) ‖ 484 sq. Btl. ut a sententiarum conexu alienos cancellis saepsit; Thomas p. 25 solam vocem *quoique* in suspicionem vocari vult; fort. aliunde hi versus huc irrepserunt ‖ 489 ς *minitabitur* ‖ post v. 497 ω exhibent v. 509—511, quos Btl. suo loco restituit ‖ 500 Fl. Um. *ac* sust.; at cf. Ad. 510 ‖ 502 ω *adero;* Btl. *adsum*, quo concursus dactyli et anapaesti evitetur ‖ 505 contra APδ vul. cum Btl. *re in n.;* sed cf. Ad.[t] p. 96 ‖ 511 *nosmet* (pro *nos*) Hare (in adn.), sed cf. Engelbrecht p. 44 sq.; vet. ed. *illi inter n.* vel *illi sent.*, Engelbrecht *congruisse* ‖ 512 sq. *Hac . . . argentum* dicens eri sui verba Syrus repetit, ut non opus sit, quod vulgo factum est, cum Btl. scribamus: *inuen. es t.* ‖ 515 *adulescentis* Brix in Pl. Trin[3]. 359; ω *Cliniae;* Btl. *Cliniai;* Fl. *Quia Cliniae ille* ‖ 518 Dz. cum A *recte equidem* (sc. *me habeo*); *sed te m.;* vul. cum ς *recte. equidem te demiror.* servus ita loquitur, quasi senex, ut ille se haberet, interrogaverit ‖ 523 Fl. *ere* pro *hercle;* dubitanter cum Sp. I praef. XXIX *hercle* servavi ‖ *Sic, satis* Dz. subdist. (cf. Phor. 145) ‖ 526 ω *miserum;* Bothe[1] *au. misereque ar.;* idem deinde (Z. f. A. p. 1065) *misere atque* ‖ 535 ω *seruaret;* em. Schubert p. 12 sq. ‖ 540 ω om. *uel;* Fl. add.; Guyet et Btl. *Huic iam* transp. ‖ 541 ω fere *illaec;* Btl. corr. ‖ 543 ς *hinc* (ita Btl. Fl. al.) ‖ 551 pyrrhichicam mensuram genetivorum *eius*, *huius* cet. (vel *ĕĭs*, *hŭĭs* cet.) sat certis exemplis comprobare licet (cf. Eun. 131. 980; Phor. 113. 185. 483. 737 [?]); mediae erant hae formae inter *ēius* et monosyllabos genetivos *eis* cet. (v. Wa. in Burs. Jahr. III 809) ‖ 564 vul. cum ς *inserere; ingerere* def. Sydow p. 59 ‖ 572 *ut* ω om. praeter γ; *hinc* ponunt DG post *concedas*, cet. om.; *hinc* transp. Btl. ‖ 582 ς *pergin;* unde Btl. Fl. al. *Pergin? Sy. Hercle uer.* q. s. ‖ 583 ω *una* pro *ulla* (A *unacced.*); Dz. *ulla* (vel *illa*) dubitanter ‖ 589 sq. senarios Fl. dat Bentleio duce; ω *Syre* ante *qui* coll. ‖ 600 G *inceptat;* rel. *inceptet* ‖ 602 *ea* om. A[1] ‖ 606 ω *poscit qu.* vel *poscet qu.;* cf. Rh. M. 21, 315 sq.; e. c. ibi proposui *dabit* (sc. *Clinia*) pro *poscit;* nunc magis placet *possit* (vel *pote sit*), sc. *effici* (cf. 677. Phor. 303. 818. Ad. 568) ‖ 611 ex A locum restitui Rh. M. 21, 313 sqq. ‖ 613 in ω (praeter G) et vul. ab edd. Syro datur ‖ De Cantharae nomine v. p. XXIII ‖ 628 *domna*

scribendum aut certe pronuntiandum est; cf. Leo in Rh. M. 38, 3 ‖ 632 ς *id quidem ego, etsi t. n.*, et ita scribi vult H. Jordan, Beitr. p. 331; *id quidem ego, si t. n.* Btl. ‖ 639 Dz. *anu* (A *anutilli*); vul. cum ς scrib. *anui.* v. Ad.[t] ad v. 63; aliter E. Hauler in Ph. Rdsch. 1884 p. 681 ‖ 645 Fl. *quando;* Dz. cum Btl. *natu* indux.; Btl. *tu me es annis* et deinde add. *tanto es; eo sis* add. Dz.; cf. praeterea Madvig, Adv. II 16 ‖ 662 ω *Philterae;* corr. Fl.; an *Philtera est* (i. e. *ē*.) scrib.? ‖ 664 A om. *hac;* ς *me i. h.;* transp. Kellerhoff p. 84 et *tu* ante *me* ins. ‖ 666 A[1] *si ita res*, quod fort. servandum est ‖ 667 ω *tempus est;* Btl. *t. fert* ‖ 673 ω *tantum mihi;* Btl. (ex cod.) Fl. al. *m. t.* et idem Arus. Mess. p. 468 (cf. Schindler p. 11 sq. et Podiaski p. 27) ‖ 678 versus in cod. varie traditus ab aliis aliter constitutus est ‖ 688 Conradt p. 210 et Diss. p. 36 cum Btl.: . . . *da té mihī uic.* ‖ 699 Vel. Long. p. 77 hoc v. usus *miis*, non *meis*, antiquitus scriptum esse tradit (cf. Wilmanns, De Varr. lib. gr. p. 92) ‖ 708 Krauss p. 44 sq. ind. ‖ 715 ω *fortasse; fors* Guyet ‖ 731 ς *audistin* ‖ 739 D[1]G *huc n. t.;* A γ et vul. ed. *huc* om.; Dz. serv. et transp. *huc* ‖ 740 DG *transduc.*, quod fort. servandum est (cf. Phor. 2) ‖ 742 Bacchis Cliniam alloquitur, cuius amica esse apud Chremetem simulabatur; Syrus respondet se illi ipsius amatorem (Clitiphonem) nunc quidem reddere. Cliniam nihil prorsus ipsum dicere non consentaneum est neque usitatum eum plane tacentem de scaena abire; propterea verba *Sequere hac* adulescenti dedi. quae si Syri essent, eum non oportebat clara voce Dromonem evocare, sed Bacchide introducta mandare poterat quae volebat. fortasse Cliniae antecedente quoque versu vox *Minume* tribuenda est. ‖ 748 *nescies* Dz.; vul. cum ω *nescis* et cum ς *id quod.*

Actus IV. 752 Brugman p. 39 numerorum causa *aliquot hos dies* ‖ 761 Btl. Fl. al. *Bona.* CH. *Hercle non* q. s. sine necessitate ‖ 784 vul. praeter Um. *ego;* sed cf. e. c. Phor. 992 ‖ 798 ω *lauta et bene acta parte p.;* Bentleium cum aliis seq.; possis etiam: . . . *bene parta re p.* (cf. Phor. 788) ‖ 806 ω *quam;* corr. Fl. ‖ 810 A δ *omnes* ante *di*, γ ante *quidem;* Dz. transp. *deaéque omnés;* Guyet al. *omnes di deae* (del. *que*); Fl. Wa. . . . *deaeque ómnes quantumst, cúm tuo* | *Syre* ‖ 811 ς *cum tuo istoc* ‖ 813 *ibin* Btl.; A *is;* ς *in* vel *ii* vel *i tu* ‖ 818 ω *abisti;* Um. crucem praef. litt. *uisabisti;* Fl. *abin istinc? m.;* Schubert p. 13 sq. *sapiisti? m.;* ipse temptarim: *Quid . . . uis? an uisum mihi* ‖ 839 Btl. al. cum Eugr. *qu. m.*, *iusta iniusta, f. m.* ‖ 845 A *filium me ac fam.* (cf. Hec. 210, at vero item Heaut. 893) ‖ 848 Dz. cum A ins. *est* ‖ 853 Btl. Fl. *ita aiunt* Chremeti dant ‖ 854 A *desponderis* ‖ 856 haud scio an *id* tollendum sit ‖ 862 G *in ppetuū* (cf. 781); D[1] *in perpetuo.*

Actus V. 874 A γ *ita* pro *tam* (*per.*); cf. Braune p. 17 ‖ 890 *dum* add. Btl. ‖ 898 *eisdem* (vel *isdem*) (sc. *artibus, modis* vel *calliditatibus* ex v. 887; cf. *optumam* v. 677) Dz.; A[1] *isdem* (ut Eun. 35); ς *idem;* ita ea quoque offensio tollatur, quam Rein p. 55 sq. movit. de ellipsi v. ad v. 402 ‖ 902 *hisce* Dz. add. hiatus evitandi causa; vul. cum D[1]G *est mihi u. c. in aed.:* fort. recte ‖ 923 A *te* om.; Fl. al. *potis esse*, sed *potis* pro accusativo usurpare dubito (cf. Prisc. I 251) ‖ 931 A cor. r. *illec uero* in ras. 11 litterarum, quarum ultima A fuisse fertur; ς *illaec uere*; substituere possis *ipsi interea* ‖ 950 *ne* vul. om.; def. Conradt p. 117 et Warren in Am. Jour. of Phil. II 54 sq. ‖ 952 A δ F *pro ridiculo*, unde Rein p. 21 prop. *qui sibimet me pro rid.* (vel. *q. memet s. p. r.*); magis placeat *qui sibi me esse p. rid.* ‖ 968 A *recipies* (G *recipias*), quod fort. amplectendum est ‖ 978 in ω non est nova scaena; DG post v. 979 eam incipiunt ‖ 985 *id* Dz. om. cum A(?)D[1]G (cf. And. 711) ‖ 986 *in mentemst:* v. ad Ad.[t] 528 ‖ 993 vul. *ego* (pro *ergo*) sine necessitate ‖ 997 Geppert, Ueb. d. Cod. Ambr. p. 98 sq. versum ex A rest.; ς *namque*

adulescens quam in minima spe situs ‖ 999 *iam* Dz. ins. (γ *sciam* pro *scio*, quod mendum fort. ex *iam* vocula omissa et superscripta ortum est); vul. cum ς *anne*, quod alibi in altero tantum duplicis interrogationis membro positum invenimus. deinde *at* Dz.; ω *ac* ‖ 1001 versus in cod. varie traditus et ab aliis aliter temptatus est; ego A[1] scripturam quam maxime secutus sum ‖ 1002 ω *fidei nihil;* Btl. transp.; Bothe *seni* uncis incl. ‖ 1006 ς *oh pergin*, et ita vul. ‖ 1010 *integra* Dz.; ω *ad integrum; ad* ex ultima syllaba vocis *redeat* repetitum esse puto; vul. cum Lomano (Spec. crit. p. 89 sqq.) *de integro*. A *haec eadem;* Fl. *haec or*. ‖ 1015 interrogandi signum Dz. pos. ‖ 1018 sqq. verba *magis* ... *nam* ind. Klette p. 14 sqq.; Conradt p. 120 sq. versus 1018 sq., Bothe Um. versum 1020 del., alia P. Thomas (Rev. d. phil. III 153) ‖ 1019 Btl. *id* del. ‖ 1020 vul. inserto *esse* ante *natum* octonarius iamb. legitur ‖ 1021 Dz. *idem itidem;* A *et idem;* ς *itidem sit;* Btl. *id itidem s.* ‖ 1022 Dz. proscr.; ceterum totus hic locus (v. 1017—1022) aliquot etiamnunc dubitationibus obnoxius est ‖ 1030 AD *ex hoc;* rel. (G?) *hoc* (cf. Ad. 862) ‖ 1032 DG *ēē istos in te*, unde aliquis coniciat *caue istos in te*, ut v. 1032 etiam magis similis existat versui 1031 ‖ 1044 BC *incapiam*, unde Faernus *capiam;* DG *inueniam;* rel. *incipiam*.

Eunuchus. De didascalia v. Dz. in Rh. M. 20, 573 sq. et 21, 65 sqq. — 10 ω *secunda;* Don. *edita tertium est;* v. Dz. in Rh. M. 39, 345.

Sulp. Apollin. *Per.* 6 Sulpicio, si Terenti dictionem imitari volebat, *ut concederet* scribendum erat ‖ 10 *ut* ins. Opitz p. 202; vul. *intro iuit.* — Aliud argumentum, quod primitus metricum fuisse etiam nunc conicere licet, in nonnullis cod. (item in cod. 229 bibl. reg. Hafn.)[4] legitur: v. Um. p. 89 (Dz. in NJ. Suppl.-Bd. 10, 662).

Pers. Senis nomen a grammaticis tantum vel librariis inscriptioni V sc. 5 additum esse patet; cf. Sp. in SB. d. bay. Ak. Ph. Cl. 1883 II p. 259.

Prologus. 4 sqq. falsus est Rob. Sprenger, qui (NJ. 1879 p. 48) probante Fl. necesse esse autumat verba *si quis* ad *quemlibet* spectatorem referantur; generaliter enim dicitur, sed ita ut de certo quodam homine cogitari possit (cf. Phor. 51 *si quis me quaeret rufus;* 273 sqq. et similiter And. 192). hic igitur poeta, postquam v. 1—3 placidam suam mentem haud ambigue testatus est, Luscio Lanuvino adversario, qui post Heaut. prologum (cf. v. 30 sqq.) qualibet data occasione, fortasse in prologo alicuius fabulae, Terentium inclementius in se invectum esse conquestus erat — ita enim nobis putandum est —, apte respondet, novis insuper in eum additis opprobriis (v. 9 sqq.). quapropter et v. 4 *in se* recte se habere (Sprenger l. c. *inde* et Fl. *hinc* ... *existumabit* prop.) nec v. 5 *existumabit* (ita Fl. cum vet. ed. pro *existumauit*) in sententiarum conexum quadrare arbitramur; prologo enim, si versus 4 sqq. ad ea, quae deinde sequuntur, spectarent, *tum si quis erit* dicendum erat ‖ 9 ω et Don. *nunc nuper dedit*, quod post v. 4 sqq. parum inclementer dictum esse videtur; *nuper perdidit* Bothe ‖ 33 ω *fabulas* pro *ab aliis;* Rtsch. (Par. 103 sq.) corr.; cf. Conradt, Diss. Thes. II ‖ 35 fort. *his* (*personis*) pro *huic* scrib. ‖ 38 Dz. incl. auctore Lomano, Spec. crit. p. 84.

Actus I. 46 vul. *non eam? ne* q. s.; at cf. Vahlen (Ind. l. hib. Ber. 1883/4 p. 6 sq.) ‖ 51 Dz. cum BC *gnauiter;* vul. cum rel. *nauiter* ‖ 65 de distinctione v. Vahlen l. c. p. 8 sqq. ‖ 67 *mehercle* trisyllabe ut v. 416 et Pl. Rud. 1365; Btl. in adn. *ea una;* Fl. *illa una* ‖ 70 ς *ei ultro;* Btl. al. *ultro ei* ‖ 71 Dz. in fine dist; vul. post *taedet* interp. ‖ 87 *stabas hic* Fl.; ω *hic st.;* ante *intro* ς *recta* (vel

4 Inde lacunae ed. Umpf. sic supplentur: ... *re itaq; cognita cū illusam se meretrix* q. s.

recte) ‖ 106 ς praeter GL[1] *taceri* ‖ 113 ω *potuerat;* corr. Btl. ‖ 129 priorem v. partem ω Phaedriae, posteriorem Parmenoni (v. 130 sqq. Thaidi) trib.; corr. Fl. ‖ 131 *ĕius* (vel *ĕis*): v. ad Heaut. 551 ‖ 132 *esse* Btl. add. (cf. Barth p. 28) ‖ 145 BE A cor. ant. *cupio* (cf. And. 837); rel. (cum A[1]) *cupiam* ‖ 149 *beneficium*: *benf.* pronuntiandum est ‖ 155 ω *haut* vel *aut;* G ex ras. *at*, et ita Btl. al. ‖ 160 A δ *nisi* (om. *si*) ‖ ω *pl. am. q. me;* transp. Btl. Fl. ‖ 163 AG(D[1]?)L *numubi*, γ *nuncubi;* Fl. *numcubi* ‖ 178 de dist. versus v. Vahlen (Ind. l. hib. 1883/4 sq. p. 10) ‖ 184 '*aut*' *nil moror* (i. e. *non curo*, *neglego*) Dz.; vul. *aut? n. m.* ‖ 188 deest v. in A (in marg. add. cor. rec.); proscr. Hoelzer p. 5 sq. et Braune p. 14 ‖ 190 *mea* Brix, De Ter. fab. em. (Liegnitz 1857) p. 17 ‖ 197 ω *hic mihi;* corr. Haupt in Her. 5, 176 sq.; Btl. Fl. al. *forsan.*

Actus II. 212 A *qui . . . . . tum;* ς *quin effectum;* Btl. *quin factum* ‖ 214 Fl. *illum* (pro *istum*): fort. recte ‖ 217 ω *et* in fine; del. Fl. ‖ 219 ω *adigent;* Btl. ex Don. (var. lect.) *adiget* ‖ 230 Um. cum A *egomet turp.* ‖ 240 Wa. cum A *esset* ‖ 261 *ibi* Fl. incl., def. Conradt, Diss. p. 32; (cf. 1012) ‖ 267 ω *Thaidis* metro reluctante; *meretricis* Muretus, *Θαΐδιον* vel *Thaïdii* Bothe[2]; *Thainis* Sievers (Act. soc. philol. Lips. II 79), quod ipsum exhibet cod. O Donati ad h. l. (*Thaidis: et Thainis legitur*). attamen recte observatum est verbum *stare* vel *astare* (seu participium) desiderari; ita Btl. *opperiri* coni., E. Brunér (Quaest. Ter. Helsingfors. 1868 p. 85 sq.) *eius astare*, Hauler p. 4 sq. *huius stare*, Warren (Amer. Jour. of Phil. III 482) ex Btl. notis (post editionem scriptis) *stare eius*. *hoc astare* Dz.; dubito enim num Parmeno, qui v. 207 sqq. ex adulescentis domo exierat, tunc temporis ante Thaidis ipsius aedes steterit ‖ 268 ante *hom.* in A (non 1. m.) sup. scr. *his*, unde Btl. *hice hom.* om. *est* (Fl. *hisce*) ‖ 275 vul. interp. post *dic.; hoc* ablativum esse puto ‖ 282 *i* Um. ex A; idem *i nunc: t.;* Dz. *i: nunc t.* ‖ ω *hae:* v. ad And. 328 ‖ 286 ς *tu* om.; add. Um. cum A cor. r. ‖ T. Faber (v. Um.) *eho* eiec. ‖ 290 Fl. Um. cum ed. vet. *qui;* at cf. Plaut. Bacch. 528 sq. ‖ 294 in fine interrogandi signum poni potest ‖ 300 ς *dices* ‖ 303 A *qui ei r.*, unde Sp. ad And. 344 *quei* elicit ‖ 307 ω *ostendes;* Btl. *ostenderis;* A *te P. te ost.;* ς *te* vario loco exh.; Thomas p. 12 *tu ostendes te* probabiliter ‖ 312 *est* in initio Dz. (idem *res* pro *res est*); ω *si* (ex *st* ut puto ortum omissa initiali littera; *est* in marg. a correctore additum falso loco in textum irrepsit. ceterum ω ante *si* Parmenonis notam praebent, quo unius litterae iactura vel probabilior fit); Btl. cum Don. *siue* (ex var. lect. om. *siue*); Wa. *siue* cum lacuna ante h. v.; Fl. *sic;* Braune p. 36 sq. *haec* sententiae quidem apte ‖ 319 *nunc* G. Hermann (Elem. p. 183) ins. ‖ 320 dubito an inserto cretico (velut *qua uia*) ante *mea* octonarius reddendus sit; neque enim hic versus, sed v. 321 sq. transitum parant ad aliud genus metricum ‖ 325 Btl. Fl. al. *auersae* (vel *auors.*) ‖ 326 ς *quid . . . scel.* servo, *perii* adulescenti dant: fort. recte ‖ 361 interrog. sign. post *hanc* Dz. pos. ‖ 362 *ut* melius tollatur ‖ 370 Um. cum A[1] *tu* om. ‖ 386 Dz. cum ω *haec* (sc. *facinora*, qualia antea significantur); vul. cum T. Fabro (v. Um.) *hoc* ‖ 390 *sequere* fort. Chaereae continuandum est.

Actus III. 394 A *hoc* (cf. ad And. 386 et Engelbrecht p. 70); cor. ant. et ς *huc* ‖ 402 Fl. al. interrog. sig. post *gestare* pon. ‖ 406 post *animo* Dz. leniter dist. ‖ 415 Dz. *hábĕs;* vul. *habés* ‖ 426 ς *et pulp.*, , unde Btl. al. *et pulmentum; hăhahahae* Dz. coll. v. 497, Heaut. 886, Hec. 862; vul. cum ω *hāhahae* (DLF *ahahae*) ‖ 442 AE *comm.;* sed v. Ad.[t] ad v. 783 ‖ 460 vul. contra ω *ubi . . . moror* militi dantur; sed Thais militem alloquitur (cum ω iam Um.); *nil* pro *non* Kellerhoff p. 82 sq. ‖ 463 *hodie* vul. cum sequ. iung., aliter Dz. (alludit ad sc. II act. I) ‖ 490 Dz. cum DGL *ads. huic an.;* Umpf. cum A γ *huic an. ads.;* Btl. (ex cod.) Fl.

huic ads. an. (cf. A. Funck in NJ. 1883 p. 487) ‖ 496 Btl. *simia es;* Fl. *simiu's* ‖ 502 sq. ω *maneat . . . redeat* inverso ordine; corr. Btl. (cf. v. 532 sqq.) ‖ 509 in fine cum Um. subdist.; vul. v. 510 cum sequente conectunt ‖ 519 ω *r. S. e. h.* (A pr. m. *Suni;* ϛ *Sunii*); *Suni* scribendum esse Luc. Müller (Q. Ennius p. 196 sq.) recte monuit (cf. Lucr. VI 585); Mül. transp. *S. r. e.* vel *r. e. h. S.;* mihi hoc posterius vel *r. S. ego ecquod* magis placet ‖ 539 sq. Dz. post *diem* subdist.; vul. post *Piraeo* dist. ‖ 546 Btl. Fl. ex Don. (lem.) *quid hoc ornatist?* Um. ad cod. scripturam rediit ‖ 560 ω *dies hominis amice salue*, sed in initio v. 561 A cor. ant. *hominum* sup. scr. et ϛ exh. *nemo est omnium*, unde dubitanter et magis exempli gratia *hominum omnium* in exitum v. 560 transposui (om. antea *hominis*, quam vocem ad exemplum v. 546. 696 al. illatam esse puto). quin versus troch. septenarius sit, cum antecedat octonarius troch. et iamb. octonarius subsequatur, haud dubitaverim; *o* interiectionem cum nominativo coniungi non potest probari ‖ 570 Um. cum AG *dum* (cf. Heaut. 229); rel. *tum* ‖ 577 sig. interrog. Dz. add. post *tamen* ‖ 587 in fine Barth p. 11 sq. graviter interp. et post v. 589 exclamationis sign. posuit ‖ 589 Btl. al. *pluuiam* (Fl. *pluuium*), sed cod. lectionem recte tuetur Koenighoff p. 8 sqq. (cf. Gell. X 15, 8) ‖ 591 Dz. cum LD¹(?) *hoc hom.;* rel. *hom. hoc* (ita vul.); Dz. *feci* incl. (cf. And. 337); T. Faber (cf. Btl.), Bothe² *faciam;* Btl. *fecerim* (praestet *faxim;* cf. Ad. 887. 896); pro *ita* Bothe *item* ‖ 593 *in lecto illae* Dz. cum DL; A *in lectulo;* rel. *in lectum illae*; Sp. ad And. 129 *in lectum* (accus.) commendat (cf. Heaut. 689 A¹) ‖ 595 vul. cum A δ *lauamur;* Sp. ad And. 483 *lauamus* ‖ 609 FP (item Btl. Fl. al.) verba *sed . . . properemus* Chaereae dant.

Actus IV. 618 *ille* num primam, si accentum fert, corripere possit, dubito (nisi si in initio versus fit ut Ad. 863); fort. *cont. ille* transp. ‖ 622 Conradt p. 149 cum Btl. et Don. in lem. *occipit;* A *ilico;* ϛ *incipit* ‖ 624 Btl. *puer, i:* fort. recte ‖ 625 *exclamat* Guyet proscr. ‖ 631 sq. ω *in pei. p.:* transp. Btl. ‖ 644 haud scio an verbum *perii*, quod ϛ Pythiadi continuant, Doriadi tribuendum sit ‖ 654 ω *uirginem quam erae;* vul. cum Lachmanno (in Lucr. 412 sq.) *uirg. er. qu.; uirginem* transp. Conradt p. 158 sq. (cf. Podiaski p. 40) ‖ 662 *hinc* Btl. ins. ante *ille*, Dz. post *ille;* Fl. *quo illic;* sed cf. Engelbrecht p. 69. Conradt p. 159 sq. trochaice *quo ílle* ‖ 671 ω *quid uestis;* transp. Btl. ‖ 681 AEL *nec* pro *ne* (item Prisc. II 73): fort. recte, cum antecedat tale enuntiatum, cui similis sententia adiungatur ‖ 690 versus affirmative quoque potest pronuntiari ‖ 697 de hiatu (ante *Ita*) vid. Sp. I praef. XXXII; nisi forte *Itane* (affirmative) scribendum est ‖ 699 sq. verba *nec . . . dicier* om. AB¹P¹; Btl. *igitur* voce om. unum versum effecit ‖ 704 vul. post *belua* leniter dist., ut Phaedria ancillam allocutus esse videatur. sed ad Dorum conversus verbis *age n. b.* praeparat repetitam inquisitionem ‖ 706 dubito an *istinc* (vel *istim huc*) scribendum sit; nam eunuchum ad Phaedriam propius accedere v. 712 et 715 demonstrant, ubi hic demissa voce illum alloquitur (cf. 1068) ‖ 710 ω *credis;* Btl. *credes* ‖ 711 *tu* Btl. cum ϛ et A cor. ant.; vul. om. ‖ ω ap. Um. *credas;* G. Fabricius, Btl. *credis* ex cod. ‖ 716 rec. ed. cum Bothio² *hinc quo modo* sine necessitate ‖ 720 vul. cum ω *faciendum;* alibi apud Ter. semper *faciundum* cet. ‖ 741 *ego* Btl. del. ‖ 745 *quaeso* Btl. (ex lib. man.); ω ap. Um. *quasi* ‖ 749 cum γ Btl. Fl. *dono do;* δ *do* om. ‖ 750 *tibi* cum Btl. incl.; Fl. al. *tibi ita ut* ‖ 765 cum Um. cod. A seq.; vul. cum ϛ . . . *TH. Mane. CH. Omitte, iam adero.* ‖ 766 non minus bene ϛ *esse illam tuam* ‖ 779 A *fieri non posse* ‖ 782 ex cod. (praeter GL (B?) Don. in lem.) Um. *ipse;* vul. ed. *ipsus* ‖ 788 versus vul. ut troch. septenarius legitur; octon. iamb. eum esse Schlee p. 72 mihi persuasit ‖

793 A *mihi dies* (ita Fl. al.); at cf. Rein p. 17 sqq. ‖ 800 Becker in Studem. Stud. I 280 *habet* praefert ‖ 810 *ω satis;* Fl. *sat;* Btl. *hoc* om. ‖ pro *idem hoc* A pr. m. *quid nunc* ‖ 814 Dz. cum A[1] *uti;* vul. *ut.*

Actus V. 825 vul. cum aliq. cod. *certo; certe* Um.; idem def. Langen p. 24 (coll. Heaut. 726) ‖ 832 Fl. Um. al. *lupó commisti;* Dz. cum *ω lupŏ cómmisisti* (de caesura cf. Conradt, Diss. p. 6) ‖ 839 D²G²E² (item L) ante *non* meretricis, ante *tum* ancillae notam add.; Fl. *tum autem* (om. *non est*); Um. *non est? tum* q. s.; Dz. *tum* incl.; fort. ex '*non est*' eliciendum: *non?* (cf. Heaut. 894; Ad. 661) Th. *St.!* Py. *Quae* cet. (Thaidis nota in A littera E est) ‖ 844 *ω* (G?) *egomet* (ita Conradt, Diss. p. 9); Btl. cum ed. vet. *ego me* (cf. Phor. 190; Pl. Capt. 121 et Brix ad h. l.) ‖ 847 Madvig, Adv. II 14 *rui* pro *fui* (malim *perii*, i. e. *Pii*) ‖ 859 AP(F?) *inuolem in* | *capillum monstrum;* rel. cod. ap. Um. *inu.* | *in cap. mon.* (L *in* om.); Fl. *inu.* | *monstro in cap.* (cf. Conradt in Herm. 10, 107) ‖ 874 *malo pr.* ablat. absol. est, omissus a Bombio (De abl. abs. 1877) p. 22 sqq. ‖ 898 D¹L *post hoc:* fort. recte ‖ 907 *ω* alteram versus partem Thaidi dant; Dz. ancillae trib., cum sententia enuntiati a ratione, quam Thais inierit, abhorrere videatur ‖ 919 Dz. verba *si dis placet* cum eis coni., quae sequuntur; vul. ante *si* leniter interp. ‖ 928 *ω eam;* Btl. corr. ‖ 936 Guyet et Btl. proscr. ‖ 952 Dz. cum A *hinc ciuem;* vul. cum *ς ciuem hinc* ‖ 956 *ω atque equidem*, unde Btl. al. *et quidem* (om. *atque*); cf. Jordan, Beitr. p. 332 ‖ 966 *γ a te:* ita Btl. Fl. al. (*abs te* potius expectes); sed et *ex* et *ab aliquo oriri* usurpatur (cf. Ad. 443) ‖ 978 ELF *salue;* rel. *salue*, et ita Btl. Sp. ad Andr. 804, cum vul. *saluae* (sc. *res sunt*) praeferant. equidem *satine salue* (sc. *est* vel *res se habet;* cf. *recte*, *optume* al.) et melius traditum esse puto (cf. Pl. Stich. 8; Trin. 1177) et aptiorem explicationem praebere; nam per se illa ellipsis insolita esse videtur (non magis illo tempore velut *secundae* pro *secundae res* usurpatum est) et *salua res est*, non *saluae res sunt*, formulae instar dicebatur; aliter iudicat Georges in NJ. 1878 p. 830) ‖ 980 *hŭius:* v. ad Heaut. 551 ‖ 1012 *ea* incl. Fl. (cf. 261), def. Conradt, Diss. p. 32 ‖ 1019 Madvig, Adv. II 14 verba *uerum reddam hercle* haud improbabiliter Parmenoni continuavit ‖ 1021 A *qui stultum ad. nob.;* item *ς*, sed D(B) *stultum istum*, EL *istum* pro *stultum.* versum ex cod. memoria numeris claudicantem Btl. sic temptavit: *T. i. p., stulte, qui ad. n.*, Conradt p. 25 et Diss. p. 18 incorrectum reliquit. Dz. prop. *adul. ist. qui* (om. *stultum*) ‖ 1031 A *δ* inscriptioni scaenae Phaedriae personam addunt unamque scaenam praebent usque ad finem fabulae pertinentem ‖ 1039 A *clientellam*, ut Hec. 52 *tutellam;* at Ad. 793 *ω corruptela* ‖ 1049 in *γ* nova scaena est ‖ 1056 A pr. m. *conlibuit;* E *γ collibuit* ‖ 1062 corr. Fl. (cf. Conradt, Diss. p. 12) ‖ 1068 Dz. cum A *audiamus* Chaereae trib.; in *ς* est Phaedriae ‖ 1074 D pr. m. L *ut;* rel. *et* ‖ 1076 A pr. m. *suppeditari;* cor. r. cum *ς* — *are;* *ω possit; possint* Btl.; idem v. 1077 *omnia h.* (*ω ad om. h.*, et ita Sp. And. p. XXIX et Conradt p. 210). fort. leg. *suppeditare possis s. s. t.* | *Ad. omn. h.* ‖ 1087 Nonius p. 33 *hunc uobis comedendum et bibendum et deridendum prop.*, unde Btl. effecit *hunc com. et ebib. uob. prop.* (ita Fl. Wa.); sed aptius duo illa commemorari videntur, quibus miles adulescentibus ex usu esse possit, fore ut et prolixe ab eo accipiantur et pro viribus eum derideant.

Phormio. De didascalia v. Dz. in Rh. M. 20, 575 et 21, 70 sqq. Cod. A fragmentum tantum indicis servavit. — 1 A *Ter. Phor.* (hoc nominum ordine) exhibet, ut in Hecyra et Adelphis, aliter atque in Eunucho et Heaut.; quam diversitatem non ausus sum tollere.

Sulp. Apollin. *Per.* 3 *ς ac* (ita Fl. Dz.[1]) ‖ 7 *cum ω* in initio v. 8

exh.; transp. Fl.; *uisam cum* Opitz p. 213 sq. ‖ 12 *adgn.* Dz.[1] cum ACD.

Prologus. 2 *transdere:* v. praef. p. XIV adn. ‖ 15 versus a Guyeto, Ihnio (Quaest. Ter. Thes. 15), Rtsch. (Par. 551 adn.) in suspicionem vocatus a Fl. primo uncis inclusus est; offendit maxime *diceret* (pro *scriberet*) ‖ de v. 18—34 in cod. A v. praef. p. X ‖ 21 A *id sibi esse;* ς *sibi esse id* (ita Um. et Sp. I p. XXIX); *id sibi* Fl. al.; *sibi esse* Dz. ‖ 23 interrog. signum vul. in fine positum Dz.[1] sustulit.

Actus I. 42 ω praeter EL *divitioribus* (cf. Fl. in NJ. 1870 p. 72 sq.) ‖ 57 ω add. *et* in fine; del. Fl. (cf. Luc. Müller in Lucil. frg. inc. 129 et Conradt in Herm. 10, 106 sqq. ‖ 77 *istaec:* vel *scapulae tuae* (v. Dz.[1] ad h. l.) vel *quae dicis.* in A[1] alia est personarum distributio; Btl. et Fl. Getae v. 77 sq. contin., Fl. ex Anon. de gen. nom. p. 100 H. (= Gr. Lat. V 591) cod. Vind. *nam quae* rec. ('*nam . . . calces!*'). possumus et *nam quae* legere et a *namque* Getae verba incipere ‖ 82 pro *amare* Arrunt. Cels. *ardere* legit (v. Um. et cf. Donati arg. in Phor. p. 362, 28 Kl.), et ita Hauler p. 7 sqq. post Wa. suadet (v. ed. Plant. ad h. l.) ‖ 88 A cor. r. et ς *ei loco* (D[1] *in loco*). *exaduorsum* absolute ponitur v. 97. Ad. 584. Pl. Bacch. 835, ut dubitem dativum addere. fort. *eilico* scrib. ‖ *ĕius* (vel *ĕis*): v. ad Heaut. 551 ‖ 146 hiatus ante alius personae verba (cf. v. 542. 963); aliter Conradt, Diss. p. 35, Brugman p. 24 ‖ 152 ς *huc* (cf. ad And. 386).

Actus II. 155 ς *eum exp.* ‖ 156 vul. cum Btl. *est* om. et troch. octon. metiuntur; Schleeium p. 16 sq. sequor ‖ 171 Dz.[1] cum A *quo;* vul. cum ς *quocum* ‖ 172 Rein p. 21 sq. cum Acr. in Hor. serm. I 1, 3 *nosmet nostri* ‖ 175 ω *retinere amare amittere;* Bothe[1] *amorem an m.;* Um. cum Eugr. *an uero am.;* Dz.[1] *eam anne am.;* pro Phaedriae condicione *mittere* aptius dicitur quam *am.* ‖ 176 A[1] *eius* om.; Guyet Btl. Um. cum F[1] *ius;* magis placeat *huius* ‖ 179 oct. troch. cum Um. dedi; Fl. *núllu's, Geta, ni . . . réperies* (troch. sept.), sed *ni* pro *nisi* contra usum Terenti est. Conradt p. 124 sqq. iamb. oct. versum esse vult. (*nullŭ's . . . réperies*); cod. *repperis* vel *repereris* (*repp.*) ‖ post v. 181 vel 182 And. 208 in cod. repetitur. ipse v. 182 a Conradtio p. 126 sq. et ab aliis ut ad exemplum Hec. v. 575 sq. confictus in suspicionem vocatur, quorum angumenta etsi non omnia probamus, offendit tamen, quod verba *ad hanc rem* (v. 184) multo aptius ad v. 181 quam ad v. 182 referuntur ‖ 185 *ĕius:* v. ad Heaut. 551; oct. iamb. statuit Schlee p. 29 ‖ 186 vul. troch. sept. metiuntur (*lóquăr? inc.*); cod. lectionem revocavit Conradt p. 45. 127 ‖ 191 Btl. *nam* add. (item Conradt p. 18); contra v. Schlee p. 20. 29. A[1] praeterea *hinc* (cor. r. *hic*); fort. *quam hic hinc* leg. ‖ 192 AFG[1] *uiam* (ita Fl. Um. Dz.[1]); sed cf. Barth p. 18 sq. ‖ 195 *sanusne es* Conradt p. 128 sq. del.; eundem in dimetiendis v. 194—196 seq.; alii aliter eos digesserunt (praeter edit. cf. Schlee p. 30) ‖ 199 Um. cum A[1] *et patruom* (cor. r. subpunx. *et*), quod Sydow p. 34 defendit coll. Plaut. Trin. 111 (cf. Hauler in Wien. Stud. 1882 p. 322 sq.) ‖ 214 sq. in verborum distributione cum Um. A secutus sum, cum sententiarum conexus vel aliam admitteret ‖ 215 A *sed hic quis;* sed cf. O. Seyffert, Stud. Plaut. (1874) p. 26 sq. ‖ 227 *ea nunc* Rein p. 66; Dz. ante *ea* subdist. ‖ 235 verba *atqui . . . cura* Lachmann (in Lucr. p. 210 sq.) al. cum F Phaedriae dant ‖ 240—242 in A desunt, et sane v. 240 sententiarum conexum interrumpere videtur; cogitabam igitur de v. 240 vel eiciendo vel ante v. 239 transponendo. atque iam Um., Anal. p. 21 sq. alterum utrum ex his sufficere monuit. idem l. c. totum hunc locum (240 sqq.) tractans de fide v. 243 valde dubitat. ego uncis eum inclusi, et cum antiquitus additum eum esse censerem, cod. Ter. scripturam servare malui quam Ciceronem sequi, ut vul. fit, qui Tusc. disp. III 14, 30 versus 241—246

affert (*p. d. peregre r. s. secum c.*); cf. Barth in NJ. 1884 p. 180 ‖ 245 Btl. al. ex Cic. l. c. *C. e. h.*, *nequid horum umquam accidat animo nouom.* cod. Ter. scripturam revoc. Dz.[1] et F. Schmidt in Herm. 8, 482 sq. ‖ 246 A *eueniet;* versum suspectum esse Conradt p. 124 censet ‖ 247 *est* (vel *st*) Btl. sust. (cf. Becker in Studem. Stud. I 235 sq. et Charis. p. 207) ‖ 249 A δ *mol. esse; γ mol. mihi esse usque* vel. *est usque;* Btl. *molendumst*; Um. *mol. usque;* Barth p. 31 sq. caesurae legitimae defectu offensus coni.: *mol. usque in p. erit, plorandum, h. c.* ‖ 259 vul. cum ς *o artif.*: fort. recte; Um. om. *o* cum A ‖ 265 Btl. Dz.[1] cum AL[2] *un. quom noris;* ς et Don. *un. cognoris,* quod Thomas p. 13 def. coll. Heaut. 487 ‖ 266 ω *defendendam* (fort. ex v. 225 huc illatum); corr. Palmerius (Grut. Thes. IV 851; cf. Conradt p. 148); possis etiam *ille ad eam defendendam adest* ‖ 284 A[1] *ibistup.; δ ibi obst.; γ ibi* om.; Fl. al. *illic obst.;* Engelbrecht p. 69 cum Btl. *ibi obstupĕf.;* Rtsch. in Op. phil. II 619 *subito stupĕf.;* malim *totum ibi st.* ‖ 302 ω *dixti;* vul. transp. *hui, díxti;* Um. secutus sum.

Actus III. 328 del. Dz.[1] (cf. v. 605) ‖ 330 *tennitur:* v. praef. p. XIV ‖ 337 Btl. al. *pote* pro *potest;* aliter Sp. I p. XXV, Conradt p. 111, Barth p. 17 ‖ 354 in DG post v. 356 legitur, in D quidem a pr. m. post v. 355 revocatus; ibi eum Btl. al. coll. ‖ 356 Btl. in suspic. voc.; ceterum hic et v. 389, 390 (bis), 740 ω et Don. (Um. fallitur, si quid video, quod Don. *Stilponem* exarare memorat) nec non Don. in arg. fab. aspiratam litteram *ph* praebent; idem ex v. 390 apud Cic. or. 47, 157 legitur; vul. ed. *Stilpo* ‖ 368 vul. cum ω *ut narras.* Dz.[1] *ut* sust., *atque* comparative dici arbitratus (cf. And. 841; Plaut. Bacch. 549) ‖ 373 ω *tandem;* vul. cum Btl. *tamen* ‖ 386 Um. cum A recte *hem* om. ‖ 388 Um. cum A *nosses; ς noris* et ita vul. ‖ 394 *malfac.* Rtsch. Op. II 721 ‖ 404 versus Btl. spurius esse videtur ‖ 406 ω *adipiscier;* corr. Btl. ‖ 423 L *ducendi* pro *ad ducendum:* fort. recte; A *ducenda*, D *ducendū* ‖ 441 in A non est nova scaena, sed satis vetustam esse scaenae inscriptionem nota DV (deuerbium) testatur, quam unus P codex in hac sola scaena servavit (cf. Rh. M. 29, 54) ‖ 456 A δ cum L *inceptum est* (ita Um.); Ad. 275 *turpe dictu* ‖ 476 Langen (NJ. 1882 p. 768) *Ph. se item;* sed comp. cum aliorum verborum simillimas structuras, tum Apul. met. X 28 *talem parentem praebuit qualem exhibuerat uxorem,* quem locum C. F. W. Müller amicus mihi suppeditavit ‖ 479 Dz.[1] cum δ L(A[1]?) *dixi;* vul. *dico* ‖ 483 *ĕius:* v. ad Heaut. 551. Fl. troch. septen. praebet: *nam eíus per unam* q. s. et item Conradt p. 204, cum Schlee p. 15 octonarium iambic. flagitet ‖ 491 in ω Getae oratio post *capiti* incipit. versum, qui et coniecturis et interpretationibus multum vexatus est, ex Fl. rec. dedi, cum prius paulo aliter interpunxissem (...*capiti. idem* q. s.). de interpretandis verbis v. Jo. Schneider, De prov. Pl. Terque (1878) p. 9 sq.; Conradt p. 25. 139 sqq. locum valde mendosum et gravissimis tantum medelis sanandum esse putat (cf. eiusdem diss p. 17) ‖ 492 ς *dum* om.; item Conradt p. 139 et Schlee p. 59 sq. ‖ 498 ω *neque prec.;* rhythmi causa praetulerim *nec* ‖ 500 A *ut me ph.;* L *me ut fal.* (fort. recte); D[1]G *me* om. ‖ 501 ω praeter G[2] *ueris* (ita vul.): *uerbis* def. Barth in NJ. 1884 p. 179 ‖ 502 ω *neque; atque* Wa.; Dz.[1] verba *neque* ... *malum* (ut ex Ad. 610 sq. conficta) proscr.; atque vel recepta illa coniectura repugnat hoc enuntiatum ei quod sequitur (*o fortunatissume Ant.*) ‖ 507 cum Btl. al. versum uncis inclusi (cf. 176); def. praeter Um. Ladewig p. 13 et Fritzsche, De gr. font. Ter. II 6 sq. ‖ 508 DL *mihi istuc;* Rein p. 64 haud improbabiliter *istuc mi ipsum* ‖ 515 Um. cum A *obtundis; ς obtunde* (G cum ras. post *e*); *obtundes* Fl. ‖ 521 post *haec* interp. Wa. cum vet. ed. (cf. Sp. II ad v. 44) ‖ 524 ς *istuc:* recte, ut videtur; cf. Luchs, Com. pros. Plaut.

I 13 ‖ 528 vul. leg. cum Lachmanno in Lucr. p. 116 contra ω *decipi* (cum hiatu post *uero*); *decipis* def. Sp. I p. XXXIII ‖ 538 ς *experiamur:* fort. recte, ut hoc enuntiatum cum v. 537 arctius coniungatur ‖ 546 fort. *quód ómnibus n.* acuendum ‖ 555 cum A. Kochio, Exerc. crit. (1851) p. 33 Fl. verba *saluos . . . opinor* Antiphoni trib. ‖ 559 Btl. *hinc* cum cod. vet. om. et *auferte* scrib. (sc. *manus*) coll. Ad. 937; prob. Conradt, Diss. p. 25 et Podiaski p. 64 (*auferte hinc*). sed cum *hinc*, quod apud Um. ω exhibent, tollere violentius sit, *auferte hinc* autem parum apte dicatur, in arcta vocularum *aufer te* coniunctione excusationem acuendi spondaici verbi quaerendam esse puto.

Actus IV. 589 A *neque adeo defitiscar umquam exp.*, quod def. Vahlen apud Sydow. p. 9 sq. substituta activa forma *defetiscam;* ς (om. *adeo*) *umquam ego exp.* (D[1][?]G *adeo* pro *ego*); vul. cum Prisc. I 514 et II 251 leg.; similiter solus L exh. *neque defeciscar usquā adeo exp.* ‖ 604 A *instiissi*, unde Dz.[1] *institi is si;* vul. *institui is si* ‖ 609 *hosce* del. Btl. ‖ 611 sq. personas dist. Conradt p. 47 cum A cor. r.; vul. cum ω (praeter A cor. r.) totum v. 611 Chremeti tribuunt, v. 612 autem (*ita . . . facta*) Getae. minus probandum est, quod Conradt l. c. *ita* cum sequentibus coniungit ‖ 618 Dz.[1] cum A *is q. i.* Demiphoni trib.; vul. cum ς Getae dant ‖ 631 ω *eius; ei* Btl., quamquam *eius* tolerari potest ‖ 633 Um. cum A om. *dic* ‖ 667 *porro* Dz. exempli causa add. (cf. Heaut. 838); ς *pone sane;* Fl. transp. *his r. inq. p. s. d. m.;* Btl. om. *minas* et add. *alias* sic: *his r. al. p. s. i. d.*, et paulo aliter Luchs in Studem. Stud. I 64 sq., sed *alias* post v. 663 iterare minus placuit ‖ 670 *filium* cum A[1] Sydow p. 34 sq. et Engelbrecht in Wien. St. 1884 p. 216 ‖ 687 ω *di deaeque* metro repugnante; Btl. del. *que*, quem nunc sequor; cf. Conradt in Herm. 10, 108 et Leo in Rh. M. 38, 12 ‖ 690 A[1] *uolnus* (mut. cor. r.) ‖ 693 et 700: cf. Thomas p. 34 sq. ‖ 707 vul. *in inpl.* contra ω cum Guyeto (Btl. confert Pl. Amph. 1108). traditam lectionem tuentur Koenighoff p. 8 sqq. et Sydow p. 20. potest sane ex Eun. 589, ubi recte *per inpl.* legitur, *per* huc illatum esse, sed necessitas traditam lectionem mutandi nulla extat ‖ 709 *harisp.* Dz.[1] cum A; Koenighoff p. 2 sq. verba *ante . . . inc.* delet: fort. recte ‖ 710 lacunam Fl. signif. ‖ 725 Fl. al. *quoque* incl. et *haec uol.* transp.; cf. Schlee p. 21 et Podiaski p. 22 ‖ 726 ς *congruit* vel *congruet* ‖ 737 pro *eius pater* γ exh. *pat. eius; eius* nos iambice metiri posse ad Heaut. 551 monuimus ‖ 742 Barth p. 32 caesurae causa *ne me i. n. ap. posth.* ‖ 754 cum Um. nunc cod. A seq.; ς fere *is ux.*, quod amplexus Btl. *habet*, Fl. *obsecro* ind. ‖ 761 Dz.[1] cum Don. *hic solus;* A *solus* (ita Um.); vul. cum ς *haec sola* ‖ 765 ς *ex me;* cf. Dz.[1] ad h. l. et Studemund in Vidul. frg. XV ‖ ω *audies;* Btl. Um. *audiemus*, Weise al. *audietis*.

Actus V. 780 ω *uorsuram solues* (DL[1] *soluis*); vul. *uorsura soluis* (vel *solues*); cod. lectionem Dz.[1] tuitus est ‖ 783 ω *eius; huius* (sc. Nausistratae) Bothe; Palmerius (Grut. Thes. IV 852) *senis* ‖ 787 Dz.[1] *at* pro *ac* praeter necessitatem ‖ 808 A om. *homo*, quod tamen et metro et sententiae bene convenit ‖ 818 A om. *id;* cf. Barth p. 17 ‖ 827 ς *possum* ‖ 828 pro *suadeat* ς (praeter D[1]) *iubeat;* Fl. versum del. ‖ 835 Fl. *acturust . . . suom patrem;* sed v. Dz.[1] ad h. l. ‖ 863 Dz. *prendit;* A[1] *reprehendit;* cor. r. et ς *adprehendit.* hoc quidem ab Haulero p. 6 iure refellitur, *repr.* autem, quod Haul. praefert, neque necessarium uidetur antecedente *pone* et metrica ratione improbatur ‖ 864 A[1] *sese* pro *esse:* fort. recte ‖ 872 *hem* Um. om. cum A ‖ 888 sq. de interpretatione v. Thomas p. 10 et Rev. de l'instr. p. en Belg. 24, 217 sq. neque vero pro *ita ut datumst: ut ablatumst* cum eo legerim neque post *datumst: mi* inserendum esse duco ‖ 896 versum ω post v. 905 exh.; huc transp. Fl.; Bothe[2] in initio scaenae coll. ‖ 902 A *uerebamini;* δ *an uerebamini*, γ *an uere-*

mini. hoc quidem tuentur Btl., Sp. I praef. XXX, O. Brugman in NJ. 1876 p. 422; exempla tamen, quae Btl. affert similis consecutionis temporum, alius modi sunt. *an rebamini* | *me* (pro *ne*) temptavi secutus C. F. W. Muellerum, qui (Pl. Pros. p. 279) *rebaminin* | *me* coni. ‖ 913 Um. Dz.[1] cum A *eam nunc extr.* ‖ 932 Dz.[1] *adeo* Phormioni trib.; vulg. lect. recte def. Braune p. 29 sq. ‖ 934 Dz. colon pos. post *te;* vul. leniter interp. ‖ 936 *inmo* pyrrhichica mensura est, si in initio versuum legitur neque prima syllaba ictum fert (v. Dz.[1] add. ad h. l.; Hec. 437 [*immo quod*]; Caec. 128 R²; O. Ribbeck, Fg. com.² p. XXIV) ‖ 949 *inconstantia* Fl.; *ω sententia* (ita Conradt, Diss. p. 21) ‖ 952 A *haec hic;* sed cf. Rein p. 38 sq. ‖ 976 versum ex Plaut. Most. 655 sumptum esse Guilielmus (in Pl. Asin. c. 4) vidit ‖ 982—987 fluctuat in cod. et edit. verborum inter personas distributio; cod. A cum Um. seq. ‖ 986 vul. ante *inp.* dist.; corr. Barth in NJ. 1884 p. 180 ‖ 1004 *hem q. a.* in A Demiphonis, in ς alterius senis sunt; Dz.[1] ea mulieri dedit ‖ 1015 v. Dz.[1] ad h. l.; fort. per interrogationem scrib. est: *sed ea quin s. i.?* (cf. v. 429 sq. Heaut. 832) ‖ 1021 sq. mulier in re sibi permolesta iam ad finem pervenire, i. e. viri amoribus absolvi atque eo metu librari cupit, sed non videt, quid boni de futuro tempore sperare sibi liceat. quamquam igitur cod. lectio *sed quid sp.* (C¹DP *qui*) non utique improbanda est, magis tamen placet cum Fl. al. *qui id* scribere. Madvig, Adv. II 18 *una* pro *in* coni. (at *iam* ita offendat) ‖ 1028 v. praef. p. XI adn. ‖ 1029 Dz.[1] post *iam* dist.; vul. ante hanc vocem interp.; ante v. 1029 verba Demiphonis, quem post v. 1021—1025 non prorsus tacere aequom est, huius fere sententiae '*mitte eum animum: nimis irata es in uirum, Nausistrata*' excidisse videri Dz.[1] in add. ad h. l. monuit ‖ 1044 DL *nec resp.:* fort. recte ‖ 1047 ante *inmo* Krauss p. 32 *mihin* vel *satis* Chremetis verbis (in *ω* Phormionis sunt) praemittit; magis placet, cum mulierem verbis *satin tibist* non tam maritum (cf. v. 1011), quam Demiphonem alloqui arbitrer, breve huius responsum (*ita* vel *satis* sine interrogandi signo) inserere ad versum supplendum, cui Chremes sua sponte addit *immo* q. s. ‖ 1048 *ω dic quid* (ς *quod*) *est.* Ph. *Mihin?* (P? *mihi*) *Phormio;* Fl. *sit* (cf. Becker in Studem. Stud. I 167 sqq.); *mihi* Becker p. 172 transp. (*mihin? Phormio* haud apte coniungi iam Fl. perspexerat) ‖ 1050 ς *et quae* (L¹D² *quod*) *uoles;* Um., Leo (Rh. M. 38, 12) cum A *q. p. quod uoles* leg. ‖ 1054 *eamus i. h.* in AD Phormionis sunt, Demiphonis in ς; quod nunc magis mihi probatur.

Hecyra. De didascalia v. Dz. in Rh. M. 20, 577 sq. et 21, 72 sqq. — 8 A *Menandru;* ς om.; Don. fabulam Apollodori dici esse refert (in praef.) et saepius in commento Apoll. versus laudat (v. Rh. M. 21, 76 sq.). eius nomen Dz. in textum rec. ‖ 10 hunc v. spurium esse l. c. 20, 579 sqq. evincere studui ‖ 12 *ω* dativum praebent, quem cum ludorum significatione coniungi non posse patet; inde indicem antea pleniorem fuisse conicias. dativum personae in exsequiarum mentione sollemnem fuisse ex Phor. 1026 colligere licet *Aemelio:* v. Ad.[t] ad didasc.; *ω Paulo*, sed cf. H. Jordan in Her. 15, 537 sq.; quamquam titulorum nostrorum recensio num ante alterum post Chr. n. saeculum nata sit, parum constat.

Sulp. Apollin. *Per.* 4 Opitz p. 211 *amic. ded.* ‖ 5 *ω dein* (A *den*) *profectus;* O. Ribbeck apud Opitzium p. 212 *prof. dein;* Fl. al. *dein est pr.* Imb. (om. *in*) ‖ 6 *ω utero; uitio* Opitz p. 209 sq.; *ut eo ex uitio* Dz.; idem cum A *grauidam comperit* (num A *cum comp.*?); vul. cum ς *gr. ne id sciat socrus*, quod suspectum esse tempus *sciat* ab usu scriptoris abhorrens demonstrat: Opitz l. c. *sciret.* quod verba *ne ... socrus* sibi volunt, additamento *ut aegram* satis exprimitur.

Pers. In scaenarum titulis et Sostratae et Myrrinae nominibus 'mulier' adscribitur.

Prologus I et II. Duos hos prologos, quorum prior secundae actioni, alter tertiae praemissus erat, non a Terentio conscriptos esse cum Guyetus primus contendisset, plenius Schindler p. 39—53 de ea re disseruit et Ambivium posterioris certe prologi auctorem esse autumavit, atque etiam prioris, si concederemus Adelphon prologum non esse actioni a. 594 tribuendum; ludis enim Romanis a. 594, fortasse vel ludis funebribus L. Aemili Paulli Terentium non iam Romae fuisse (cf. praef. p. VIII). sed quamquam largiendum est alterius prologi argumentum habere ea, quae a ceteris aliena sint — de manco priore prologo vix certo diiudicari poterit —, ea tamen non sunt eiusmodi, ut de diverso poeta cogitemus necesse sit. absentem certe Terentium tum fuisse propter v. 52—54 nobis persuadere non possumus. videtur potius poeta consulto sua ipsius persona magis remota et quasi abdita ex Ambivi persona fabulam illam commendare voluisse. Adelphos inter Heaut. et Eun. fabulas actam esse Schindler p. 29 sqq. non satis comprobavit. — v. 1 *ω haec* pro *Hecyra;* seq. Um., Anal. p. 13; Fl. al. *Hecyrae huice n. fabulaest: haec.* Conradt p. 55 sq., Amdohr, Prol. Hec. p. 8, Schindler p. 40 sq. alia excogitarunt ‖ 2 *ω* om. *ei;* add. Btl.; versus multum temptatus est (cf. locos ad v. 1 allatos) ‖ 5 sqq. vul. post v. 5 gravius, post v. 7 leniter interp.; corr. Dz. ‖ lacunam post v. 7 statuendam esse W. Ihne, Quaest. Ter. (1843), thes. 16 perspexit (v. Dz. in Rh. M. 21, 474). in priore lacuna Ter. causam referendae fabulae attulisse puto. versus I 7a—7c ex Heaut. prologo huc restituendos esse, in diss. De prol. Pl. Ter. que p. 5 sqq. demonstravimus. ceterum in A cum folio 77 prologus I et alterius v. 1—29 interierunt. sed ne quis inde, quod in A singulae paginae vulgo vicenos quinos versus contineant, in folio autem illo non tantum 8 (prol. I) + 29 (prol. II) + 3 vel 4 (titulorum) (= 40 vel 41) versus exaratos fuisse colligere sibi videatur, certum lacunae illius, quae in prologo I detecta esset, documentum se indagasse putet; monendum est, id quod W. Studemund solita benignitate ex collatione sua cod. Bembini mihi demonstravit, librarium eius codicis semper versus prologorum ita in paginas complures dispertivisse, ut neque aliud quidquam praeterea in eis perscriptum sit et singulae paginae cuiusque prologi parem fere numerum versuum contineant ‖ 23 G. Loewe (Act. soc. phil. Lips. VI 350 sq.) versum proscr. ‖ 34 Grautoff (Turp. com. rel. 1853; them. 1) versum subditicium esse censet ‖ 49—51 eidem in Heaut. prol. 48—50 leguntur, quamquam in A duo priores versus ibi desunt. eos neque in utroque prologo admitti consentaneum est et in nostro aptius omitti sententiarum conexus docet; itaque cum Fl. eos omisi; aliter sentit Wa. (NJ. 1865 p. 281 et in ed.) ‖ 56 *alias* D^1 et Rtsch. Par. 327.

Actus I. 65 *quemque*: cf. O. Ribbeck ad Plaut. Mil. 156 et Woelfflin in S. B. d. b. Ak. Ph. Cl. 1882 I 448 ‖ 104 fort. post *hoc* dist. ‖ 150 sq. *ω* inverso ordine exh.; corr. Fl. (NJ. 1876 p. 535 sq.) ‖ 159 Fl. *et multo* ‖ 163 Guyet proscr.; eum seq. cum Fl. aliis. Ed. Brunér (Qu. Ter. p. 86 sqq.) *ad ex. morum amorem earum ex.;* Leo (Rh. M. 38, 5. 11) . . . *earumpse aest.* ‖ 164 *lib. esse ing.:* cf. Dz. ad Ad.[t] 491 ‖ 167 *ω animus; Dz. animi* (vel *animo*) ‖ 177 A cor. r. D^1 *primo;* ς (cum D^2) *primum;* Btl. *primo hos* (cf. Conradt, Diss. p. 22 sq.); Brugman p. 28 Usenero auctore *n. ex me audibis* q. s. ‖ 178 *ω conueniebat; conuenibat* post Usenerum (Rh. M. 24, 112) Engelbrecht p. 57 ‖ 186 *ω tum* (vel *tunc* vel *nunc*) *nescio quam;* transp. Luchs in Herm. 6, 273.

Actus II. 201 hunc v. a sensu et a numeris mancum, quo antecedente sententia v. 202 vel debilitatur, induxit Btl. eumque secuti Conradt p. 49 atque Hoelzer p. 25 sq.; supplere versum viri docti variis modis conati sunt: Fl. *soc. omnis*

suas od. n.; Um., Anal. p. 22 bis *oderunt* scrib.; praeterea cf. Schlee p. 47 sq.; si genuinus est, post v. 202 transponi debet ‖ 205 sq. Fl. (edit.) sequor (v. 206 *ω non* pro *nescio*); postea Fl. (NJ. 1876 p. 537) lacuna statuta duos iamb. octonarios dedit; cf. praeter alios Btl. ad h. l. et Conradt p. 49 sq. ‖ 215 Wa. cum AELF *crebro esse;* vul. cum cet. *esse crebro* ‖ 218 Dz. incl.: et futurum tempus suspicionem movet et ab argumento antecedentium versuum hic versus alienus est (neque enim dixit: *multo magis hic quae fiunt . . . curo*) ‖ 223 *ω oritur m. a. te;* seq. Beckerum (Studem. Stud. I 296) ‖ 225 sq. inverso ordine Fl. cum Guyeto ‖ 227 deest in A ‖ 230 hic v. nonnihil sententiarum conexum interrumpit; fort. loco versus 227, qui in A deest, post v. 226 transponendus est ‖ 247 *etsi* del. Madvig, Adv. II 19 ‖ *me meis* Dz. cum DG; A *me* ante *esse*, *γ* post *meis* colloc. ‖ 249 haud improbabiliter Fl. *id* sust. diversa ictuum distributione ‖ 250 *ω potestate esse te;* cum Btl. transp. Podiaski p. 46. 48 ‖ 252 Btl. *perpetem*, sed cf. Conradt, Diss. p. 15 sq. ‖ 255 vul. cum Btl. *ret. causa;* traditam lectionem def. Podiaski p. 50 sq. ‖ 269 Bombe, De abl. absol. p. 35 transp. *posse se . . . P. a. p.* ‖ 271 *em* Dz. cum A; vul. cum *ς hem* ‖ 278 Kellerhoff p. 71 dubitanter *non* pro *haud.*

Actus III. 281 *ω ex amore* post *esse;* Dz. transp. et *esse* ind.; varie temptatur versus a viris doctis ‖ 283 *ω cui* pro *hui* in initio sequ. v.; *hui* Fl. ‖ 286 sq. Conradt p. 123 sq. proscr. hos v.; eum tamen, etsi versus habent, quod offendat, sequi nolo, cum Donatus Apollodori verba, quae Terentius transtulerit, ad h. l. afferat ‖ 288 *ω his; hisce* F. Schmidt in Herm. 8, 484 ‖ 299 fort. *aut* pro *tum* leg. ‖ 306 *ω haud* vel *haut;* Btl. seq. dubitanter; Fl. *quidem* om.: fort. recte. Conradt p. 51 *parua* (*ira*) ‖ 307 *ω n. maxumas* (D pr. m. *maxume*) *quae maxumae sunt* (*sunt* om. F¹; add. F² super *quae*) *int. irae iniurias;* Btl. al. *non maxumae, quae maxumae sunt int. irae, iniuriae;* Dz. pro viribus emend. ‖ 311 AD¹ *eum inf.;* vul. om. *eum* ‖ 313 *conciuisse* Don.; *concluserit* (cor. r. *conciuisset*); *ς conciuerit* (D in ras.): de infin. cf. Don. ad h. l. et praeter alios Barth p. 60; *ere*, quod Btl. addidit, nonnihil languere videtur; fort. *conciuisse ita* ‖ 317 *ω loqueris;* corr. Engelbrecht p. 84 ‖ 347 *ς rediit* (ita Btl.); Fl. al. cum A *redit* ‖ 348 *hoc* (= *huc*) A ‖ 363 A *quae percepi; ς quae accepi;* Wa. *percepi* ‖ 365 A *me intro* om. *ut* (cf. Conradt p. 28); *ς intro me ut*, unde Btl. *intro ut me;* an *n. m. ut me intro c.* scrib.? ‖ 366 *ei mihi* verba Btl. Um. ad sequentia referunt; aliter dist. Fl. Wa., aliter Dz. ‖ 367 *ω il. om. simul;* corr. Btl. (in adn.) ‖ 378 *ω exirem; exieram* Dz. (cf. Ad. 618), *exibam* Ladewig p. 26 ‖ 393 sq. cum Hoelzero p. 27 sq. sustuli; Conradt p. 51 (cf. Diss. Thes. VI) eos post v. 399 transp.; Fielitz in Rh. M. 31, 304 sq. coni. *nám aït* (inducto v. 394) probante Fl. (NJ. 1876 p. 533 sq.). mihi minus probabiliter excogitatum esse videtur; neque enim v. 393 (*nam ait* q. s.) cum 395 bene cohaereat. conficti sunt versus ad comprobandam versus 392 vel 399 sententiam ‖ 398 sine causa v. sollicitatur a Fielitzio l. c. et Sprengero NJ. l. c. (probante Fl.) ‖ 406 vul. cum Don. *data* pro *bona* (sic Um.) ‖ 442 AC¹ *ad uesperam:* cf. Neue I² 572 sq. ‖ 453 vul. cum *ω nescio* Pamphili verbis adiung.; offensus in mensura eius vocis Luchs (Herm. 6, 264 sqq.) de medela dubitavit; *nescio quem . . . loqui?* iure ei minus placebat, sed signo interrog. sublato illud enuntiatum recte procedit (cf. ex. c. v. 336) ‖ 457 *id* A exh. (cf. A in v. 487) ‖ 468 AD² *aud. omnia;* rel. *aud. omnia modo;* Btl. om. *omnia* ‖ 473 haud recte vul. ante *ni* gravius interp.; neque enim *ni* pro *nisi* usurpare licet ‖ 478 *ω cuiusque; eiusque* Bothe²; Fl. *huiusque;* Btl. *quaeque eius* ‖ 479 Btl. Um. *potis* pro *potest;* Fl. al. *potest comp.* (cf. Engelbrecht p. 29; malim *inter eas potis est*) ‖ 485 *ω inpulsus* (BCD²E¹ *pulsus*) *nunc;*

transp. anonymus in Phil. Anz. 8, 403; vul. *pulsus n.;* item Conradt p. 52 sq. vel *qu. n. imp. ir.* ‖ 493 vul. leniter post *sies* dist.; corr. Dz. (spl. *non fiat;* cf. Heaut. 594) ‖ 523 *uideo* Fl. del. (cf. Andr. 957; Eun. 455); Conradt p. 179 sq. *atque* secl. (octon. troch.); Schlee p. 23 *atque* v. 522 adiungit (in A *atq. eccam* ad v. 522 pertinet) ‖ 534 ω *an. t. lib.;* transp. Dz. in Ad.[t] p. 98 ‖ 544 fort. *cessasti tu* scrib.; cf. Engelbrecht in Wien. St. 1884 p. 221 ‖ 552 ς *haec* vel *hoc f.;* Wa. *hoc* ante *fecit* incl. ‖ 557 vul. cum A *solum solus;* sed cf. Rein p. 39 (et Eun. 579, Hec. 350) ‖ 561 A *ea par f.;* ς *f. e. p.* (ita Btl.); Fl. *par ea f.;* Dz. *p. f. ea.* ‖ 573 A *posset post; posset* ferri potest ut potentialis praeteriti temporis.

Actus IV. 577 Btl. (in adn.) Fl. om. *me* et scr. *suspectum;* sed v. Barth p. 27 (cf. insuper Hec. 775 sq.) ‖ 586 Fl. *esse* incl.; Rein p. 47 *me* proscribit (at cf. Barth p. 33); *esse* infinitivus accusativo, qui dicitur subiecti, prope posito et insolenter quidem dativo *tuo* postposito excusationi est ‖ 597 *tempust me conc.* Wa. cum A; vul. cum ς om. *me* ‖ 603 *tu te* (pro *tute*) Brix ad Plaut. Trin.[3] 237, Um., Rein p. 5; pro *in: ita* coni. Madvig Adv. II 21 ‖ 607 sq. Btl. *astans*, ut sit oct. troch.; v. 608 cum troch. sept. esse debeat, *est* transposui; aliud monuit Conradt p. 185 (ω *istuc est sap.*) ‖ 609 versum multifariam sollicitatum cum Fl. inclusi. desunt in utraque parte versus eae voces, quibus vis sententiae nititur: *necessario — ultro* ‖ 611 Schlee p. 36 cum A[1] *speró mecastor;* vul. cum ς *spéro ecastor* ‖ 613 ς *quid ita istuc uis;* hoc insolite dici Braune p. 57 recte observavit; sed si cum A simpliciter *uis* omittit, nullus iam existit versus. propono *quid ita tu istuc?* (sc. *ais*) ‖ 617 ω *credo . . . si non redd.; non* transp. Dz. (rhythmi mutatio in cantico nihil offensionis praebet); vul. cum Btl. *non* om., sed ironia hoc loco ab animo Pamphili prorsus aliena est; praestet *credam ...?* (om. *non*) ‖ 620 ω *fabulae;* corr. T. Faber (v. Um.) ‖ 628 Schmidt in Herm. 8, 484 *hisce* ‖ 634 fort. *quae* scr. ‖ 637 ω *siet; ista* Dz. add.; cf. C. F. W. Müller, Nachtr. p. 83, Conradt, Diss. p. 26 sq. et Her. 10, 103 (*de hac* add.); *siet* def. Hauler in Phil. Rdsch. 1884 p. 682 ‖ 648 sq. Dz. (NJ. 1881 p. 783 sq.) hos vv. post v. 654 transp.; nunc quidem cautius esse duco traditum servare ordinem ‖ 654 ω *redduc* (vel *reduc*); *redduce* Dz. (cf. Jen. LZ. 1878 p. 309) ‖ 656 A *sese mec.* (ita Sydow p. 16 sq.; Hauler p. 28) ‖ 666 sq. ω inverso ordine; transp. Bothe[2] ‖ 680 Wa. crucem praefixit voci *quoque* ‖ 688 et 690 Btl. suspecti a Fl. uncis inclusi sunt (v. 690 iam Bothe[2] induxerat) ‖ 689 ω *induxti; add.* A. Funck (NJ. 1883 p. 490 sq.) ‖ 698 *redduce:* v. ad v. 654 ‖ 704 Um. cum A *tollet* ‖ 719 Engelbrecht p. 17 cum F et Btl. *curre, puer* ‖ 729 ω *hanc;* Btl. corr. ‖ 735 ω *obstet;* corr. Faernus ‖ 739 ς *nam si id nunc f.:* dubito an *nunc si f.* (om. *nam*) legendum sit ‖ 740 A *tibi mer.;* ς *tibi me inmer.* fort. recte ‖ 741 Um. cum ω *est magna ec. gratia . . . quam;* corr. post Guyetum Btl. ‖ 743 troch. sept. Dz. const.; vul. octon. iamb. metiuntur. ex fine versus Bacchidis exclamationem in seq. versum transposui ‖ 744 cum Conradtio p. 57 *uxorem* inclusi; sed falsa est quam proponit mensura *priúsquam* ‖ 745 Btl. *te* add. ‖ 746 sq. dubitanter Fl. (NJ. 1876 p. 537) sequor; aliter Conradt p. 25 sq.; ς *istac aetate.* vul. editores in v. 743—749 metrum mire miscent; septenariorum seriem restit. Conradt p. 54 sqq. ‖ 748 sq. fort. post v. 743 transponendi sunt ‖ 754 ω *idem; item* Rein p. 55 ‖ 765 Fl., Podiaski p. 66 *me reprimam* ‖ 768 ω *quod opus sit* (E *est*) *benigne;* transp. Fl. (NJ. 1876 p. 536 sq.); Conradt p. 28 sq. cum Btl. *qu. quod est ben.* (om. *opus*) ‖ 769 Btl. *es* pro *eris;* ω *puer ut; ut puer* Dz. cum Fl. (in ed.; aliter l. c. p. 537) ‖ 775 Btl. al. *effecero;* cod. script. def. Conradt, Diss. p. 16 ‖ 779 A *tua se uxor se cr.;* ς *t. s. u. falso cr.;* D[1] *tua uxor cr.; tua* (scil. *mulier;* cf. v. 777) *falso cred.* Dz. scr. ‖ 780 A *autem;* ς *autem est*

pro *ut est;* corr. Krauss in Rh. M. 8, 548 ‖ 782 fort. versui 783 postponendus est (propter v. 784) ‖ 784 ω (praeter P) *tute ipse* (ita Conradt, Diss. p. 32 cum Btl.); vul. cum Fl. om. *ipse; tu ipse* Dz. ‖ 787 *atque* sust. Brix, De Ter. fab. em. p. 9 ‖ 789 sqq. v. 791 deest in A, post v. 783 leg. in E²D, vul. secluditur; at cum v. 789 compluribus dubitationibus obnoxius sit, hunc una cum sequente uncis includere praestat (ita iam Conradt, Diss. p. 15) ‖ 797 induxit Koch p. 35 ‖ 798 ω *gratiam;* corr. Fl.

Actus V. 803 *mi* Dz. ins.; vul. cum Goveano (cf. Um.) Btl. al. *tun es;* Engelbrecht p. 65 *age adul.* ‖ 825 *aut* prosc. Um. ‖ 826 *id* Dz. ex D¹E² ‖ 830 Conradt p. 28 dubitanter sine hiatu *digitó modó* (cf. Diss. p. 36) ‖ 840 *eius* Kraussio (Rh. M. 8, 535) auctore vul. induc.; sed monosyllabum est ‖ 842 ω *conicias; conlic.* Palmerius (Grut. Thes. IV 754); illud frustra def. Barth p. 14 ‖ 845 ω *dixisse; dixe* Btl.; Fl., Engelbrecht p. 61 *op. dixisse* ‖ 847 *inquam* fort. del. ‖ 859 Btl. *adfatus* pro *aduentus;* Fl. *utí* (om. *aduentus*); Conradt p. 58 trad. lect. defendit, nec vero mihi persuasit ‖ 870 vul. contra ω *iuri;* de dativo *iure* v. Engelbrecht p. 23 ‖ 875 vul. post *mortuom* et post *pacto* sign. interr. pon.; Dz. corr. (suppl. *reducem in lucem fecerim, scio* vel *suspicor*) ‖ v. 875—878 cum Conradtio p. 59 sqq. (cf. NJ. 1878 p. 409 sq.) ut sept. troch. constitui (aliter in Jen. L. Z. 1877 p. 60) ‖ 877 *uero* Bothe et Fl. del. ‖ 878 ω *an temere* (P et archet. cod. L in fine v. 877 *an* exh.). *ah* Conradt l. c., cui non assentior in eo, quod *an* sententiarum conexui repugnare dicit; idem voculam transp. in v. 877. A et Um. versum 878 Pamphilo trib.; ς et vul. Parmenoni; Bacchidi Btl. Fl. al., sed eam iam post v. 872 scaenam dereliquisse veri simile est.

Adelphoe. De didascalia v. Dz. in Rh. M. 20, 577 sq. et 21, 78 sqq. et Dz.¹ ad did. — 3 *Aemelio Paulo:* v. ad Hec. did. v. 12 ‖ *quos* Dz.¹ secl.; A *modos* pro *quos* ‖ v. 9 A post v. 1 exhibet. Sulp.' Apollin. *Per.* 5 sq. ς *famamque | amoris;* cum Wa. et Sp. codicem A seq. (v. Ad.¹); Fl. cum Rtsch. (Op. phil. III 296) pro *amorem: ex fratre* (vel *ex illo* vel *in sese*) subst. ‖ 8 Dz.¹ cum A *eidem;* sed v. Opitz p. 228.

Pers. Meretricis nomen Bacchis, quod extat in A (act. II sc. 1 inscr.), quin ex aliis comoediis petitum sit, dubitari nequit (v. Sp. in S. B. d. bayr. Ak. Phil. Cl. 1883 II p. 259). meretrix illa et Parmeno nihil loquuntur, Pamphila post scaenam tantam exclamat.

Prologus. 3 sq. Um., Anal. p. 4 sq. lacunam statuit. aptissime eam Frid. Böckelmann Herfordensis litteris ad me datis sic supplevit: *Adelphos, hunc clamantes uetere ex fabula | personas abstulisse eisque usum pro suis* ‖ 16 ω *eum; hunc* Rtsch. ex Suet. vit. Ter. (p. 4) ‖ post v. 24 Btl. unum versum (huius fere sententiae: *bonitasque uostra adiutrix nostrae industriae*) excidisse comprobavit.

Actus I. 29 ω *aut; atque* Sydow thes. II; *et* P. Langen in Phil. Rdsch. 1881 p. 1122 ‖ 33 initium versus corruptum esse Dz.¹ indicavit; sic sententiae satis fiat: *aut cum conuiuis potare* q. s. ‖ 34 a Fl. uncis incl.; deest in A (et Don.?); cf. Engelbrecht p. 37 ‖ 37 *uspiam* ex v. 28 hic repetitum esse videtur. Dz.¹ temptavit: *a. cec. per tenebras* q. s.; Fl. *aut cec. aliqua atque aliquid pr.* ‖ AFP versum ad *aliquid uah* cont. ‖ 38 Fl. *uah . . . aut sibi;* v. Conradt in Herm. 10, 109 ‖ vul. cum γ *in animum;* Um. *in animo* (cf. v. 316 et Afran. 84 R².), nisi mavis *in animo . . . parare* inter se cohaerere ‖ 40 *est* Dz.¹ add.; vul. transp. *fratre ex meo* repugnante sermone comico. ς *sed ex fratre. is adeo,* et ita Btl. et Um. ‖ 44 post *omnia* interp. Wa. ‖ 56 *aut audebit* corruptum est; Fl. subst. *fraudare,* Schubert p. 7 sq. *audacter* (ita Dz.¹) ‖ 60 ω *clamitans* (item Cic. de inv. I 19, 27 et Victor. in h. l.), quod Wa. et Sp. receperunt om. *agis;* sed vereor ne dictio *quid, Micio?* pro Chremetis irritato animo

debilius sit ‖ 62 sq. Dz.^{1} dist. ‖ 70 ς *cauet:* fort. recte ‖ 82 L *rogasne* (V *r. ne me*) et ita Brugman p. 13 ex coni. ‖ vul. cum ω *ubi nobis Aeschinus* | *siet.* Rtsch. Prol. in Trin. p. 120 versum 82 emendavit et v. 83 coniecit *scin iam.* propius ad librorum memoriam Conradt in Herm. 10, 102 sq. *resciet* (vel *is sciet*); Dz.^{1} *scies* ‖ 87 A al. cod. *design.;* sed cf. Dz.^{1} ad h. l. et Nettleship in Jour. of phil. 10, 207 sqq. ‖ 141 post *tamen* Dz.^{1} cum Don. dist.; vul. *tamen* subsequentibus adi. ‖ 142 Opitz p. 214 *me* ex v. 143 ante *ost.* transp. ‖ 144 sq. dist. Conradt p. 62.

Actus II. 165 sq. ω diversa versuum distributione . . . *iusiur. dab. te esse* | *ind. ini. hac* q. s., quam fere Btl. et Schlee p. 34 sq. def.; Fl. transp. (v. Dz.^{1} p. 98) ‖ 168 Um. et Sp. seq.; aliter Dz.^{1} ‖ 173 A *o fac. ind.;* ς *o miserum fac.;* ω *gem. nisi cau.;* cum A leg. Um. *ni* pro *nisi* substituto; quod ne faciamus, sermo comicus dissuadet; Fl. transp. ‖ 188 ω *fateor pern. comm.;* transp. Fl. (cf. Podiaski p. 31) ‖ 205 ω *si modo*, quod apud scriptores Cicer. aetatis magis usitatum est; transp. Guyet et Btl. ‖ v. 205—208 ἐκ παραλλήλου legi versibus 201—204 Sp. monet; etsi uno versu 205 remoto gravissimae offensiones submoveri videntur ‖ 217 sq. ω *paululum atque* | *adul.;* *atque* in fine sust. Wa. et Sp. (cf. Conradt in Herm. 10, 109 sq., qui totum praeterea v. 218 insiticium esse putat). Fl. (item Dz.^{1}) *atque adul. morigerasses* q. s., sed cf. Leo in Rh. M. 38, 12 ‖ 224 *obsequare* cum totius enuntiati sententiae aperte contradiceret, crucibus saepsi (cf. Ad.^{1} ad h. l.), neque incertum me reddiderunt, quae exinde de hoc loco disputata sunt. expectes *obnitare*, *obloquare* (vel *obluctare*, *aduorsare*, cum indicativus quoque tolerari possit). an scribamus *quasi . . . minae! Dum huic* (i. e. mihi) *obsequare!* ‖ 237 fort. *hocne íllo* scrib.; cf. ad And. 625 ‖ 262 A *qui ignominia sibi*, unde cor. r. *quin omnia sibi* effecit (sic C^1P); rel. *qui* pro *quin.;* Fl. et Um. cum A^1 (*ignominias*) et deinde *putauit* contra ω; Btl., Sp. *quine* (vel *quin*) *omnia sibi; qui quom omnia* Dz.^{1} ‖ 264 ω *potest;* Don. *pote;* Barth p. 17 hanc formam omnino a Ter. abiudicavit, sed ut puto iniuria; Fl. *potis* ‖ 267 ς *tristitiam* ‖ 272 ω *nos paene sero scisse* (D^1G *scire*) *et paene in eum l.*; Fl. *nos sero rescisse;* deinde Btl. Fl. *rem* ante *locum* ins.; Dz. *et rem paene* ‖ 277 *i* add. Dz.^{1} ‖ 278 ω *ne* pro *non;* vul. *ne t. q.: quamuis etiam* q. s.; corr. Madvig, Adv. II 20; *quam uis* Don. legit ‖ 281 ς *hem* (DG *chem* = E [nota Syri] *hem?*) ante *quid* ins. satis apte ‖ 287 ω *hilarem;* vul. *hilare* cum Btl. (aliter Engelbrecht p. 26 sq.; Barth in NJ. 1884 p. 181); fort. *hilarei* leg.

Actus III. 289 sq. cum AC^1P^1 et Um. Cantharae verba continuavi, cum in Ad.^{1} cum Btl. Fl. aliis ceteros cod. secutus essem, qui verba *modo . . . primulum* Sostratae dant ‖ 297 ω *genere;* corr. Btl. ‖ 302 *se* vul. om.; Dz.^{1} recep. ex A, Don., item L (G ante ras.?) ‖ 313 cum Guyeto proscr. Dz.^{1} (cf. Andr. 903); vul. *meo* ante *modo* add.; Madvig, Adv. II 20 sq. pro *supplici: solati* legi vult ‖ 316 hic et Andr. 861 ω *sublimem;* sed cf. ex. gr. Plaut. Men. 992 (v. Rtsch. Op. phil. II 462 sqq. et O. Ribbeck in NJ. 1858 p. 184 sqq.; contra Klotz, Andr. (1865) exc., Sp. ad Andr. 861, Brix ad Plaut. Men.^{3} 994) ‖ ω *primum; pronum* Palmerius (Grut. Thes. IV 848) ‖ 320 A *impertiri; impertire* ς et Arus. Mess. p. 481, schol. Bemb.; def. Schindler p. 27 sq. ‖ 325 ω *sit;* Dz.^{1} *fit* ‖ 331 Btl. al. *omnium uitam* ‖ 334 A *siux.;* vul. *se ux.;* *sibi* (ita ς) nunc praefero cum Conradtio p. 119 ‖ 344 prior pars v. dubito num incorrupta sit, cum *in peiore loco* requirat usus Terenti (aliter W. Goerbig, Nomin. . . qu. loca sign. usus Plaut. p. 19); per metrum sane liceat *peióre res in lóco* q. s. ‖ 350 ω *accedo;* corr. Btl. ‖ ω *dicas;* Prisc. II 85 *dicis*, et ita Wa. in adn.; Thomas (Rev. d. l'instr. 22, 388 sq. et 24, 335) sic locum explicat: *cedo* (i. e. *concedo*), *ut tu potissimum dicas* (*prae nobis*) ‖ 351 ς et vul. *huius;*

Wa. *eius* cum A. *ei* v. 345 de filia dicitur ‖ 358 cum Sp. *etiam* antecedenti sententiae adiunxi; Bothe *etiam meum* ‖ 362 Bothe[1], Fl. *atqui* ‖ 377 Dz.[1] cum AD *gongrum* ‖ 395 Klette p. 20 sq. *num* add. ‖ 436 sq. Thomas p. 47 verba *quando ita uolt fr.* sequenti enuntiato subi. (ita iam antea Wa.) ‖ 440 Dz. cum ALG *o* ante *di* add. ‖ 453 Dz.[1] cum Fl. *adsit atque haec audiat;* at v. Leo in DLZ. 1882 p. 358 (cf. e. c. exitum v. 673). cod. L *esset* (non *adesset*): fort. recte ‖ 459 A[1] *neque id me;* vul. om. cum ς ‖ 468 vul. cum A *quid;* Dz.[1] cum ς *quicquam* ‖ 470 Brugman p. 13 *amor pers. nox* q. s. ‖ 478 A *certo* (sine *n*) ‖ 485 ω *nec q. h.*; Btl. al. *neque q. h.* ‖ 488 ω *hem;* Sp. *em* (iam antea O. Ribbeck, Lat. Part. p. 30 initio v. 489). Dz.[1] *hem* Demeae trib., fort. recte ‖ 490 pro *ius: uis* AD Don. (fort. ex Phor. 214 huc intrusum); de structura v. C. Rothe, Quaest. gram. p. 14 ‖ post v. 499 ς ins. Phor. 461 ‖ 514 *is* add. Fl.

Actus IV. 523 cum Schleeio p. 21 sq. cod. lectione servata troch. octonarium dedi, cuius exitum satis durum esse negare non possum (cf. Leo in DLZ. 1882 p. 358); vul. iamb. octonarius (*et íllud . . . quia*) et quaternarius (*propést: quod si esset longius*) leguntur, quem Conradt p. 111 et Podiaski p. 41 rectius sic metiuntur: *propĕst: quód si abesset* q. s. ‖ 525 *eum* Dz.[1] add. ‖ 534 ω (praeter FG[2] Prisc. I 479) *quam ouem*, fort. recte (v. Langen in Phil. Rdsch. 1881 p. 1122) ‖ 535 ω *laudarier;* corr. Conradt p. 112 et in Herm. 10, 104. item temptare potes: *laudári enim aud. te lub.* ‖ 538 *is* ins. Btl. ‖ 540 ω *primum fratrem;* G. Hermann (Phil. 3, 465 sq.) *primum* del. 551 Kellerhoff p. 69 cum ς *ego hodie* ‖ 554 ω *quidem; qui uolt* Non. p. 285 ‖ 573 *hac* solus D ex cor.; rel. *hanc*, quod dubito an huc ex sequente versu irrepserit, ubi cum ω *hac* legant, accusativus (*hanc* [*porticum*] *praeterito*) multo aptius scribatur ‖ 575 cf. Usener in NJ. 1873 p. 398 ‖ 590 Um. Dz.[1] cum AD[2]G *abibo;* praestat *adibo* (sc. *prandium*) ‖ 597 *esse* Madvig, Adv. II 21; vul. cum ω *in an. ind.* ‖ 599 Rein p. 56 *omnia istaec* (om. *eadem*); fort. post *istaec* leniter distinguendum est ‖ 600 Btl. *pr. fr. esse: eius esse i. ps.;* lacunam Fl. indic. (v. Dz.[1] ad h. l. et Leo in DLZ. 1882 p. 359) ‖ 601 (cum v. 600) Um., Anal. p. 19 sq. prosc.; idem v. 602 *ita* add. ‖ 604 G solus *dixisti* sine hiatu ‖ 607 A[1] *claudier;* ς *neglegi* vel *negligi; ludier* Btl.; *claudier* fort. ex Andr. 573 huc intrusum ‖ 611 sqq. de hoc cantico alii aliter iudicarunt (praeter edit. v. G. Hermann, Elem. p. 95 de v. 614—617, quem secutus sum; Conradt p. 1. 68. 194 sqq., Schlee p. 65 sqq., Meissner, Cant. d. Ter. p. 537 sqq., Leo in DLZ. 1882 p. 358 sq.). antiphonematis (v. 610[a]) iambicum numerum recte me indicasse Plaut. Aul. v. 105 probare videtur, ubi eadem verba *discrucior animi* senarium iamb. incipiunt ‖ 611 ω *siet;* Dz.[1] *sit* ‖ 617 Dz.[1] *hance* pro *hanc:* v. Ad.[t] p. 98 ‖ 627 vul. cum ω *ips. id* (A[1] *id* add. s. v.); Rein p. 64 *id met. ips.;* Dz. *id ĭpsum m.* ‖ 628 Rein p. 61 dist. ‖ 637 Um. Dz.[1] cum A *hic* pro *hoc* ‖ 660 ω *postea;* corr. Bothe[1] (idem *iuste*) ‖ 666 A et Arus. Mess. p. 460 *illa;* ς *cum illa* metro repugnante; Don. (var. lect.) *illam:* fort. recte ‖ 673 Btl. Fl. al. cum Don. *hinc;* sed v. Dz.[1] ad h. l. ‖ 677 Fr. Schmidt, Quaest. p. 80 sq. *quoi eram . . . istaec* (item O. Brugman in NJ. 1876 p. 420) ‖ 696 A om. *hanc* (ita Btl. al.). ω *es* (A *est*) *inquam;* Dz. *inquam es;* Fl. *bono inq. an. es* ‖ 697 A *nunc l. t. m.;* de hiatu cf. Phor. 146. 542. 963. Ad. 604 ‖ 711 A δ *ne forte inpr.;* γ *ne inpr. f.;* transp. Btl. (cf. Conradt p. 25 et Diss. p. 17) ‖ 712 ω *siem;* iamb. septenarium rest. post Guyetum et Btl. Conradt p. 68 sq.; cf. praeterea Podiaski p. 53 et Rein p. 49 ‖ 716 Fl. *ulla* om.; Btl. cum γ *nec f. i. u. er.* (cf. Engelbrecht p. 68) ‖ 749 A *bene ament;* γ (non L) *tuam ego;* fort. om. *ego* legendum: *ita m. d. b. am., ut u. t. in.* (cf. Rein p. 48) ‖ de v. 755 sqq. v. p. X adn. ‖ 766 cum Btl. in fine vers. interp. ‖ 770 Warren in Amer. Jour. II 55 cum ω (praeter

GP[1]) *tun* (affirmative) scr.; sed fort. *tun* ex v. 769 huc irrepsit, ubi nunc *tu* legitur ‖ 791 *scilicet:* v. Dz.[1] ad h. l. ‖ 814 γ *tu istanc tibi optine.* cum bis illud v. 812 et 814 eadem sede repetitum *obtinet* nonnihil molestiae habeat, praetulerim cum Reinio p. 9 sq. aposiopesim statuere: *gloriam tu istam tibi* (sc. *habeas*)! ‖ 820 ς *ipsorum*, sententia quidem aptissime, sed cf. Leo in Rh. M. 38, 6 ‖ 828 A *scire et;* ς *scire est; siris* Madvig prop. in Adv. II 21 (*seiris* propius ad cod. scripturam accedit). vul. cum Lachmanno in Lucr. p. 297 *scires* leg. ‖ 833 (Fl., item Brugman p. 29) *fert sen.* propter insolitam vocis *adfert* oxytonesim, quam tamen antecedente synaloepha tolerabilem reddi putamus ‖ 847 Engelbrecht p. 72 coni. *praeterhac.*

Actus V. 860 Um. cum A δ *omitto;* vul. *mitto* ‖ 863 Btl. Um. cum ω *ille suam semp.* breviata et acuta prima vocis *ille* (cf. C. F. W. Mueller, Pl. Pros. p. 427 sqq.); transp. Fl. ‖ 879 ς *pendi;* Um. cum A[1] *fieri* ‖ post v. 888 utrum Syrus in scaena remaneat an in aedes reversus v. 899 demum cum Aeschino rursus appareat, dubitare licet (cf. Sp. in S. B. d. bayr. Ak. Phil. Cl. 1883 II p. 270) ‖ 907 A *lampedes*, unde fort. *lampades* eruendum; apud Plaut. quidem Cas. IV 2, 17 cod. *lampade* et IV 4, 16 *lampadem* exh. ‖ 914 v. ultimus est codicis A ‖ 924 A δ in inscriptione sc. 8 Syri personam addunt, v. 958 autem, ubi Syrus exit ex aedibus, novam scaenam non incipiunt. sed ratio, qua Syrus illic notetur (in A littera graeca omittitur, in D Syrus littera S notatur, cum reliquae tres personae graecas habeant litteras, in G autem ante ceteras memoratur), documento esse videtur illorum quoque codicum archetypum Syri nomine ante v. 924 omisso scaenam 8 v. 957 terminasse ‖ 932 v. suspectus est (verba repetuntur ex v. 291. 353, contradicunt autem quodammodo v. 352 sq. 456 sq. 951) ‖ 940 sq.: cf. Dz.[1] p. 4 sq. (dissentiunt Langen in Phil. Rdsch. 1881 p. 1120 sq., Schlee in Phil. Woch. 1882 p. 99, Leo in DLZ. 1882 p. 358) ‖ 946 de personarum distributione v. Dz.[1]; pro *quom confit* ς *cum fit* (C[1] *com fit*), Don. et hic et ad Andr. I 1, 140 nec non Placid. gloss. (Mai Class. auct. VI 558) *confit.* Dz.[1] *con* sillaba geminata *quom confit* coni.; Um. cum Mureto cod. lectione servata *quid* duplicavit, Btl. *tuo* ante *te* inserto versum recte dist., atque in hoc acquiescendum esse putarem, nisi *confit* expressis verbis traderetur ‖ 947 *hic* Btl. add. ante *est* (Dz. post *est*); Hegio etiam tum in aedibus Sostratae est; vul. transp. *Heg. cog. his e. pr.* ‖ 955 Dz. *et dict.* ex DGL ‖ 956 ς *istuc;* vul. *istic* ‖ 956 sq. vul. *quid ístic* iambice acuitur et *tu* vocula omissa duo senarii statuuntur; quos locum habere non posse Conradt p. 69 sq. dilucide demonstravit: ipse octonarios iambicos dimensus est (*quid ístic . . . tú mihi* | *germánus p. a. e. c.* ⏑́ ⏑ – ⏑ ⏑́ ⏑ –); et ita Dz.[1] lacuna paulo aliter suppleta. nunc autem v. 956 una cum sententiae mutatione Terentium ad trochaicos numeros transire (cum Bornio p. 4) et v. 957 *frater* aptissime suppleri puto. antecedentis versus finem sic fere a poeta scriptum esse idem opinatur: De. *Et ego, Micio.* in ς personarum distributio et verborum ordo turbata sunt ‖ 988 *et* del. Ladewig p. 24 et Madvig, Adv. II 169; sed cf. Dz.[1] ad h. l. ‖ 994 vul. cum ς *obsecundare* (om. *me*); Um. *sec.* ex Don. ‖ 996 ς *opus factost* (D[1]L *sit*); *facto opus* Eugr.; coniunctivum requirit antecedens *quid;* quare Ed. Becker in Studem. Stud. I 254 *quod op. f. est* scribi vult.

P. TERENTI AFRI
C O M O E D I A E

C. SVETONI TRANQVILLI

VITA TERENTI.

ed. R. p. 26 P. Terentius Afer Carthagine natus seruiit Romae Terentio Lucano senatori, a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manu missus est. quidam captum esse existimant: quod fieri nullo modo potuisse Fenestella docet, cum inter finem secundi Punici belli et initium tertii *et* natus *sit* et mortuus; nec, si a Numidis aut Gaetulis captus sit, p. 27 ad d*ominum* Romanum peruenire potuisse nullo commercio inter Italicos et Afros nisi post deletam Carthaginem coepto.

Hic cum multis nobilibus familiariter uixit, sed maxime cum Scipione Africano et C. Laelio, quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur: quod et ipsum Fenestella arguit contendens utroque maiorem natu fuisse, quamuis et Nepos aequales omnes fuisse tradat et Porcius suspitionem de consuetudine per haec faciat:

Dúm lasciuiám nobilium et laúdes fucosás petit,
Dum Áfricani uócem diuinam ínhiat auidis aúribus,
Dúm ad Phi*l*um se cénitare et Laélium pulchrúm putat,
Dúm in Albanum crébro rapitur ób florem aetatís suae:
p. 28 *Suís post*latis rébus ad summam ínopiam redáctus est.
Ítaque ex conspectu ómnium *ubi* abit Graéci*ae* in terram últimam,
Mórtuost Stympháli, Arcadiae *in* óppido: nil Públio
Scípio *tum* prófuit, nil Laélius, nil Fúrius,
Trés per id tempús qui agitabant nóbiles facíllume:
Eórum ille opera né domum quidem hábuit conductíciam,
Sáltem ut esset quó referret óbitum domini séruolus.

Scripsit comoedias sex, ex quibus primam Andriam cum aedilibus daret, iussus ante Caec*il*io recitare ad cenantem cum uenisset, dic*itur* initium quidem fabulae, quod erat con-

temptiore uestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse, ed.R. p. 29 post paucos uero uersus inuitatus ut accumberet cenasse una, dein cetera percucurrisse non sine magna Cae*cil*ii admiratione. et hanc autem et quinque reliquas aequaliter populo probauit; quamuis Volcacius *in* d*i*numeratione omnium ita scribat:

† Sumetur Hecyra sexta ex his fabula,

Eunuchus quidem bis dei*nceps* acta est meruitque pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia, id est octo milia nummum; propterea summa quoque titulo ascribitur. * * * * * nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio p. 30 Menandri.

Non obscura fama est adiutum Terentium in scriptis a Laelio et Scipione, *e*amque ipse auxit numquam nisi leuiter refutare conatus, ut in prologo Adelphorum:

Nam quód isti dicunt máleuoli, homines nóbilis
Hunc ádiutare adsídueque una scríbere:
Quod illí maledictum uéhemens esse exístumant,
Eam laúdem hic ducit máxumam, quo*m* illís placet,
Qui uóbis uniuórsis et populó placent,
Quorum ópera in bello, in ótio, in negótio
Suo quísque tempore úsust sine supérbia.

uidetur autem se leuius defendisse, quia sciebat et Laelio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem: quae tum magis et usque ad posteriora tempora ualuit. C. Memmius in oratione pro se 'P. Africanus,' inquit, 'a Terentio personam mutua- p. 31 tus, quae domi luserat ipse, nomine illius in scaenam detulit.' Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Laelium quondam in Puteolano kalendis Martiis admonitum ab uxore, temperius ut discumberet, petisse ab ea ne interpellaretur; seroque tandem ingressum triclinium dixisse non saepe in scribendo magis sibi successisse; deinde rogatum ut scripta illa proferret, pronuntiasse uersus qui sunt in Heautontimorumeno:

Satis pól proterue mé Syri promíssa huc induxérunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adulescentuli fuerint, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto et qu*o* consul*e* *Megalens*ibus ludis initium fabularum dandarum fecerit, uel Q. Fabio Labeone et M. Popillio, consulari utroque ac p. 32 poëta. ideo ipsum non iuuenes designare, qui se adiuuare dic*an*tur, sed uiros, quorum operam et in bello et in otio et in negotio populus sit expertus.

ed.R. p. 32 Post editas *sex* comoedias, nondum quintum atque uicesimum egressus annum, animi causa *seu* uitandae opinionis, qua uidebatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Graecorum instituta moresque, quos non perinde exprimeret in scriptis, egressus *urbe* est neque amplius rediit. de morte eius Volcacius sic tradit:

Sed ut Áfer populo séx dedit comoédias,
Iter hínc in Asiam fécit. nauem *autem* út semel
Conscéndit, uisus númquam est: sic uitá uacat.

Q. Cosconius redeuntem e Graecia perisse in mari * sinu Leucadiae * dicit cum [C. et VIII.] fabulis conuersis a Menandro. ceteri mortuum esse in Arcadia Stymphali [sinu Leucadiae] p. 33 tradunt Cn. Cornelio Dolabella M. Fuluio Nobiliore consulibus, morbo implicitum [acri] ex dolore ac taedio amissarum sarcinarum, quas in naue praemiserat, ac simul fabularum, quas nouas fecerat.

Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. reliquit filiam, quae post equiti Romano nupsit; item hortulos XX iugerum uia Appia ad Martis [uillam]. quo magis miror Porcium scribere:

Scípio nil prófuit, nil Laélius, nil Fúrius,
Trés per id tempús qui agitabant nóbiles facíllume:
Eórum ille opera né domum quidem hábuit conductíciam,
Sáltem ut esset quó referret óbitum domini séruolus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis praefert scribens in Compitalibus:

Terénti *numne* símilem dicen*t* quémpiam?

p. 34 Volcacius autem non solum Naeuio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque et Atilio postponit. Cicero in Limone hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conuersum expressumque Latina uoce Menandrum
In medium nobis sedatis *mot*ibus effers,
Quiddam come loquens atque omnia dulcia *mis*cens.

Item C. Caesar:

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret uis,
Comica ut aequato uirtus polleret honore
Cum Graecis ne*ue* hac despectus parte iaceres!
Vnum hoc maceror ac doleo tibi desse, Terenti.

⟨*AVCTARIVM AELI DONATI*⟩

Haec Suetonius Tranquillus. nam duos Terentios poëtas fuisse scribit Maecius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius, Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentium † Vallegius in actione ait: ed.R. p. 35

Tuaé, Terenti, quaé uocantur fábulae,
Cuiaé sunt? non has, iúra qui populís dabat,
Summo *ílle* honore affectus fecit fábulas?

duae ab Apollodoro translatae esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra; quatuor reliquae a Menandro. ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula; Hecyra saepe exclusa uix acta est.

ANDRIA.

INCIPIT	*ANDRIA*	*TERENTI*
ACTA	*LVDIS*	*MEGALENSIB·*
M·FVLVIO	*M'·GLABRIONE*	*AEDIL·CVRVL·*
EGIT	*L·AMBIVIVS*	*TVRPIO*
[*L·HATILIVS*	*PRAENESTINVS*]	
MODOS	*FECIT*	*FLACCVS CLAVDI*
TIBĪS	*PARIBVS*	*TOTA*
GRAECA	*MENANDRV*	
FACTA	*I·*	
M·MARCELLO	*C·SVLPICIO.*	*COS·*

G. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA.

Sorórem falso créditam meretrículae
Genere Ándriae, Glycérium, uitiat Pámphilus
Grauidáque facta dát fidem, uxorém sibi
Fore hánc; nam*que* aliam páter eï despónderat,
Gnatám Chremetis, átque ut amorem cómperit,
Simulát futuras núptias, cupiéns suus
Quid habéret animi fílius, cognóscere.
Dauí *per*suasu nón repugnat Pámphilus.
Sed éx Glycerio nátum ut uidit púerulum
Chremés, recusat núptias, generum ábdicat.
Mox fíliam Glycérium insperato ádgnitam
Hanc Pámphilo, aliam dát Charino cóniugem.

PERSONAE.

[PROLOGVS]
SIMO SENEX
SOSIA LIBERTVS
DAVOS SERVOS
MYSIS ANCILLA
PAMPHILVS ADVLESCENS
CHARINVS ADVLESCENS
BYRRIA SERVOS
LESBIA OBSTETRIX
(GLYCERIVM VIRGO)
CHREMES SENEX
CRITO SENEX
DROMO LORARIVS
CANTOR

PROLOGVS.

Poëta quom primum ánimum ad scribendum ádpulit,
Id síbi negoti crédidit solúm dari,
Populo út placerent quás fecisset fábulas.
Verum áliter euenîre multo intéllegit;
Nam in prólogis scribúndis operam abútitur,
Non qui árgumentum nárret, sed qui máliuoli
Veterís poëtae máledictis respóndeat.
Nunc, quám rem uitio dént, quaeso animum adténdite.
Menánder fecit Ándriam et Perínthiam.
Qui utrámuis recte nórit, ambas nóuerit:
Non íta dissimili súnt argumento, ét tamen
Dissímili oratióne sunt factae ác stilo.
Quae cónuenere in Ándriam ex Perínthia
Fatétur transtulísse atque usum pró suis.
Id istí uituperant fáctum atque in eo dísputant
Contáminari nón decere fábulas.
Faciúntne intellegéndo, ut nil intéllegant?
Qui quom húnc accusant, Naéuium Plautum Ennium
Accúsant, quos hic nóster auctorés habet,
Quorum aémulari exóptat neclegéntiam
Potiús quam istorum obscúram diligéntiam.
Dehinc út quiescant pórro moneo et désinant
Male dícere, malefácta ne noscánt sua.
Fauéte, adeste aequo ánimo et rem cognóscite,
Vt pérnoscatis, écquid spei sit rélicuom,
Posthác quas faciet de íntegro comoédias,
Spectándae an exigéndae sint uobís prius.

ACTVS I.

SIMO SOSIA
SENEX LIBERTVS

Si. Vos ístaec intro auférte: abite. — Sósia,
Adés dum: paucis té uolo. So. Dictúm puta:
Nempe út curentur récte haec? Si. Immo aliúd. So. Quid est,
Quod tíbi mea ars effícere hoc possit ámplius?
Si. Nil ístac opus est árte ad hanc rem, quám paro,
Sed eís quas semper ín te intellexí sitas,
Fide ét taciturnitáte. So. Expecto quíd uelis.
Si. Ego póstquam te emi, a páruolo ut sempér tibi
Apúd me iusta et clémens fuerit séruitus,
Scis. féci ex seruo ut ésses libertús mihi,
Proptérea quod seruíbas liberáliter:
Quod hábui summum prétium, persoluí tibi.
So. In mémoria habeo. Si. Haud múto factum. So. Gaúdeo,
Si tíbi quid feci aut fácio quod placeát, Simo,
Et id grátum fuisse aduórsum te habeo grátiam.
Sed hoc míhi molestumst; nam ístaec commemorátio
Quasi éxprobratióst inmemori bénefici.
Quin tu úno uerbo díc, quid est quod mé uelis?
Si. Ita fáciam. hoc primum in hác re praedicó tibi:
Quas crédis esse has, nón sunt uerae núptiae.
So. Quor símulas igitur? Si. Rem ómnem a princípio aúdies:
Eo pácto et gnati uítam et consiliúm meum
Cognósces et quid fácere in hac re té uelim.
Nam is póstquam excessit éx ephebis [Sosia, et
Liberius uiuendi fuit potestas], (nam ántea
Qui scíre posses aút ingenium nóscere,

Dum aetás metus magíster prohibebánt? So. Itast.)
Si. Quod plérique omnes fáciunt adulescéntuli,
Vt ánimum ad aliquod stúdium adiungant, aút equos
Alere aút canes ad uénandum, aut ad phílosophos,
Horum ílle nil egrégie praeter cétera
Studébat, et tamen ómnia haec medíocriter.
Gaudébam. So. Non iniúria; nam id árbitror
Adpríme in uita esse útile, ut ne quíd nimis.
Si. Sic uíta erat: facile ómnis perferre ác pati;
Cum quíbus erat quomque úna, eis sese dédere;
Eórum studiis óbsequi [aduersus nemini,
Numquam praeponens se illis]: ita ut facíllume
Sine inuídia laudem inuénias et amicós pares.
So. Sapiénter uitam instítuit; namque hoc témpore
Obséquium amicos, uéritas odiúm parit.
Si. Intérea mulier quaédam abhinc triénnium
Ex Ándro commigráuit huc uicíniam,
Inópia et cognatórum neclegéntia
Coácta, egregia fórma atque aetate íntegra.
So. Ei, uéreor ne quid Ándria adportét mali!
Si. Primo haéc pudice uítam, parce ac dúriter
Agébat, lana ac téla uictum quaéritans;
Sed póstquam amans accéssit pretium póllicens
Vnús et item alter, íta ut ingeniumst ómnium
Hominum áb labore próclíue ad lubídinem,
Accépit condiciónem, dein quaestum óccipit.
Qui tum íllam amabant, fórte, ita ut fit, fílium
Perdúxere illuc, sécum ut una essét, meum.
Egomét continuo mécum 'certe cáptus est:
Habet.' óbseruabam máne illorum séruolos
Veniéntis aut abeúntis: rogitabam 'heús puer,
Dic sódes, quis heri Chrýsidem habuit?' nam Ándriae
Illi íd erat nomen. So. Téneo. Si. Phaedrum aut Clíniam
Dicébant aut Nicáretum; nam hi tres túm simul
Amábant. 'eho, quid Pámphilus?' "quid? sýmbolam

Dedít, cenauit." gaúdebam. item alió die
Quaerébam: comperiébam nil ad Pámphilum
Quicquam áttinere. enim uéro spectatúm satis
Putábam et magnum exémplum continéntiae;
Nam quí cum ingeniis cónflictatur eíus modi
Neque cómmouetur ánimus in ea ré tamen,
Scias pósse habere iam ípsum suae uitaé modum.
Quom id míhi placebat, tum úno ore omnes ómnia
Bona dícere et laudáre fortunás meas,
Qui gnátum haberem táli ingenio praéditum.
Quid uérbis opus est? hác fama inpulsús Chremes
Vltro ád me uenit, únicam gnatám suam
Cum dóte summa fílio uxorem út daret.
Placuít: despondi. hic núptiis dictúst dies.
So. Quid ígitur obstat, quór non fiant? Si. Aúdies.
Fere ín diebus paúcis, quibus haec ácta sunt,
Chrysís uicina haec móritur. So. O factúm bene!
Beásti; [ei] metui a Chrýside. Si. Ibi tum fílius
Cum illís, qui ama*r*ant Chrýsidem, una aderát frequens;
Curábat una fúnus; tristis ínterim,
Non númquam conlacrumábat. placuit tum íd mihi.
Sic cógitabam 'hic páruae consuetúdinis
Causa húius mortem tám fert familiáriter:
Quid si ípse amasset? quíd hic mihi faciét patri?'
Haec égo putabam esse ómnia humani íngeni
Mansuétique animi offícia. quid multís moror?
Egomét quoque eius caúsa in funus pródeo,
Nil étiam suspicáns mali. So. Hem, quid id ést? Si. Scies.
Ecfértur; imus. ínterea inter múlieres,
Quae ibi áderant, forte unam áspicio adulescéntulam,
Formá So. Bona fortásse. Si. et uoltu, Sósia,
Adeó modesto, adeó uenusto, ut níl supra.
Quia túm mihi lamentári praeter céteras
Visást, et quia erat fórma praeter céteras
Honésta ac liberáli, accedo ad pédisequas,
Quae sít rogo: sorórem esse aiunt Chrýsidis,

Percússit ilico ánimum. attat hoc íllud est,
Hinc íllae lacrumae, haec íllast misericórdia.
So. Quam tímeo, quorsum euádas! Si. Funus ínterim
Procédit; sequimur; ád sepulcrum uénimus;
In ígnem inpositast; flétur. interea haéc soror,
Quam díxi, ad flammam accéssit inprudéntius,
Satis cúm periclo. ibi tum éxanimatus Pámphilus
Bene díssimulatum amórem et celatum índicat:
Adcúrrit; mediam múlierem compléctitur:
'Mea Glýcerium,' inquit 'quíd agis? quor te is pérditum?'
Tum illa, út consuetum fácile amorem cérneres,
Reiécit se in eum fléns quam familiáriter!
So. Quid aïs? Si. Redeo inde irátus atque aegré ferens;
Nec sátis ad obiurgándum causae. díceret
'Quid féci? quid commérui aut peccauí, pater?
Quae sése in ignem inícere uoluit, próhibui,
Seruáui.' honesta orátiost. So. Recté putas;
Nam si íllum obiurges, uítae qui auxiliúm tulit,
Quid fácias illi, quí ded*it* damnum aút malum?
Si. Venít Chremes postrídie ad me clámitans:
Indígnum facinus; cómperisse, Pámphilum
Pro uxóre habere hanc péregrinam. ego illud sédulo
Negáre factum. ille ínstat factum. dénique
Ita túm discedo ab íllo, ut qui se fíliam
Negét daturum. So. Nón tu ibi gnatum . .? Si. Ne haéc quidem
Satis uémens causa ad óbiurgandum. So. Qui? cedo.
Si. 'Tute ípse his rebus fínem praescripstí, pater:
Prope adést, quom alieno móre uiuendúmst mihi:
Sine núnc meo me uíuere intereá modo.'
So. Qui igitúr relictus ést obiurgandí locus?
Si. Si própter amorem uxórem nolet dúcere:
Ea prímum ab illo anim*um* áduortenda iniúriast;
Et núnc id operam do, út per falsas núptias
Vera óbiurgandi caúsa sit, si déneget;
Simúl sceleratus Dáuos si quid cónsili

Habet, út consumat núnc, quom nil obsínt doli;
Quem ego crédo manibus pédibusque obnixe ómnia
Factúrum, magis id ádeo, mihi ut incómmodet,
Quam ut óbsequatur gnáto. So. Quaproptér? Rogas?
Mala méns, malus animus. quém quidem ego si sénsero . . .
Sed quíd opust uerbis? sín eueniat, quód uolo,
In Pámphilo ut nil sít morae, restát Chremes,
Qui mi éxorandus ést: et spero cónfore.
Nunc tuómst officium, has béne ut adsimules núptias,
Pertérrefacias Dáuom, obserues fílium,
Quid agát, quid cum illo cónsili captét. So. Sat est:
Curábo. *Si.* Eamus núnciam intro: i praé, sequor.

ACTVS II.

SIMO — SENEX
DAVOS — SERVOS

Si. Non dúbiumst, quin uxórem nolit fílius; I, 2
Ita Dáuom modo timére sensi, ubi núptias
Futúras esse audíuit. sed ipse exít foras.
Da. Mirábar, hoc si síc abiret, ét eri semper lénitas
Verébar quorsum euáderet.
Qui póstquam audierat nón datum iri fílio uxorém suo,
Númquam quoiquam nóstrum uerbum fécit neque id aegré tulit.
Si. Át nunc faciet, néque, ut opinor, síne tuo magnó malo.
Da. Id uóluit, nos sic nécopinantis dúci falso gaúdio,
Sperántis iam amotó metu, interóscitantis ópprimi,
Ne ésset spatium cógitandi ad dísturbandas núptias:

Astúte. Sɪ. Carnuféx quae loquitur? Dᴀ. Érus est, neque prouíderam.
Sɪ. Daue. Dᴀ. Hém, quid est? Sɪ. Eho dum ád me. Dᴀ. Quid hic uolt? Sɪ. Quíd aïs? Dᴀ. Qua de ré? Sɪ. Rogas?
Meum gnátum rumor ést amare. Dᴀ. Id pópulus curat scílicet.
Sɪ. Hocíne agis an non? Dᴀ. Égo uero istuc. Sɪ. Séd nunc ea me exquírere
Iníqui patris est; nám quod antehac fécit, nil ad me áttinet.
Dum témpus ad eam rém tulit, siui, ánimum ut explerét suom;
Nunc híc dies aliám uitam adfert, álios mores póstulat:
Dehinc póstulo siue aéquomst te oro, Dáue, ut redeat iam ín uiam.
Hoc quíd sit? omnes, quí amant, grauiter síbi dari uxorém ferunt.
Dᴀ. Ita áiunt. Sɪ. Tum si quís magistrum cépit ad eam rem ínprobum,
Ipsum ánimum aegrotum ad déteriorem pártem plerumque ádplicat.
Dᴀ. Non hércle intellegó. Sɪ. Non? hem. Dᴀ. Non: Dáuos sum, non Oédipus.
Sɪ. Nempe érgo aperte uís quae restant mé loqui? Dᴀ. Sané quidem.
Sɪ. Si sénsero hodie quícquam in his te núptiis
Falláciae conári, quo fiánt minus,
Aut uélle in ea re osténdi, quam sis cállidus:
Verbéribus caesum te ín pistrinum, Dáue, dedam usque ád necem,
Ea lége atque omine, út, si te inde exémerim, ego pro té molam.
Quid, hoc íntellextin? án non dum etiam ne hóc quidem? Dᴀ. Immo cállide:
Ita apérte ipsam rem módo locutu's, níl circum itione úsus es.
Sɪ. Vbiuís facilius pássus sim quam in hác re me delúdier.

DA. Bona uérba, quaeso. SI. Inrídes? nil me fállis. sed dicó tibi:
Ne témere facias; néque tu haud dicas tíbi non praedictúm: caue.

DAVOS
SERVOS

DA. Enim uéro, Daue, níl locist segnítiae neque socórdiae, I, 3
Quantum íntellexi módo senis senténtiam de núptiis:
Quae sí non astu próuidentur, me aút erum pessúm dabunt.
Nec quíd agam certumst, Pámphilumne adiútem an auscultém seni.
Si illúm relinquo, eius uítae timeo; sín opitulor, huíus minas,
Quoi uérba dare difficilest: primum iám de amore hoc cómperit;
Me infénsus seruat, né quam faciam in núptiis falláciam.
Si sénserit, perií: [aut] si lubitum fúerit, causam céperit,
Quo iúre quaque iniúria praecípitem in pistrinúm dabit.
Ad haéc mala hoc mi accédit etiam: haec Ándria,
S*i* ista úxor siue amícast, grauida e Pámphilost.
Audíreque eorumst óperae pretium audáciam
(Nam incéptiost améntium, haud amántium):
Quidquíd peperisset, décreuerunt tóllere.
Et fíngunt quandam intér se nunc falláciam,
Ciuem Átticam esse hanc: 'fúit olim *hinc* quidám senex
Mercátor; nauem is frégit apud Andrum ínsulam;
Is óbiit mortem.' ibi tum hánc eiectam Chrýsidis
Patrém recepisse órbam, paruam. fábulae!
[Mihi quidem hercle non fit ueri simile; atque ipsis commentum placet.]

Sed Mýsis ab ea egréditur. at ego hinc me ád forum: [ut]
Conuéniam Pamphilúm, ne de hac re páter inprudentem ópprimat.

Mysis
ANCILLA

I, 4 Aúdiui, Archylís, iam dudum: Lésbiam adducí iubes.
Sáne pol illa témulentast múlier et temerária
Néc satis digna, quoí committas prímo partu múlierem.
Támen eam adducam? ínportunitátem spectate ániculae:
Quía compotrix éius est. di, dáte facilitatem óbsecro
Huíc pariundi atque ílli in aliis pótius peccandí locum.
Sed quíd nam Pamphilum éxanimatum uídeo? uereor quíd siet.
Oppériar, ut sciám num quid nam haec túrba tristitiae ádferat.

Pamphilvs Mysis
ADVLESCENS ANCILLA

I, 5 Pa. Hocinést humanum fáctum aut inceptum? hócinest officiúm patris?
My. Quid íllud est? Pa. Pro deúm fidem, quid est, si haéc non contuméliast?
Vxórem decrerát dare sese mi hódie: nonne opórtuit
Praescísse me ante? nónne prius commúnicatum opórtuit?
My. Miserám me, quod uerbum aúdio!
Pa. Quíd? Chremes, qui dénegarat sé commissurúm mihi
Gnátam suam uxorem, íd mutauit, quía me inmutatúm uidet?
Itan óbstinate operám dat, ut me a Glýcerio miserum ábstrahat?

Quod sí fit, pereo fúnditus.
Ádeon hominem esse ínuenustum aut ínfelicem quémquam, ut ego sum!
Pró deum atque hominúm fidem!
Núllon ego Chremétis pacto adfínitatem effúgere potero?
Quód modis contémptus, spretus! fácta, transacta ómnia. hem,
Répudiatus répetor. quam ob rem? nísi si id est, quod súspicor:
Áliquid monstri alúnt: ea quoniam némini obtrudí potest,
Ítur ad me. My. Orátio haec me míseram exanimauít metu.
Pa. Nam quíd ego dicam dé patre? ah,
Tantámne rem tam néclegenter ágere! praeteriéns modo
Mi ápud forum 'uxor tíbi ducendast, Pámphile, hodie' inquít: 'para,
Ábi domum.' id mihi uísust dicere 'ábi cito ac suspénde te.'
Óbstipui. censén me uerbum pótuisse ullum próloqui? [aut]
Vllam causam, inéptam saltem, fálsam iniquam? obmútui.
Quód si ego rescíssem id prius, quid fácerem, si quis [nunc] mé roget:
Áliquid facerem, ut hóc ne facerem. séd nunc quid primum éxsequar?
Tót me inpediunt cúrae, quae meum ánimum diuorsaé trahunt:
Amor, mísericordia húius, nuptiárum sollicitátio,
Tum pátris pudor, qui mé tam leni pássus est animo úsque adhuc,
Quae meó quomque animo lúbitumst facere. ein égo ut aduorser? eí mihi!
Incértumst quid agam. My. Mísera timeo, 'incértum*st*' hoc quorsum áccidat.
Sed núnc peropus est, aút hunc cum ipsa aut de ílla me aduorsum húnc loqui:

Dum in dúbiost animus, paúlo momento húc uel illuc inpéllitur.
Pa. Quis hic lóquitur? Mysis, sálue. My. O salue, Pámphile. Pa. Quid agít? My. Rogas?
Labórat e dolóre, atque ex hoc mísera sollicitást die,
Quia ólim in hunc sunt cónstitutae núptiae. tum autem hóc timet,
Ne déseras se. Pa. [Hem] Egon ístuc conarí queam?
Egon própter me illam décipi miserám sinam,
Quae míhi suom animum atque ómnem uitam crédidit,
Quam ego ánimo egregie cáram pro uxore hábuerim?
Bene ét pudice eius dóctum atque eductúm sinam
Coáctum egestate íngenium inmutárier?
Non fáciam. My. Haud uerear, si ín te sit soló situm;
Sed uim út queas ferre. Pa. Ádeon me ignauóm putas,
Adeón porro ingratum aút inhumanum aút ferum,
Vt néque me consuetúdo neque amor néque pudor
Commóueat neque commóneat, ut seruém fidem?
My. Vnum hóc scio, meritam ésse, ut memor essés sui.
Pa. Memor éssem? o Mysis Mýsis, etiam núnc mihi
Scripta ílla dicta súnt in animo Chrýsidis
De Glýcerio. iam férme moriens mé uocat:
Accéssi; uos semótae; nos soli: íncipit
'Mi Pámphile, huius fórmam atque aetatém uides,
Nec clám te est, quam illi núnc utraeque inútiles
Et ád pudicitiam ét ad rem tutandám sient.
Quod pér ego te hanc *nunc* déxtram oro et geniúm tuom,
Per tuám fidem perque húius solitúdinem
Te obtéstor, ne abs te hanc ségreges neu déseras.
Si te ín germani frátris dilexí loco
Siue haéc te solum sémper fecit máxumi
Seu tíbi morigera fúit in rebus ómnibus,
Te istí uirum do, amícum tutorém patrem;

Bona nóstra haec tibi permítto et tuae mandó fide.'
Hanc mi ín manum dat; mórs continuo ipsam occupat.
Accépi: acceptam séruabo. My. Ita speró quidem.
Pa. Sed quór tu abis ab illa? My. Óbstetricem accérso. Pa. Propera. atque aúdin?
Verbum únum caue de núptiis, ne ad mórbum hoc etiam. My. Téneo.

ACTVS III.

Charinvs Byrria Pamphilvs
adulescens servos adulescens

Ch. Quíd aïs, Byrriá? daturne illa Pámphilo hodie núptum? By. Sic est. II,1
Ch. Quí scis? By. Apud forúm modo e Dauo audíui. Ch. Vae miseró mihi!
Vt ánimus in spe atque ín timore usque ántehac attentús fuit,
Ita, póstquam adempta spés est, lassus cúra confectús stupet.
By. Quaéso edepol, Charíne, quoniam nón potest id fíeri quod uis,
Íd uelis quod póssit. Ch. Nil uolo áliud nisi Philúmenam. By. Ah,
Quánto satiust te íd dare operam, qui ístum amorem ex ánimo amoueas,
Quam íd loqui, quo mágis lubido frústra incendatúr tua!
Ch. Facile ómnes, quom ualémus, recta cónsilia aegrotís damus.
Tu si híc sis, aliter séntias. By. Age age, út lubet. Ch. Sed Pámphilum
Video. ómnia experíri certumst príus quam pereo. By. Quíd hic agit?

Ch. Hunc ípsum orabo, huic súpplicabo, amórem huic narrabó meum:
Credo ímpetrabo, ut áliquod saltem núptiis prodát dies:
Intérea fiet áliquid, spero. By. Id 'áliquid' nil est. Ch. Býrria,
Quid tíbi uidetur? ádeon ad eum? By. Quíd ni? si nil ímpetres,
Vt te árbitretur síbi paratum moéchum, si illam dúxerit.
Ch. Ábin hinc in malám rem cum suspícione istác, scelus?
Pa. Charínum uideo. sálue. Ch. O salue, Pámphile:
Ád te aduenio spém salutem auxílium consilium éxpetens.
Pa. Néque pol consilí locum habeo néque ad auxilium cópiam.
Séd istuc quid namst? Ch. Hódie uxorem dúcis? Pa. Aiunt. Ch. Pámphile,
Si íd facis, hodié postremum mé uides. Pa. Quid ita? Ch. Eí mihi,
Véreor dicere: huíc dic quaeso, Býrria. By. Ego dicám. Pa. Quid est?
By. Spónsam hic tuam amat. Pa. Né iste haud mecum séntit. eho dum díc mihi:
Núm quid nam ampliús tibi cum illa fuít, Charine? Ch. Ah, Pámphile,
Níl. Pa. Quam uellem! Ch. Núnc te per amicítiam et per amorem óbsecro,
Príncipio ut ne dúcas. Pa. Dabo equidem óperam. Ch. Sed si id nón potest
Aút tibi nuptiae haéc sunt cordi, Pa. Córdi? Ch. saltem aliquód dies
Prófer, dum profícíscor aliquo, né uideam. Pa. Audi núnciam:
Égo, Charine, ne útiquam officium líberi esse hominís puto,
Quom ís nil mereat, póstulare id grátiae adponí sibi.
Núptias effúgere ego istas málo quam tu apíscier.

CH. Réddidisti animúm. PA. Nunc si quid pótes aut tu aut hic Býrria,
Fácite fingite ínuenite efficite, qui detúr tibi;
Égo id agam, mihi quí ne detur. CH. Sát habeo. PA. Dauom óptume
Vídeo, quoius consílio fretus sum. CH. Át tu hercle haud quicquám mihi,
Nísi ea quae nil ópus sunt sciri. fúgin hinc? BY. Ego uero ác lubens.

DAVOS CHARINVS PAMPHILVS
SERVOS ADVLESCENTES II

DA. Dí boni, boní quid porto? séd ubi inueniam Pámphilum, II, 2
Vt metum in quo núnc est adimam atque éxpleam animum gaúdio?
CH. Laétus est nescío quid. PA. Nil est: nón dum haec resciuít mala.
DA. Quem égo nunc credo, sí iam audierit síbi paratas núptias,
CH. Aúdin tu illum? DA. tóto me oppido éxanimatum quaérere.
Séd ubi quaeram aut quó nunc primum inténdam? CH. Cessas ádloqui?
DA. Hábeo. PA. Daue, adés, resiste. DA. Quís homost, qui me . .? o Pámphile,
Te ípsum quaero. euge, *ó* Charine! ambo ópportune: uós uolo.
PA. Dáue, perii. DA. Quín tu hoc audi. PA. Intérii. DA. Quid timeás, scio.
CH. Méa quidem hercle cért*o* in dubio uítast. DA. Et quid tú, scio.
PA. Núptiae mi DA. Etsí scio? PA. hodie DA. Obtúndis, tam etsi intéllego?
Íd paues, ne dúcas tu illam; tu aútem, ut ducas. CH. Rém tenes.
PA. Ístuc ipsum. DA. Atque ístuc ipsum níl periclist: mé uide.
PA. Óbsecro te, quám primum hoc me líbera miserúm metu. DA. Em,

Líbero: uxorém tibi non dat iám Chremes. Pa. Qui scís? Da. Scio.
Túos pater modo mé prehendit: aít tibi uxorém dare
Hódie, item alia múlta, quae nunc nón est narrandí locus.
Cóntinuo ad te próperans percurro ád forum, ut dicam haéc tibi.
V́bi te non inuénio, ibi ascendo ín quendam excelsúm locum.
Círcumspicio: núsquam. forte ibi húius uideo Býrriam;
Rógo: negat uidísse. mihi moléstum; quid agam cógito.
Rédeunti interea éx ipsa re mi íncidit suspício 'hem,
Paúlulum obsoni; ípsus tristis; de ínprouiso núptiae:
Nón cohaerent.' Pa. Quórsum nam istuc? Da. Égo me continuo ád Chremem.
Quom íllo aduenio, sólitudo ante óstium: iam id gaúdeo.
Ch. Récte dicis. Pa. Pérge. Da. Maneo. intérea intro ire néminem
Vídeo, exire néminem; matrónam nullam in aédibus,
Níl ornati, níl tumulti: accéssi; intro aspexí. Pa. Scio:
Mágnum signum. Da. Núm uidentur cónuenire haec núptiis?
Pa. Nón opinor, Dáue. Da. 'Opinor' nárras? non recte áccipis:
Cérta res est. étiam puerum inde ábiens conueni Chremi:
Hólera et pisciculós minutos férre obolo in cenám seni.
Ch. Líberatus sum hódie, Daue, túa opera. Da. Ac nullús quidem.
Ch. Quíd ita? nempe huic prórsus illam nón dat. Da. Ridiculúm caput,

Quási necess*us* sít, si huic non dat, té illam uxorem dúcere,
Nísi uides, nisi sénis amicos óras, ambis. CH. Béne mones:
Íbo, etsi hercle saépe iam me spés haec frustratást. uale.

PAMPHILVS DAVOS
ADVLESCENS SERVOS

PA. Quíd igitur sibi uólt pater? quor símulat? DA. Ego dicám tibi. II,3
Si íd suscenseát nunc, quia non dét tibi uxorém Chremes,
Príus quam tuom ut sese hábeat animum ad núptias perspéxerit:
Ípsus sibi esse iniúrius uideátur, neque id iniúria.
Séd si tu negáris ducere, íbi culpam in te tránsferet:
Túm illae turbae fíent. PA. Quiduis pátiar. DA. Pater est, Pámphile:
Dífficilest. tum haec sólast mulier. díctum [ac] factum inuénerit
Áliquam causam, quam ób rem eïciat óppido. PA. Eïciát? DA. Cito.
PA. Cédo igitur, quid fáciam, Daue? DA. Díc te ducturum. PA. Hém. DA. Quid est?
PA. Egon dícam? DA. Quor non? PA. Númquam faciam. DA. Né nega.
PA. Suadére noli. DA. Ex eá re quid fiát, uide.
PA. Vt ab ílla excludar, hóc concludar. DA. Nón itast.
Nempe hóc sic esse opínor: dicturúm patrem
'Ducás uolo hodie uxórem'; tu 'ducam' ínquies:
Cedo quíd iurgabit técum hic? reddes ómnia,
Quae núnc sunt certa ei cónsilia, incerta út sient,
Sine omní periclo. nam hóc haud dubiumst, quín Chremes
Tibi nón det gnatam; néc tu ea causa mĭnueris
Haec quaé facis, ne is mútet suam senténtiam.

Patrí dic uelle, ut, quóm uelit, tibi iúre irasci nón queat.
Nam quód tu speres 'própulsabo fácile uxorem his móribus;
Dabit némo': inueniet inopem potius, quám te corrumpí sinat.
Sed sí te aequo animo férre accipiet, néclegentem féceris;
Aliam ótiosus quaéret: interea áliquid acciderít boni.
Pa. Itan crédis? Da. Haud dubium íd quidemst. Pa. Vide quó me inducas. Da. Quín taces?
Pa. Dicám. puerum autem né resciscat mi ésse ex illa, caútiost;
Nam póllicitus sum súscepturum. Da. O fácinus audax! Pa. Hánc fidem
Sibi me óbsecrauit, quí se sciret nón deserturum, út darem.
Da. Curábitur. sed páter adest. caue te ésse tristem séntiat.

SIMO DAVOS PAMPHILVS
SENEX SERVOS ADVLESCENS

II,4 Si. Reuíso quid agant aút quid captent cónsili.
Da. Hic núnc non dubitat, quín te ducturúm neges.
Venít meditatus álicunde ex soló loco:
Orátionem spérat inuenísse se,
Qui dífferat te: proín tu fac apud te út sies.
Pa. Modo ut póssim, Daue. Da. Créde inquam hoc mihi, Pámphile,
Numquam hódie tecum cómmutaturúm patrem
Vnum ésse uerbum, sí te dices dúcere.

BYRRIA SIMO DAVOS PAMPHILVS
SERVOS SENEX SERVOS ADVLESCENS

II,5 By. Erus mé relictis rébus iussit Pámphilum
Hodie óbseruare, ut quíd ageret de núptiis,
Scirem: íd propterea núnc hunc uenientém sequor.

Ipsum ádeo praesto uídeo cum Dauo: hóc agam.
SI. Vtrúmque adesse uídeo. DA. Em, serua. SI. Pámphile.
DA. Quasi de ínprouiso réspice ad eum. PA. Ehém, pater.
DA. Probe. SI. Hódie uxorem dúcas, ut dixí, uolo.
BY. Nunc nóstrae timeo párti, quid hic respóndeat.
PA. Neque istíc neque alibi tíbi erit usquam in mé mora. BY. Hem.
DA. Obmútuit. BY. Quid díxit? SI. Facis ut té decet,
Quom istúc quod postulo ímpetro cum grátia.
DA. Sum uérus? BY. Erus, quantum aúdio, uxore éxcidit.
SI. I núnciam intro, ne ín mora, quom opus sít, sies.
PA. Eó. BY. Nullane in re ésse quoiquam hominí fidem!
Verum íllud uerbumst, uólgo quod dicí solet,
Omnís sibi malle mélius esse quam álteri.
Ego íllam uidi: uírginem formá bona
Meminí uideri: quo aéquior sum Pámphilo,
Si sé illam in somnis quam íllum amplecti máluit.
Renúntiabo, ut pro hóc malo mihi dét malum.

DAVOS SIMO
SERVOS SENEX

DA. Hic núnc me credit áliquam sibi falláciam II,6
Portáre et ea me hic réstitisse grátia.
SI. Quid Dáuos narrat? aéque quicquam núnc quidem?
Nilne? hém. DA. Nil prorsus. SI. Átqui expectabám quidem.
DA. Praetér spem euenit, séntio: hoc male habét uirum.
SI. Potin és mihi uerum dícere? DA. Nil fácilius.
SI. Num illí molestae quídpiam haec sunt núptiae
Eius própter consuetúdinem huiusce hóspitae?
DA. Nil hércle; aut, si adeo, bíduist aut trídui
Haec sóllicitudo: nósti? deinde désinet.
Etenim ípsus secum eám rem reputauít uia.

SI. Laudó. DA. Dum licitumst éï dumque aetás tulit,
Amáuit; tum id clam: cáuit, ne umquam infámiae
Ea rés sibi esset, út uirum fortém decet.
Nunc úxore opus est: ánimum ad uxorem ádpulit.
SI. Subtrístis uisus ést esse aliquantúm mihi.
DA. Nil própter hanc rem, séd est quod suscensét tibi.
SI. Quid námst? DA. Puerilest. SI. Quíd *id* est? DA. Nil. SI. Quin díc, quid est?
DA. Ait nímium parce fácere sumptum. SI. Méne? DA. Te.
'Vix' ínquit 'drach*u*mis ést obsonatúm decem:
Non fílio uidétur uxorém dare.
Quem' inquít 'uocabo ad cénam meorum aequálium,
Potíssumum nunc?' ét, quod dicendum híc siet,
Tu quóque perparce, nímium: non laudó. SI. Tace.
DA. Commóui. SI. Ego istaec récte ut fiant uídero.
Quid nam hóc est rei? quid híc uolt ueteratór sibi?
Nam si híc malist quicquam, ém illic est huic reí caput.

MYSIS SIMO DAVOS LESBIA (GLYCERIVM)
ANCILLA SENEX SERVOS OBSTETRIX VIRGO

III,1 MY. Ita pól quidem res est, út dixisti, Lésbia:
Fidélem haud ferme múlieri inueniás uirum.
SI. Ab Ándriast ancílla haec? *DA.* Quid narrás? *SI.* Itast.
MY. Sed hic Pámphilus SI. Quid dícit? MY. firmauít fidem. SI. Hem.
DA. Vtinam aút hic surdus aút haec muta fácta sit!
MY. Nam quód peperisset, iússit tolli. SI. O Iúppiter,
Quid ego aúdio? actumst, síquidem haec uera praédicat.
LE. Bonum ingénium narras ádulescentis. MY. Óptumum.
Sed séquere me intro, ne ín mora illi sís. LE. Sequor. —
DA. Quod rémedium nunc huíc malo inueniám? SI. Quid hoc?

Adeóne est demens? éx peregrina? iám scio: ah,
Vix tándem sensi stólidus. Da. Quid hic sensísse aït?
Si. Haec prímum adfertur iám mi ab hoc fallácia:
Hanc símulant parere, quó Chremetem abstérreant.
(Gl.) Iunó Lucina, fér opem, serua me, óbsecro.
Si. Hui, tám cito? ridículum: postquam ante óstium
Me audíuit stare, adpróperat. non sat cómmode
Diuísa sunt tempóribus tibi, Daue, haéc. Da. Mihin?
Si. Num inmémores discipuli? Da. Égo quid narres néscio.
Si. Hicíne me si inparátum in ueris núptiis
Adórtus esset, quós mihi ludos rédderet!
Nunc huíus periclo fít, ego in portu náuigo.

Lesbia Simo Davos
OBSTETRIX SENEX SERVOS

Le. Adhúc, Archylís, quae adsolént quaeque opórtent III, 2
Signa ésse ad salútem, omnia huíc esse uídeo.
Nunc prímum fac ísta ut lauét; post dëínde,
Quod iússi ei darí bibere et quántum imperáui,
Date; móx ego huc reuórtor.
Per ecástor scitus púer est natus Pámphilo.
Deos quaéso ut sit supérstes, quandoquidem ípsest ingenió bono,
Quomque huíc est ueritus óptumae adulescénti facere iniúriam. —
Si. Vel hoc quís non credat, quí te norit, ábs te esse ortum? Da. Quíd nam id est?
Si. Non ímperabat córam, quid opus fácto esset puérperae,
Sed póstquam egressast, íllis quae sunt íntus clamat dé uia.
O Dáue, itane contémnor abs te? aut ítane tandem idóneus
Tibi uídeor esse, quém tam aperte fállere incipiás dolis?
Saltem áccurate, ut métui uidear cérte, si rescíuerim.
Da. Certe hércle nunc hic se ípsus fallit, haúd ego. Si. Edixí tibi,

Intérminatus súm, ne faceres: núm ueritu's? quid ré tulit?
Credón tibi hoc nunc, péperisse hanc e Pámphilo?
Da. Teneó quid erret, ét quid agam habeo. Si. Quíd taces?
Da. Quid crédas? quasi non tíbi renuntiáta sint haec síc fore.
Si. Mihin quísquam? Da. Eho, an tute íntellexti hoc ádsimulari? Si. Inrídeor.
Da. Renúntiatumst; nám qui tibi istaec íncidit suspício?
Si. Qui? quía te noram. Da. Quási tu dicas fáctum id consilió meo.
Si. Certe énim scio. Da. Non sátis me pernosti étiam, qualis sím, Simo.
Si. Egon té? Da. Sed si quid tíbi narrare occépi, continuó dari
Tibi uérba censes. Si. Fálso! Da. Itaque hercle níl iam muttire aúdeo.
Si. Hoc égo scio unum, néminem peperísse hic. Da. Intelléxti: *itast.*
Sed nílo setiús mox puerum huc déferent ante óstium.
Id égo iam nunc tibi, ére, renuntió futurum, ut sís sciens,
Ne tu hóc [mihi] posterius dícas Daui fáctum consilio aút dolis.
Prórsus a me opínionem hanc tuam ésse ego amotám uolo.
Si. Vnde id scis? Da. Audíui et credo: múlta concurrúnt simul,
Quí coniecturam hánc nunc facio. iám prius haec se e Pámphilo
Gráuidam dixit ésse: inuentumst fálsum. nunc, postquám uidet
Núptias domi ádparari, míssast ancilla ílico
Óbstetricem accérsitum ad eam et púerum ut adferrét simul.
Hóc nisi fit, puerum út tu uideas . . . [nihil mouentur nuptiae.]

Si. Quíd aïs? quom intelléxeras
Íd consilium cápere, quor non díxti extemplo Pámphilo?
Da. Quís igitur eum ab ílla abstraxit nísi ego? nam omnes nós quidem
Scímus, quam misere hánc amarit: núnc sibi uxorem éxpetit.
Póstremo id mihi dá negoti; tú tamen idem has núptias
Pérge facere ita út facis, et id spéro adiuturós deos.
Si. Ímmo abi intro: ibi me ópperire et quód parato opus ést para. —
Non ínpulit me, haec núnc omnino ut créderem;
Atqui haúd scio an quae díxit sint uera ómnia.
Sed párui pendo: illúd mihi multo máxumumst,
Quod míhi pollicitust ípsus gnatus. núnc Chremem
Conuéniam, orabo gnáto uxorem: [id] si ímpetro,
Quid álias malim quam hódie has fieri núptias?
Nam gnátus quod pollícitust, haud dubiúmst mihi,
Si nólit, quin eum mérito possim cógere.
Atque ádeo in ipso témpore eccum ipsúm [obuiam] Chremem.

Simo Chremes
senes II

Si. Iubeó Chremetem ... Ch. O te ípsum quaerebam. III,3
Si. Et ego te: optato áduenis.
Ch. Aliquód me adierunt, éx te auditum qui aíbant, hodie filiam
Meam núbere tuo gnáto: id uiso túne an illi insániant.
Si. Auscúlta paucis: [et] quíd ego te uelim ét tu quod quaerís scies.
Ch. Auscúlto: loquere quíd uelis.
Si. Per té deos oro et nóstram amicitiám, Chremes,
Quae incépta a paruis cum aétate adcreuít simul,
Perque únicam gnatám tuam et gnatúm meum,
Quoius tíbi potestas súmma seruandi datur,
Vt me ádiuues in hác re atque ita uti núptiae

Fueránt futurae, fiant. Ch. Ah, ne me óbsecra:
Quasi hóc te orando a me ímpetrare opórteat.
Alium ésse censes núnc me atque olim quóm dabam?
Si in rémst utrique ut fíant, accersí iube;
Sed si éx ea re plús malist quam cómmodi
Vtríque, id *ego* te oro ín commune ut cónsulas,
Quasi ílla tua sit Pámphilique ego sím pater.
Si. Immo íta uolo itaque póstulo ut fiát, Chremes,
Neque póstulem abs te, ni ípsa res moneát. Ch. Quid est?
Si. Iraé sunt inter Glýcerium et gnatum. Ch. Aúdio.
Si. Ita mágnae, ut sperem pósse auelli. Ch. Fábulae!
Si. Profécto sic est. Ch. Síc hercle ut dicám tibi:
Amántium irae amóris integrátiost.
Si. Em, id te óro ut ante eámus, dum tempús datur
Dumque eíus lubido occlúsast contuméliis,
Prius quam hárum scelera et lácrumae confictaé dolis
Reddúcunt animum aegrótum ad misericórdiam,
Vxórem demus. spéro consuetúdine [et]
Coniúgio liberáli deuinctúm, Chremes,
Dein fácile ex illis sése emersurúm malis.
Ch. Tibi ita hóc uidetur; át ego non posse árbitror,
Neque illum hánc perpetuo habére neque me pérpeti.
Si. Qui scís ergo istuc, nísi periclum féceris?
Ch. At istúc periclum in filia fierí grauest.
Si. Nempe íncommoditas dénique huc omnís redit,
Si euéniat, quod di próhibeant, discéssio.
At sí corrigitur, quód commoditatés, uide:
Princípio amico filium restítueris,
Tibi génerum firmum et filiae inueniés uirum.
Ch. Quid istíc? si ita istuc ánimum induxti esse útile
Noló tibi ullum cómmodum in me claúdier.
Si. Meritó te semper máxumi fecí, Chremes.
Ch. Sed quíd aïs? Si. Quid? Ch. Qui scís eos nunc díscordare intér se?
Si. Ipsús mihi Dauos, qui íntumust eorúm consiliis, díxit;

Et ís mihi suadet núptias quantúm queam ut matúrem.
Num cénses faceret, filium nisi scíret eadem haec uélle?
Tute ádeo iam eius uerba aúdies. heus, éuocate huc Dáuom.
Atque éccum uideo ipsúm foras exíre.

Davos Simo Chremes
servos senes ii

Da. Ad te ibam. Si. Quíd namst? III,4
Da. Quor úxor non accérsitur? iam aduésperascit. Si. Aúdin?
Ego dúdum non nil uéritus sum, Daue, ábs te, ne facerés idem,
Quod uólgus seruorúm solet, dolís ut me delúderes
Proptérea quod amat filius. Da. Egon ístuc facerem? Si. Crédidi,
Idque ádeo metuens uós celaui, quód nunc dicam. Da. Quíd? Si. Scies;
Nam própemodum habeo iám fidem. Da. Tandém cognosti quí siem?
Si. Non fúerant nuptiaé futurae, Da. Quíd? non? Si. sed ea grátia
Simuláui, uos ut pértemptarem. Da. Quíd aïs? Si. Sic res ést. Da. Vide:
Numquam ístuc quiui ego íntellegere. uáh consilium cállidum!
Si. Hoc aúdi: ut hinc te intro íre iussi, oppórtune hic fit mi óbuiam. Da. Hem,
Num nám perimus? Si. Nárro huic, quae tu dúdum narrastí mihi.
Da. Quid nam aúdio? Si. Gnatam út det oro, uíxque id exoro. Da. Óccidi. Si. Hem,
Quid díxisti? Da. Optume ínquam factum. Si. Núnc per hunc nullást mora.
Ch. Domúm modo ibo, ut ádparetur dícam, atque huc renúntio. —

SI. Nunc te óro, Daue, quóniam solus mi éffecisti has núptias,
DA. Ego uéro solus. SI. gnátum mi corrígere porro enítere.
DA. Faciam hércle seduló. SI. Potes nunc, dum ánimus inritátus est.
DA. Quiéscas. SI. Age igitúr, ubi nunc est ípsus? DA. Mirum ní domist.
SI. Ibo ád eum atque eadem haec, tíbi quae dixi, dícam itidem illi. — DA. Núllus sum.
Quid caúsaest, quin hinc ín pistrinum récta proficiscár uia?
Nil ést preci locí relictum: iám perturbaui ómnia:
Erúm fefelli; in núptias coniéci erilem fílium;
Feci hódie ut fierent, ínsperante hoc átque inuito Pámphilo.
Em astútias! quod sí quiessem, níl euenissét mali.
Sed éccum uideo ipsum: óccidi.
Vtinam mi esset áliquid hic, quo núnc me praecipitém darem!

PAMPHILVS DAVOS
ADVLESCENS SERVOS

III,5 PA. Vbi ille est scelus, qui pérdidit me? DA. Périi. PA. Atque hoc confíteor iure
Mi óbtigisse, quándoquidem tam inérs, tam nulli cónsili sum.
Séruon fortunás meas me cómmisisse fúttili!
Ego prétium ob stultitiám fero: sed inúltum numquam id aúferet.
DA. Posthác incolumem sát scio fore mé, [nunc] si deuito hóc malum.
PA. Nam quíd ego nunc dicám patri? negábon uelle mé, modo
Qui súm pollicitus dúcere? qua *audácia* id facere aúdeam?
Nec quíd me nunc faciám scio. DA. Nec me *é*quidem, atque id ago sédulo.
Dicam áliquid me inuentúrum, ut huic malo áliquam productém moram. PA. Oh!

DA. Vísus sum. PA. Eho dum, bóne uir, quid aïs? uíden me tuis consíliis miserum
Ínpeditum esse? DA. Át iam expediam. PA. Expédies? DA. Certe, Pámphile.
PA. Nempe út modo. DA. Immo mélius spero. PA. Oh, tíbi ego ut credam, fúrcifer?
Tu rem ínpeditam et pérditam restítuas? em quo frétus sim,
Qui me hódie ex tranquillíssuma re cóniecisti in núptias.
Án non dixi esse hóc futurum? DA. Díxti. PA. Quid meritú's? DA. Crucem.
Séd sine paululum ád me redeam: iam áliquid dispiciam. PA. Eí mihi,
Quóm non habeo spátium, ut de te súmam supplicium, út uolo!
Námque hoc tempus praécauere míhi me, haud te ulciscí sinit.

ACTVS IV.

CHARINVS PAMPHILVS DAVOS
ADVLESCENTES II SERVOS

CH. Hócine [est] crédibile aút memorábile, IV,1
Tánta uecórdia innáta quoiquam út siet,
Vt malis gaúdeant átque ex incómmodis
Álteriús sua ut cómparent cómmoda? ah,
Ídnest uerum? ímmo id est péssumum hominúm genus,
Dénegandí modo quís pudor paúlum adest;
Póst ubist témpus promíssa iam pérfici,
Túm coactí necessário se áperiunt.
[Et timent et tamen res premit denegare.]
Íbi tum eorum ínpudentíssuma orátiost
'Quis tú 's? quis mi 's? quor meám tibi?
Heus, próxumus sum egomét mihi.'
At támen 'ubi fidés?' si rogés, nil pudént hic,

Vbi ópus est; illi úbi nil opúst, ibi ueréntur.
Séd quid agam? adeamne ád eum et cum eo iniúriam hanc expóstulem?
Íngeram mala múlta? atque aliquis dícat 'nil promóueris':
Multúm: molestus cérte ei fuero atque ánimo morem géssero.
Pa. Charíne, et me et te inprúdens, nisi quid dí respiciunt, pérdidi.
Ch. Ítane 'inprudens'? tándem inuentast caúsa: soluistí fidem.
Pa. Quíd 'tandem'? **Ch.** Etiam núnc me ducere ístis dictis póstulas?
Pa. Quíd istuc est? **Ch.** Postquám me amare díxi, conplacitást tibi.
Heú me miserum, quí tuom animum ex ánimo spectauí meo!
Pa. Fálsu's. **Ch.** Nonne tíbi sat esse hoc uísum sólidumst gaúdium,
Ní me lactassés amantem et fálsa spe prodúceres?
Hábeas. **Pa.** Habeam? ah, néscis quantis ín malis uorsér miser,
Quantásque hic consiliís suis [mihi] confláuit sollicitúdines,
Meus cárnufex. **Ch.** Quid istúc tam mirumst, dé te si exemplúm capit?
Pa. Haud ístuc dicas, sí cognoris uél me uel amorém meum.
Ch. Scio: cúm patre altercásti dudum, et ís nunc proptereá tibi
Suscénset nec te quíuit hodie cógere illam ut dúceres.
Pa. Immo étiam, quo*m* tu mínus scis aerumnás meas,
Haec núptiae non ádparabantúr mihi,
Nec póstulabat núnc quisquam uxorém dare.
Ch. Scio: tú coactus tuá uoluntate és. **Pa.** Mane:
Non dúm scis. **Ch.** Scio equidem íllam ducturum ésse te.
Pa. Quor me énicas? hoc aúdi: numquam déstitit

Instáre, ut dicerém me ducturúm patri;
Suadére, orare usque ádeo donec pérpulit.
CH. Quis homo ístuc? PA. Dauos. CH. Dáuos? [PA. Interturbat. CH.] quam ob rem? PA. Néscio;
Nisi mí deos [satis scio] fuisse irátos, qui auscultáuerim.
CH. Factum hóc est, Daue? DA. Fáctum. CH. Hem, quid aïs? ó scelus!
At tíbi di dignum fáctis exitiúm duint!
Eho, díc mi, si omnes húnc coniectum in núptias
Inimíci uellent, quód nisi consilium hóc darent?
DA. Decéptus sum, at non défetigatús. CH. Scio.
DA. Hac nón successit, ália adgrediemúr uia:
Nisi íd putas, quia prímo processít parum,
Non pósse iam ad salútem conuorti hóc malum.
PA. Immo étiam; nam satis crédo, si aduigiláueris,
Ex únis geminas míhi conficies núptias.
DA. Ego, Pámphile, hoc tibi pró seruitio débeo,
Conári manibus pédibus noctisque ét dies,
Capitís periclum adíre, dum prosím tibi;
Tuomst, sí quid praeter spem éuenit, mi ignóscere.
Parúm succedit quód ago; at facio sédulo.
Vel mélius tute réperi, me missúm face.
PA. Cupió: restitue quem á me accepistí locum.
DA. Faciam. PA. Át iam hoc opust. DA. Hem ... séd [mane] concrepuit *hínc* a Glycerio óstium.
PA. Nil ád te. DA. Quaero. PA. Hem, núncin demum? DA. At iam hóc tibi inuentúm dabo.

MYSIS PAMPHILVS CHARINVS DAVOS
ANCILLA ADVLESCENTES II SERVOS

MY. Iam ubi úbi erit, inuentúm tibi curábo et mecum addúctum IV, 2
Tuom Pámphilum: modo tu, ánime mi, nolí te macerárc.
PA. Mysís. MY. Quis est? *e*hem Pámphile, mihi te óptume offers. PA. Quíd *id* est?

My. Oráre iussit, sí se ames, era, iám ut ad sese uénias:
Vidére aït te cúpere. Pa. Vah, perii: hóc malum integráscit.
Sicíne me atque illam operá tua nunc míseros sollicitári!
Nam idcírco accersor, núptias quod mi ádparari sénsit.
Ch. Quibus quídem quam facile pótuerat quiésci, si hic quiésset!
Da. Age, si híc non insanít satis sua spónte, instiga. My. Atque édepol
Ea rés est, proptereáque nunc misera ín maerorest. Pa. Mýsis,
Per omnís tibi adiuró deos numquam eám me desertúrum,
Non, sí capiundos míhi sciam esse inimícos omnis hómines.
Hanc mi éxpetiui: cóntigit; conuéniunt mores: uáleant
Qui intér nos discidiúm uolunt: hanc nísi mors mi adimet némo.
My. Resipísco. Pa. Non Apóllinis magis uérum atque hoc respónsumst.
Si póterit fieri, ut né pater per mé stetisse crédat,
Quo mínus haec fierent núptiae, uoló; sed si id non póterit,
Id fáciam, in procliuí quod est, per mé stetisse ut crédat.
Quis uídeor? Ch. Miser, aeque átque ego. Da. Consílium quaero. *Pa.* Fórtis!
Scio, quód conere... Da. Hoc égo tibi profécto effectum réddam.
Pa. Iam hoc ópus est. Da. Quin iam habeó. Ch. Quid est? Da. Huic, nón tibi habeo, ne érres.
Ch. Sat hábeo. Pa. Quid faciés? cedo. Da. Dies híc mi ut satis sit, uéreor

Ad agéndum: ne uoc*í*uom [esse] me nunc ád narrandum crédas:
Proinde hínc uos amolímini; nam mi ínpedimento éstis.
PA. Ego hanc uísam. — DA. Quid tu? quo hínc te agis? CH. Verúm uis dicam? DA. Immo étiam:
Narrátionis íncipit mi inítium. CH. Quid me fiet?
DA. Eho tu ínpudens, non sátis habes, quod tíbi dieculam áddo,
Quantum huíc promoueo núptias? CH. Daue, át tamen DA. Quid érgo?
CH. Vt dúcam. DA. Ridiculum. CH. Húc fac ad me ut uénias, si quid póteris.
DA. Quid uéniam? nil habeo. CH. Át tamen, si quíd. DA. Age ueniam, sí quid.
CH. Domi éro. DA. Tu, Mysis, dum éxeo, parúmper me opperíre hic.
MY. Quaprópter? DA. Ita factóst opus. MY. Matúra. DA. Iam inquam hic ádero.

MYSIS DAVOS
ANCILLA SERVOS

MY. Nilne ésse proprium quoíquam! di uostrám fidem! IV,3
Summúm bonum esse eraé putaui hunc Pámphilum,
Amícum, amatorém, uirum in quouís loco
Parátum; uerum ex eó nunc misera quém capit
Labórem! facile hic plús malist quam illíc boni.
Sed Dáuos exit. mí homo, quid istuc óbsecrost?
Quo pórtas puerum? DA. Mýsis, nunc opus ést tua
Mihi ad hánc rem exprompta málitia atque astútia.
MY. Quid nam íncepturu's? DA. Áccipe a me hunc ócius
Atque ánte nostram iánuam adpone. MY. Óbsecro,
Humíne? DA. Ex ara hinc súme uerbenás tibi
Atque eás substerne. MY. Quam ób rem id tute nón facis?
DA. Quia, sí forte opus sit ád erum iurat*ó* mihi

Non ádposisse, ut líquido possim. My. Intéllego:
Noua núnc religio in te ístaec incessít. cedo.
Da. Moue ócius te, ut quíd agam porro intéllegas.
Pro Iúppiter! My. Quid est? Da. Spónsae pater intéruenit.
Repúdio quod consílium primum inténderam.
My. Nescío quid narres. Da. Égo quoque hinc ab déxtera
Veníre me adsimulábo: tu ut subséruias
Orátioni, ut quómque opus sit, uerbís uide.
My. Ego quíd agas nil intéllego; sed sí quid est,
Quod méa opera opus sit uóbis, *ut* tu plús uides,
Manébo, ne quod uóstrum remorer cómmodum.

CHREMES MYSIS DAVOS
SENEX ANCILLA SERVOS

IV,4 Ch. Reuórtor, postquam quae ópus fuere ad núptias
Gnataé paraui, ut iúbeam accersi. séd quid hoc?
Puer hérclest. mulier, tu ádposisti hunc? My. Vbi illic est?
Ch. Non míhi respondes? My. Núsquam est. uae miseraé mihi!
Relíquit me homo atque ábiit. Da. Di uostrám fidem,
Quid túrbaest apud forúm! quid illi hominum lítigant!
Tum annóna carast. quíd dicam aliud, néscio.
My. Quor tu óbsecro hic me sólam? Da. Hem, quae haec est fábula?
Eho Mýsis, puer hic úndest? quisue huc áttulit?
My. Satin sánu's, qui me id rógites? Da. Quem igitúr rogem,
Qui hic néminem alium uídeam? Ch. Miror, únde sit.
Da. Dictúra es quod rogo? My. Aú! Da. Concede ad déxteram.
My. Delíras: non tute ípse . .? Da. Verbum sí mihi
Vnúm praeter quam quód te rogo faxís: caue!
Male dícis? undest? díc clare. My. A nobís. Da. Hahae!

Mirúm uero, inpudénter mulier sí facit
Meretríx! Ch. Ab Andriást [ancilla] haec, quantum intéllego.
Da. Adeón uidemur uóbis esse idónei,
In quíbus sic inludátis? Ch. Veni in témpore.
Da. Propera ádeo puerum tóllere hinc ab iánua.
Mané: caue quoquam ex ístoc excessís loco!
My. Di te éradicent! íta me miseram térritas.
Da. Tibi égo dico an non? My. Quíd uis? Da. At etiám rogas?
Cedo, quóium puerum hic ádposisti? díc mihi.
My. Tu néscis? Da. Mitte id quód scio: dic quód rogo.
My. Vostrí. Da. Quoius nostri? My. Pámphili. *Ch.* Hem. Da. Quid? Pámphili?
My. Eho, an nón est? Ch. Recte ego sémper fugi has núptias.
Da. O fácinus anim*um* aduórtendum! My. Quid clámitas?
Da. Quemne égo heri uidi ad uós adferri uésperi?
My. O hóminem audacem! Da. Vérum: uidi Cántharam
Suffárcinatam. My. Dís pol habeo grátiam,
Quom in páriundo aliquod ádfuerunt líberae.
Da. Ne illa íllum haud nouit, quóius causa haec íncipit:
'Chremés si puerum pósitum ante aedis uíderit,
Suam gnátam non dabít': tanto hercle mágis dabit.
Ch. Non hércle faciet. Da. Núnc adeo, ut tu sís sciens,
Nisi púerum tollis, iám ego hunc in mediám uiam
Prouóluam teque ibídem peruoluam ín luto.
My. Tu pól homo non es sóbrius. Da. Fallácia
Alia áliam trudit: iám susurrari aúdio,
Ciuem Átticam esse hanc. Ch. Hém. Da. 'Coactus légibus
Eam uxórem ducet.' My. Eho, óbsecro, an non cíuis est?
Ch. Ioculárium in malum ínsciens paene íncidi.
Da. Quis hic lóquitur? o Chremés, per tempus áduenis:

Auscúlta. Ch. Audiui iam ómnia. Da. An tu haec ómnia?
Ch. Audíui, inquam, a princípio. Da. Audistin, ób-secro? em
Scelera: hánc iam oportet ín cruciatum hinc ábripi.
Hic est ílle: non te crédas Dauom lúdere.
My. Me míseram! nil pol fálsi dixi, mí senex.
Ch. Noui ómnem rem. est Simo íntus? Da. Est. — My. Ne me áttigas,
Sceléste. si pol Glýcerio non ómnia haec . . .
Da. Eho inépta, nescis quíd sit actum? My. Quí sciam?
Da. Hic sócer est. alio pácto haud poterat fíeri,
Vt sciret haec quae uólumus. My. Hem, prae-díceres.
Da. Paulum ínteresse cénses, ex animo ómnia,
Vt fért natura, fácias an de indústria?

Crito Mysis Davos
SENEX ANCILLA SERVOS

IV, 5 Cr. In hác habitasse plátea dictumst Chrýsidem,
Quae sése inhoneste optáuit parere hic dítias
Potiús quam in patria honéste pauper uíueret:
Eius mórte ea ad me lége redierúnt bona.
Sed quós perconter uídeo: saluete. My. Óbsecro,
Quem uídeo? estne hic Critó sobrinus Chrýsidis?
Is ést. Cr. O Mysis, sálue! My. Saluos sís, Crito.
Cr. Itan Chrýsis? hem. My. Nos quídem pol miseras pérdidit.
Cr. Quid uós? quo pacto hic? sátine recte? My. Nósne? sic:
Vt químus, aiunt, quándo ut uolumus nón licet.
Cr. Quid Glýcerium? iam hic suós parentis répperit?
My. Vtinam! Cr. Án non dum etiam? haud aúspicato huc me áttuli;
Nam pól, si id scissem, númquam huc tetulissém pedem.
Sempér enim dictast ésse haec atque habitást soror;
Quae illíus fuerunt, póssidet: nunc me hóspitem

Litís sequi, quam id míhi sit facile atque útile,
Aliórum exempla cómmonent. simul árbitror,
Iam aliquem ésse amicum et défensorem ei; nám fere
Grandícula iam proféctast illinc: clámitent
Me sýcophantam, heréditatem pérsequi
Mendícum. tum ipsam déspoliare nón lubet.
MY. O óptume hospes! pól, Crito, antiquom óbtines.
CR. Duc me ád eam, quando huc uéni, ut uideam. MY. Máxume.
DA. Sequar hós: me nolo in témpore hoc uideát senex.

ACTVS V.

CHREMES SIMO
SENES II

CH. Sátis iam satis, Simó, spectata ergá te amicitiást mea;
Sátis pericli incépi adire: orándi iam finém face.
Dúm studeo obsequí tibi, paene inlúsi uitam filiae.
SI. Ímmo enim nunc quom máxume abs te póstulo atque oró, Chremes,
V́t beneficium uérbis initum dúdum nunc re cómprobes.
CH. Víde quam iniquos sís prae studio: dúm id efficias quód cupis,
Néque modum benígnitatis néque quid me ores cógitas;
Nám si cogités, remittas iám me onerare iniúriis.
SI. Quíbus? CH. At rogitas? pérpulisti me, út homini adulescéntulo
Ín alio occupáto amore, abhórrenti ab re uxória,
Fíliam ut darem ín seditionem átque in incertas núptias,
Eíus labore atque eíus dolore gnáto ut medicarér tuo.

Ímpetrasti: incépi, dum res tétulit. nunc non fért: feras.
Íllam hinc ciuem esse áiunt; puer est nátus: nos missós face.
SI. Pér ego te deos óro, ut ne illis ánimum inducas crédere,
Quíbus id maxume útilest, illum ésse quam detérrumum.
Núptiarum grátia haec sunt fácta atque incepta ómnia.
Ýbi ea causa, quam ób rem haec faciunt, érit adempta his, désinent.
CH. Érras: cum Dauo égomet uidi iúrgantem ancillám. SI. Scio.
CH. Véro uoltu, quom íbi me adesse neúter tum praesénserat.
SI. Crédo, et id factúras Dauos dúdum praedixít mihi;
Ét nescio qui tíbi sum oblitus hódie, ac uolui, dícere.

DAVOS CHREMES SIMO DROMO
SERVOS SENES II LORARIVS

V, 2 DA. Ánimo nunciam ótioso esse ímpero. CH. Em Dauóm tibi!
SI. Ýnde egreditur? DA. Meó praesidio atque hóspitis. SI. Quid illúd malist?
DA. Égo commodiorem hóminem, aduentum, témpus non uidí. SI. Scelus,
Quém nam hic laudat? DA. Ómnis res est iam ín uado. SI. Cesso ádloqui?
DA. Érus est: quid agam? SI. O sálue, bone uir. DA. Éhem Simo, o nostér Chremes,
Ómnia adparáta iam sunt íntus. SI. Curastí probe.
DA. Ýbi uoles, accérse. SI. Bene sane; íd enim uero hinc núnc abest.
Étiam tu hoc respónde, quid istic tíbi negotist? DA. Míhine? SI. Ita.

Da. Míhin? Si. Tibi ergo. Da. Egó modo intro ii. Si. Quasi [ego] quam dudúm rogem.
Da. Cúm tuo gnato una. Si. Ánne est intus Pámphilus? cruciór miser!
Ého, non tu dixti ésse inter eos ínimicitias, cárnufex?
Da. Súnt. Si. Quor igitur híc est? Ch. Quid illum cénses? cum illa lítigat.
Da. Ímmo uero indígnum, Chremes, iam fácinus faxo ex me aúdies.
Néscio qui senéx modo uenit, éllum, confidéns catus:
Quóm faciem uideás, uidetur ésse quantiuís preti:
Trístis ueritás inest in uóltu atque in uerbís fides.
Si. Quíd nam adportas? Da. Níl equidem, nisi quód illum audiui dícere.
Si. Quíd aït tandem? Da. Glýcerium se scíre ciuem esse Átticam. Si. Hem,
Drómo, Dromo. Da. Quid ést? Si. Dromo. Da. Audi. Si. Vérbum si addiderís . .! Dromo.
Da. Audi óbsecro. Dr. Quid uís? Si. Sublimen íntro hunc rape, quantúm potest.
Dr. Quem? Si. Dáuom. Da. Quam ob rem? Si. Quía lubet. rape ínquam. Da. Quid fecí? Si. Rape.
Da. Si quícquam inuenies mé mentitum, occídito. Si. Nil aúdio:
Egó iam te commótum reddam. Da. Támen etsi hoc uerúmst? Si. Tamen.
Cura ádseruandum uínctum, atque audin? quádrupedem constríngito.
Age núnciam: ego pol hódie, si uiuó, tibi
Osténdam, erum quid sít pericli fállere,
Et illí patrem. Ch. Ah, ne saéui tanto opere. Si. Ó Chremes,
Pietátem gnati! nónne te miserét mei?
Tantúm laborem cápere ob talem fílium!
Age Pámphile, exi Pámphile: ecquid té pudet?

PAMPHILVS ADVLESCENS SIMO CHREMES SENES II

v,3 PA. Quis mé uolt? perii, páter est. SI. Quid aïs, ómnium . .? CH. Ah,
Rem pótius ipsam díc ac mitte mále loqui.
SI. Quasi quícquam in hunc iam gráuius dici póssiet.
Ain tándem, ciuis Glýceriumst? PA. Ita praédicant.
SI. 'Ita praédicant'? o ingéntem confidéntiam!
Num cógitat quid dícat? num factí piget?
Vide num éius color pudóris signum usquam índicat.
Adeo ínpotenti esse ánimo, ut praeter cíuium
Morem átque legem et suí uoluntatém patris
Tamen hánc habere stúdeat cum summó probro!
PA. Me míserum! SI. Hem, modone id démum sensti, Pámphile?
Olim ístuc, olim, quom íta animum induxtí tuom,
Quod cúperes aliquo pácto efficiundúm tibi,
Eodém die istuc uérbum uere in te áccidit.
Sed quíd ego? quor me excrúcio? quor me mácero?
Quor meám senectutem huíus sollicito améntia?
An ut pro huíus peccatis égo supplicium súfferam?
Immo hábeat, ualeat, uíuat cum illa. PA. Mí pater!
SI. Quid 'mí pater'? quasi tu húius indigeás patris.
Domus, úxor, liberi ínuenti inuitó patre;
Addúcti qui illam hinc cíuem dicant: uíceris.
PA. Patér, licetne paúca? SI. Quid dicés mihi?
CH. Tamén, Simo, audi. SI. Ego aúdiam? quid aúdiam,
Chremés? CH. At tandem dícat. SI. Age dicát, sino.
PA. Égo me amare hanc fáteor; si id peccárest, fateor íd quoque.
Tíbi, pater, me dédo: quiduis óneris inpone, ímpera.
Vís me uxorem dúcere? hanc uis míttere? ut poteró, feram.

Hóc modo te obsecro, út ne credas á me adlegatum húnc senem:
Síne me expurgem atque íllum huc coram addúcam. Si. Adducas? Pa. Síne, pater.
Ch. Aéquom postulát: da ueniam. Pa. Síne te hoc exorém. Si. Sino.
Quíduis cupio, dúm ne ab hoc me fálli comperiár, Chremes.
Ch. Pró peccato mágno paulum súpplici satis ést patri.

Crito Chremes Simo Pamphilvs
senes iii adulescens

Cr. Mítte orare. una hárum quaeuis caúsa me ut faciám monet, V,4
Vél tu uel quod uérumst uel quod ípsi cupio Glýcerio.
Ch. Ándrium ego Critónem uideo? cérte is est. Cr. Saluos sís, Chremes.
Ch. Quíd tu Athenas ínsolens? Cr. Euénit. sed hicinést Simo?
Ch. Híc. Cr. Simo, men quaéris? Si. Eho tu, Glýcerium hinc ciuem ésse aïs?
Cr. Tú negas? Si. Itan húc paratus áduenis? Cr. Qua ré? Si. Rogas?
Túne inpune haec fácias? tune hic hómines adulescéntulos
Ínperitos rérum, eductos líbere, in fraudem ínlicis?
Sóllicitando et póllicitando eorum ánimos lactas? Cr. Sánun es?
Si. Ác meretriciós amores núptiis conglútinas?
Pa. Périi, metuo ut súbstet hospes. Ch. Sí, Simo, hunc norís satis,
Nón ita arbitrére: bonus est híc uir. Si. Hic uir sít bonus?
Ítane adtemperáte euenit, hódie in ipsis núptiis
Vt ueniret, ántehac numquam? est uéro huic credundúm, Chremes.

Pa. Ní metuam patrem, hábeo pro illa re íllum quod moneám probe.
Si. Sýcophanta. Cr. Hem. Ch. Síc, Crito, est hic: mítte. Cr. Videat quí siet.
Sí mihi perget quaé uolt dicere, éa quae non uolt aúdiet.
Égo istaec moueo aut cúro? non tu tuóm malum aequo animó feras?
Nam égo quae dico, uéra an falsa audíerim, iam scirí potest.
Átticus quidam ólim naui frácta ad Andrum eiéctus est
Ét istaec una párua uirgo. túm ille egens forte ádplicat
Prímum ad Chrysidís patrem se. Si. Fábulam inceptát. Ch. Sine.
Cr. Ítane uero obtúrbat? Ch. Perge tu. Cr. Ís mihi cognatús fuit,
Qui eúm recepit. íbi ego audiui ex íllo sese esse Átticum.
Ís ibi mortuóst. Ch. Eius nomen? Cr. Nómen tam citó tibi? *Pa.* Hem,
Perií! Cr. Verum hercle opínor fuisse Phániam; hoc certó scio,
Rhamnúsium se aiébat esse. Ch. O Iúppiter! Cr. Eadem haéc, Chremes,
Multi álii in Andro audíuere. Ch. Vtinam id sít, quod spero! eho, díc mihi,
Quid eám tum? suamne esse aíbat? Cr. Non. Ch. Quoiam ígitur? Cr. Fratris fíliam.
Ch. Certé meast. Cr. Quid aïs? Si. Quid tu aïs? Pa. Árrige auris, Pámphile!
Si. Qui crédis? Ch. Phania íllic frater méus fuit. Si. Noram ét scio.
Ch. Is béllum hinc fugiens méque in Asiam pérsequens proficíscitur:
Tum illám relinquere híc est ueritus. póstid nunc primum aúdio

Quid illó sit factum. Pa. Víx sum apud me: ita ánimus commotúst metu
Spe gaúdio, mirándo tanto tám repentino hóc bono.
Si. Ne istám multimodis tuam ínueniri gaúdeo. Pa. Credó, pater.
Ch. At scrúpulus mi etiam únus restat, quí me male habet. Pa. Dígnus es
Cum tuá religione, ódium . . ! nodum in scirpo quaeris. Cr. Quíd istud est?
Ch. Nomén non conuenít. Cr. Fuit hercle huic áliud paruae. Ch. Quód, Crito?
Num quíd meministi? Cr. Id quaéro. Pa. Egon huius mémoriam patiár meae
Voluptáti obstare, quóm ego possim in hác re medicarí mihi?
Heus, Chrémes, quod quaeris, Pásibulast. Ch. *Pásibula?* Ipsást. Cr. East.
Pa. Ex ípsa miliéns audiui. Si. Omnís nos gaudere hóc, Chremes,
Te crédo credere. Ch. Íta me di ament, crédo. Pa. Quod restát, pater . . .
Si. Iam dúdum res reddúxit me ipsa in grátiam. Pa. O lepidúm patrem!
De uxóre, ita ut possédi, nil mutát Chremes? Ch. Causa óptumast;
Nisi quíd pater aït áliud. Pa. Nempe id? Si. Scílicet. Ch. Dos, Pámphile, est
Decém talenta. Pa. Accípio. Ch. Propero ad fíliam. eho mecúm, Crito;
Nam illám me credo haud nósse. — Si. Quor non íllam huc transferrí iubes?
Pa. Recte ádmones: Dauo égo istuc dedam iám negoti. Si. Nón potest.
Pa. Qui? Si. Quía habet aliud mágis ex sese et máius. Pa. Quid nam? Si. Vínctus est.
Pa. Patér, non recte uínctust. Si. Haud ita iússi. Pa. Iube solui, óbsecro.
Si. Age fíat. Pa. At matúra. Si. Eo intro. Pa. O faústum et felicém diem!

CHARINVS PAMPHILVS DAVOS
ADVLESCENTES II SERVOS

V,5 CH. Prouíso quid agat Pámphilus. atque éccum. PA. Aliquis fors [itan] mé putet
Nón putare hoc uérum, at mihi nunc síc esse hoc uerúm lubet.
Égo deorum uítam eapropter sémpiternam esse árbitror,
Quód uoluptates eórum propriae súnt; nam mi inmortálitas
Pártast, si nulla aégritudo huic gaúdio intercésserit.
Séd quem ego mihi potíssumum optem, quoí nunc haec narrém, dari?
CH. Quíd illud gaudist? PA. Dáuom uideo. némost, quem malim ómnium;
Nam húnc scio mea sólide solum gáuisurum gaúdia.
V,6 DA. Pámphilus ubi nam híc est? PA. Daue. DA. Quís homost? PA. Ego sum. DA. O Pámphile.
PA. Néscis quid mi obtígerit. DA. Certe; séd quid mi obtigerít scio.
PA. Ét quidem ego. DA. More hóminum euenit, út quod sim nanctús mali
Príus resciscerés tu, quam ego illud quód tibi euenít boni.
PA. Glýcerium mea suós parentis répperit. DA. Factúm bene. CH. Hem.
PA. Páter amicus súmmus nobis. DA. Quís? PA. Chremes. DA. Narrás probe.
PA. Néc mora ullast, quín eam uxorem dúcam. CH. Num ille sómniat
Éa quae uigilans uóluit? PA. Tum de púero, Daue . . . DA. Ah, désine!
Sólus es quem díligant di. CH. Sáluos sum, si haec uéra sunt.
Cónloquar. PA. Quis homóst? Charine, in témpore ipso mi áduenis.
CH. Béne factum. PA. Audisti? CH. Ómnia. age, me in tuís secundis réspice.

Túos est nunc Chremés: facturum quaé uoles scio esse ómnia.
Pa. Mémini: atque adeo lóngumst illum me éxpectare dum éxeat.
Séquere hac me *intro:* intús apud Glyceriúmst nunc. tu, Daue, ábi domum,
Própera, accerse hinc qui aúferant eam. quíd stas? quid cessás? Da. Eo.
Ne éxpectetis dum éxeant huc: íntus despondébitur;
Íntus transigétur, si quid ést quod restet. *Cantor.* Plaúdite!

ALTER EXITVS SVPPOSITICIVS.

PAMPHILVS CHARINVS CHREMES DAVOS
ADVLESCENTES II SENEX SERVOS

Pa. Te éxpectabam: est dé tua re, quód agere ego tecúm uolo.
Óperam dedi, ne me ésse oblitum dícas tuae gnatae álterae:
Tíbi me opinor ínuenisse dígnum te atque illá uirum.
Cha. Périi, Daue: dé meo amore ac uíta *nunc* sors tóllitur.
Chr. Nón noua istaec míhi condiciost, sí uoluissem, Pámphile.
Cha. Óccidi, Daue. Da. *Áh,* mane. Cha. Perii. Chr. Id quam ób rem non uolui, éloquar.
Nón idcirco, quód eum omnino adfínem mihi nollem, Cha. Hém. Da. Tace.
Chr. Séd amicitia nóstra quae est a pátribus nostris trádita,
Nón aliquam partém, *sed* studui ad*a*úctam tradi líberis.
Núnc quom copia ác fortuna utríque ut obsequerér dedit,
Détur. Pa. Bene factum. Da. Á*d*i atque age homini grátias. Cha. Salué, Chremes,
Meórum amicorum ómnium mi a*equí*ssume.
Quid *múlta uerba?* míhi non minus est gaúdio,
Me répperisse, ut hábitus antehac fuí tibi,
Quam *mi éuenire núnc* id quod *ego* abs te éxpeto.
Chr. Animúm, Charine, quócumque adplicáueris,
Studium éxinde ut erit, túte existimáueris.
Pa. Id ita ésse facere cóniecturam ex mé licet.
Cha. Aliénus abs te, támen qui esses nóueram.
Chr. Ita rés est. gnatam tíbi meam Philúmenam
Vxórem et dotis séx talenta spóndeo.

HEAVTON TIMORVMENOS.

INCIPIT	HEAVTON TIMORVMENOS	
		TERENTI
ACTA	LVDIS	MEGALENSIB·
L·CORNELIO	LENTVLO	L·VALERIO FLACCO
AEDILIB·	CVRVLIB·	
EGIT	AMBIVIVS	TVRPIO
MODOS	FECIT	FLACCVS CLAVDI
ACTA	PRIMVM	TIBIS INPARIB·
DEINDE	DVABVS	DEXTRIS
GRAECA	MENANDRV	
FACTA	II·	
M'·IVVENTIO	TI·SEMPRONIO	COS·

G. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA.

In mílitiam proficísci gnatum Clíniam
Amántem Antiphilam cónpulit durús pater,
Animíque sese angébat facti paénitens.
Mox út reuersust, clám patrem deuórtitur
Ad Clítiphonem. is amábat scortum Bácchidem.
Cum arcésseret cupítam Antiphilam Clínia,
Vt éius Bacchis uénit amica ac séruolae
Habitúm gerens Antíphila: factum id quó patrem
Suám celaret Clítipho. hic technís Syri
Decém minas meretrículae aufert á sene.
Antíphila Clitiphónis reperitúr soror:
Hanc Clínia, aliam Clítipho uxorem áccipit.

PERSONAE.

[PROLOGVS]
CHREMES SENEX
MENEDEMVS SENEX
CLITIPHO ADVLESCENS
CLINIA ADVLESCENS
SYRVS SERVOS
DROMO SERVOS
BACCHIS MERETRIX
ANTIPHILA VIRGO
SOSTRATA MATRONA
NVTRIX [CANTHARA]
PHRYGIA ANCILLA
CANTOR

PROLOGVS.

L. AMBIVIVS

Ne quoi sit uostrum mírum, quor partís seni
Poëta dederit, quaé sunt adulescéntium,
3 Id prímum dicam, deínde quod ueni éloquar. 3
11 Orátorem esse uóluit me, non prólogum: 11
Vostrúm iudicium fécit, me actorém dedit,
S*i* hic áctor tantum póterit a facúndia,
Quantum ílle potuit cógitare cómmode,
15 Qui orátionem hanc scrípsit, quam dictúrus sum. 15
4 Ex íntegra Graeca íntegram comoédiam 4
Hodié sum acturus Heaúton timorúmenon:
6 [Duplex quae ex argumento facta est simplici.] 6
* * * * * *
16 Nam quód rumores dístulerunt máliuoli, 16
Multás contaminásse Graecas, dúm facit
Paucás Latinas: íd esse factum hic nón negat,
Neque sé pigere et deínde facturum aútumat.

Vulgatus ordo versuum (*ed. Fl.*):

Nequoí sit uostrum mírum, quor partís seni
Poëta dederit, quaé sunt adulescéntium:
Id prímum dicam, deínde quod ueni éloquar.
Ex íntegra Graeca íntegram comoédiam
Hodié sum acturus Heaúton timorúmenon.
[Duplex quae ex argumento facta est simplici.]
Nouam ésse ostendi et quae ésset: nunc qui scrípserit
Et quóia Graeca sít, ni partem máxumam
Exístumarem scíre uostrum, id dícerem.
Nunc quam óbrem has partis dídicerim paucís dabo.
Orátorem esse uóluit me, non prólogum:
Vostrúm iudicium fécit: me actorém dedit,
S*i* hic áctor tantum póterit a facúndia,
Quantum ílle potuit cógitare cómmode,
Qui orátionem hanc scrípsit, quam dictúrus sum.
Nam quód rumores dístulerunt máliuoli q. s.

Habét bonorum exémplum, quo exempló sibi
Licére id facere quód illi fecerúnt putat.
Tum quód maliuolus uétus poëta díctitat,
Repénte ad studium hunc se ádplicasse músicum,
Amícum ingenio frétum, haud naturá sua:
Arbítrium uostrum, uóstra existumátio
Valébit. qua re omnís uos oratós uolo,
Ne plús iniquom póssit quam aequom orátio.
Facite aéqui sitis, dáte crescendi cópiam,
Nouárum qui spectándi faciunt cópiam
Sine uítiis. ne ille pró se dictum exístumet,
Qui núper fecit séruo currenti ín uia
Decésse populum: quór insano séruiat?
De illíus peccatis plúra dicet, quóm dabit
Aliás nouas, nisi fínem maledictís facit.
Adéste aequo animo, dáte potestatém mihi
Statáriam agere ut líceat per siléntium,
Ne sémper seruos cúrrens, iratús senex,
Edáx parasitus, sýcophanta autem ínpudens,
Auárus leno adsídue agendi sínt mihi
Clamóre summo, cúm labore máxumo.
Mea caúsa causam hanc iústam esse animum indúcite,
Vt áliqua pars labóris minuatúr mihi.
Nam núnc nouas qui scríbunt, nil parcúnt seni:
Si quaé laboriósast, ad me cúrritur;
Si lénis est, ad álium defertúr gregem.
In hác est pura orátio. experímini,
In utrámque partem ingénium quid possít meum.
Si númquam auare prétium statui artí meae
Et eum ésse quaestum in ánimum induxi máxumum,
Quam máxume seruíre uostris cómmodis:
Exémplum statuite ín me, ut adulescéntuli
Vobís placere stúdeant potius quám sibi.

ACTVS I.

CHREMES MENEDEMVS
SENES II

I, 1 CH. Quamquam haéc inter nos núper notitia ádmodumst
(Inde ádeo quo*m* agrum in próxumo hic mercátus es)
Nec reí fere sane *hoc* ámplius quicquám fuit:
Tamén uel uirtus túa me uel uicínitas,
Quod ego ín propinqua párte amicitiaé puto,
Facit út te audacter móneam et familiáriter,
Quod míhi uidere praéter aetatém tuam
Facere ét praeter quam rés te adhortatúr tua.
Nam pró deum atque hominúm fidem, quid uís tibi?
Quid quaéris? annos séxaginta nátus es,
Aut plús eo, ut conício; [agrum] in his regiónibus
Meliórem *agrum* neque préti maioris némo habet;
Seruós compluris: proínde quasi nemó siet,
Ita atténte tute illórum officia fúngere.
Numquám tam mane egrédior neque tam uésperi
Domúm reuortor, quín te in fundo cónspicer
Fodere aút arare aut áliquid ferre. dénique
Nullúm remittis témpus neque te réspicis.
Haec nón uoluptati tíbi esse satis certó scio.
'Enim' díces 'quantum hic óperis fiat paénitet.'
Quod in ópere faciundo óperae consumís tuae,
Si súmas in illis éxercendis, plús agas.
ME. Chremés, tantumne ab ré tuast otí tibi,
Aliéna ut cures éa quae nil ad te áttinent?
CH. Homó sum: humani níl a me alienúm puto.
Vel mé monere hoc uél percontarí puta:
Rectúmst, ego ut faciam; nón est, te ut detérream.

ME. Mihi sic est usus; tibi ut opus factóst, face.
CH. An quoíquamst usus hómini, se ut cruciét? ME. Mihi.
CH. Si quíd laborist, nóllem. sed quid istúc malist?
Quaesó, quid de te tántum *com*meruísti? ME. Eheu!
CH. Ne lácruma, atque istuc, quídquid est, fac me út sciam:
Ne rétice, ne uerére, crede inquám mihi:
Aut cónsolando aut cónsilio aut re iúuero.
ME. Scire hóc uis? CH. Hac quidem caúsa qua dixí tibi.
ME. Dicétur. CH. At istos rástros intereá tamen
Adpóne, ne labóra. ME. Minume. CH. Quám rem agis?
ME. Sine mé, uociuom témpus ne quod dém mihi
Labóris. CH. Non sinam, ínquam. ME. Ah, non aequóm facis.
CH. Hui, tám grauis hos, quaéso? ME. Sic meritúmst meum.
CH. Nunc lóquere. ME. Filium únicum adulescéntulum
Habeo. áh, quid dixi? habére me? immo habuí, Chremes;
Nunc hábeam necne incértumst. CH. Quid ita istúc? ME. Scies.
Est é Corintho hic áduena anus paupércula;
Eius fíliam ille amáre coepit pérdite,
Prope [iam] út pro uxore habéret: haec clam me ómnia.
Vbi rém resciui, coépi non humánitus
Neque ut ánimum decuit aégrotum adulescéntuli
Tractáre, sed ui et uía peruolgatá patrum.
Cottídie accusábam: 'hem, tibine haec díutius
Licére speras fácere me uiuó patre,
Amícam ut habeas própe iam in uxorís loco?
Errás, si id credis, ét me ignoras, Clínia.
Ego té meum esse díci tantispér uolo,
Dum quód te dignumst fácies; sed si id nón facis,
Ego quód me in te sit fácere dignum inuénero.
Nulla ádeo ex re istuc fít nisi ex nimio ótio.

Ego istúc aetatis nón amori operám dabam,
Sed in Ásiam hinc abii própter pauperiem átque ibi
Simúl rem et gloriam ármis belli répperi.'
Postrémo adeo res rédiit: adulescéntulus
Saepe éadem et grauiter aúdiendo uíctus est;
Aetáte me putáuit et sapiéntia
Plus scíre et prouidére quam se ipsúm sibi:
In Ásiam ad regem mílitatum abiít, Chremes.
CH. Quid aïs? ME. Clam me proféctus mensis trís abest.
CH. Ambo áccusandi; etsi íllud inceptúm tamen
Animíst pudentis sígnum et non instrénui.
ME. Vbi cómperi ex eis, quí fuere ei cónscii,
Domúm reuortor maéstus atque animó fere
Pertúrbato atque incérto prae aegritúdine.
Adsído: adcurrunt sérui, soccos détrahunt;
Video álios festináre lectos stérnere,
Cenam ádparare: pró se quisque sédulo
Faciébant, quo illam míhi lenirent míseriam.
Vbi uídeo, haec coepi cógitare 'hem, tót mea
Solíus solliciti sínt causa, ut me unum éxpleant?
Ancíllae tot me uéstiant? sumptús domi
Tantós ego solus fáciam? sed gnatum únicum,
Quem páriter uti his décuit aut etiam ámplius,
Quod illa aétas magis ad haéc utenda idóneast,
Eum ego hínc eieci míserum iniustitiá mea!
Maló quidem me quóuis dignum députem,
Si id fáciam. nam usque dum ílle uitam illám colet
Inopém, carens patria ób meas iniúrias,
Intérea usque illi dé me suppliciúm dabo
Labórans, parcens, quaérens, illi séruiens.'
Ita fácio prorsus: níl relinquo in aédibus,
Nec uás nec uestiméntum: conrasi ómnia.
Ancíllas, seruos, nísi eos qui opere rústico
Faciúndo facile súmptum exercirént suom,
Omnís produxi ac uéndidi. inscripsi ílico
Aedís mercede. quási talenta ad quíndecim
Coëgi: agrum hunc mercátus sum: hic me exérceo.
Decréui tantispér me minus iniúriae,
Chremés, meo gnato fácere, dum fiám miser;

Nec fás esse ulla mé uoluptate híc frui,
Nisi ubi ílle huc saluos rédierit meus párticeps.
CH. Ingénio te esse in líberos lení puto,
Et illum óbsequentem, sí quis recte aut cómmode
Tractáret. uerum néc tu illum satis nóueras,
Nec te ílle; hoc qu*od* fit, úbi non uere uíuitur.
Tu illúm numquam ostendísti quanti pénderes,
Nec tíbi illest credere aúsus quae est aequóm patri.
Quod si ésset factum, haec númquam euenissént tibi.
ME. Ita rés est, fateor: péccatum a me máxumumst.
CH. Menedéme, at porro récte spero et illúm tibi
Saluom ádfuturum esse híc confido própediem.
ME. Vtinam íta di faxint! CH. Fácient. nunc si cómmodumst,
Dionýsia hic sunt hódie: apud me sís uolo.
ME. Non póssum. CH. Quor non? quaéso tandem aliquántulum
Tibi párce: idem absens fácere te hoc uolt filius.
ME. Non cónuenit, qui illum ád laborem *hinc pé*pulerim,
Nunc me ípsum fugere. CH. Sícine est senténtia?
ME. Sic. CH. Béne uale. ME. Et tu. — CH. Lácrumas excussít mihi
Miserétque me eius. séd ut dieï témpus est,
Tempúst monere me húnc uicinum PHániam,
Ad cénam ut ueniat: íbo, uisam sí domist. —
Nil ópus fuit monitóre: iam dudúm domi
Praesto ápud me esse aiunt. égomet conuiuás moror.
Ibo ádeo hinc intro. séd quid crepuerúnt fores?
[Hinc a me? quis nam egreditur? huc concessero.]

CLITIPHO CHREMES
ADVLESCENS SENEX

CL. Nil adhuc est quód uereare, Clínia: haud quaquam étiam cessant, I, 2
Ét illam simul cum núntio hic tibi ádfuturam hodié scio.

Proín tu sollicitúdinem istam fálsam, quae te excrúciat, mittas.
Ch. Quícum loquitur fílius?
Cl. Páter adest, quem uólui: adibo. páter, opportune áduenis.
Ch. Quíd id est? Cl. Hunc Menedémum nostin nóstrum uicinúm? Ch. Probe.
Cl. Huic fílium scis ésse? Ch. Audiui esse: ín Asia. Cl. Non ést, pater:
Apud nós est. Ch. Quid aïs? Cl. Áduenientem, e náui egredientem ílico
Abdúxi ad cenam; nám mihi magna cum eó iam inde [usque] a puéritia
Fuit sémper familiáritas. Ch. Voluptátem magnam núntias.
Quam uéllem Menedemum ínuitatum, ut nóbiscum esset, ámplius,
Vt hánc laetitiam nécopinanti prímus obicerem eí domi!
Átque etiam nunc témpus est. Cl. Caue fáxis: non opus ést, pater.
Ch. Quaprópter? Cl. Quia enim incértumst etiam, quíd se faciat. módo uenit;
Timet ómnia, patris íram et animum amícae se erga ut sít suae.
Eam mísere amat; proptér eam haec turba atque ábitio euenít. Ch. Scio.
Cl. Nunc séruolum ad eam in úrbem misit, ét ego nostrum uná Syrum.
Ch. Quid nárrat? Cl. Quid ille? sé miserum esse. Ch. Míserum? quem minus créderes?
Quid rélicuist quin hábeat, quae quidem in hómine dicuntúr bona?
Paréntis, patriam incólumem, amicos, génus, cognatos, dítias.
Atque haéc perinde súnt ut illius ánimust qui ea póssidet:
Qui utí scit, ei bona; ílli, qui non útitur recté, mala.

Cl. Immo ílle fuit senex ínportunus sémper, et nunc níl magis
Vereór quam ne quid ín illum iratus plús satis faxít, pater.
Ch. Illícine? sed reprimám me; nam in metu ésse hunc illist útile.
Cl. Quid túte tecum? Ch. Dícam: ut ut erat, mánsum tamen opórtuit.
Fortásse aliquantum iníquior erat praéter eius lubídinem:
Paterétur; nam quem férret, si paréntem non ferrét suom?
Huncíne erat aequom ex íllius more an íllum ex huius uíuere?
Et quód illum insimulat dúrum, id non est; nám parentum iniúriae
Vníus modi sunt férme, paulo qui ést homo tolerábilis:
Scortári crebro nólunt, nolunt crébro conuiuárier,
Praebént exigue súmptum; atque haec sunt támen ad uirtutem ómnia.
Verum ánimus ubi semél se cupiditáte deuinxít mala,
Necéssest, Clitiphó, consilia cónsequi consímilia.
Scitúmst periclum ex áliis facere, tíbi quod ex usú siet.
Cl. Ita crédo. Ch. Ego ibo hinc íntro, ut uideam nóbis quid cenaé siet.
Tu, ut témpus est diéï, uide sis né quo hinc abeas lóngius.

Clitipho
ADVLESCENS

Cl. Quam iníqui sunt patrés in omnis ádulescentis iúdices! II,1
Qui aequom ésse censent nós a pueris ílico nascí senes
Neque illárum adfinis ésse rerum, quás fert adulescéntia.

Ex suá lubidiné moderantur, núnc quae est, non quae olím fuit.
Mihi si úmquam filiús erit, ne ille fácili me utetúr patre;
Nam et cógnoscendi et ígnoscendi dábitur peccatí locus:
Non út meus, qui míhi per alium osténdit suam senténtiam.
Perii! ís mi, ubi adbibít plus paulo, súa quae narrat fácinora!
Nunc aít 'periclum ex áliis facito, tíbi quod ex usú siet':
Astútus. ne ille haud scít, quam mihi nunc súrdo narret fábulam.
Magis núnc me amicae dícta stimulant 'dá mihi' atque 'adfér mihi':
Quoi quód respondeám nil habeo; néque me quisquamst míserior.
Nam hic Clínia, etsi is quóque suarum rérum sat agitát, tamen
Habét bene et pudíce eductam, ignáram artis meretríciae.
Meast *ín*potens, procáx, magnifica, súmptuosa, nóbilis.
Tum quód dem ei, 'recte' est; nám nil esse míhi religiost dícere.
Hoc égo mali non prídem inueni, néque etiam dum scít pater.

ACTVS II.

CLINIA CLITIPHO
ADVLESCENTES II

II,2 CLIN. Si míhi secundae rés de amore meo éssent, iam dudúm scio
Venissent; sed uereór, ne mulier me ábsente hic corrúpta sit.

Concúrrunt multae opínione*m* r*é*s quae mi anim*o* exaúgeant:
Occásio, locus, aétas, mater quoíus sub imperióst mala,
Quoi níl iam praeter prétium dulcest. Clit. Clínia. Clin. Ei miseró mihi!
Clit. Etiám caues, ne uídeat forte hic te á patre aliquis éxiens?
Clin. Faciám; sed nescio quíd profecto mi ánimus praesagít mali.
Clit. Pergín istuc prius diiúdicare, quám scis quid uerí siet?
Clin. Si níl mali esset, iam híc adessent. Clit. Iam áderunt. Clin. Quando istúc *'iam'* erit?
Clit. Non cógitas hinc lóngule esse? et nósti mores múlierum:
Dum móliuntur, dúm conantur, ánnus est. Clin. O Clítipho,
Timeó. Clit. Respira: eccúm Dromonem cúm Syro una: adsúnt tibi.

Syrvs Dromo Clinia Clitipho
SERVI II ADVLESCENTES II

Sy. Aín tu? Dr. Sic est. Sy. Vérum interea, dúm sermones caédimus, II,3
Íllae sunt relíctae. Clit. Mulier tíbi adest. audin, Clínia?
Clin. Égo uero audió nunc demum et uídeo et ualeo, Clítipho.
Dr. Mínume mirum: adeo ínpeditae súnt: ancillarúm gregem
Dúcunt secum. Clin. Périi, unde illi súnt ancillae? Clit. Mén rogas?
Sy. Nón oportuít relictas: pórtant quid rerum! Clin. Eí mihi!
Sy. Aúrum, uestem; et uésperascit, ét non nouerúnt uiam.
Fáctum a nobis stúltest. abi dum tú, Dromo, illis óbuiam.

Própera: quid stas? Clin. Vaé misero mi, quánta de spe décidi!
Clit. Quíd istuc? quae res té sollicitat aútem? Clin. Rogitas quíd siet?
Víden tu? ancillas aúrum uestem, quám ego cum una ancíllula
Híc reliqui, unde *ei* ésse censes? Clit. Váh, nunc demum intéllego.
Sy. Dí boni, quid túrbaest! aedes nóstrae uix capiént, scio.
Quíd comedent! quid ébibent! quid séne erit nostro míserius?
Séd eccos uideo quós uolebam. Clin. O Iúppiter, ubi námst fides?
Dum ego própter te errans pátria careo démens, tu intereá loci
Conlócupletasti te, Ántiphila, et me in hís deseruistí malis,
Proptér quam in summa infámia sum et meó patri minus sum óbsequens:
Quoius núnc pudet me et míseret, qui harum móres cantabát mihi,
Monuísse frustra néque eum potuisse úmquam ab hac me *as*péllere.
Quod támen nunc faciam; túm, quom gratum míhi esse potuit, nólui.
Nemóst miserior me. Sy. Híc de nostris uérbis errat uídelicet,
Quae hic súmus locuti. Clínia, aliter túom amorem atque est, áccipis:
Nam et uítast eadem et ánimus te erga idem ác fuit,
Quantum éx ipsa re cóniecturam fécimus.
Clin. Quid est óbsecro? nam míhi nunc nil rerum ómniumst
Quod málim quam me hoc fálso suspicárier.
Sy. Hoc prímum, ut ne quid huíus rerum ignorés: anus,
Quae est dícta mater ésse ei antehac, nón fuit;
Ea óbiit mortem. hoc ípsa in itinere álterae
Dum nárrat, forte audíui. Clit. Quae namst áltera?

SY. Mane: hóc quod coepi prímum enarrem, Clítipho:
Post ístuc ueniam. CLIT. Própera. SY. Iam primum ómnium,
Vbi uéntum ad aedis ést, Dromo pultát fores;
Anus quaédam prodit; haéc ubi aperit óstium,
Contínuo hic se coniécit intro, ego cónsequor;
Anus fóribus obdit péssulum, ad lanám redit.
Hic scíri potuit aút nusquam alibi, Clínia,
Quo stúdio uitam suám te absente exégerit,
Vbi de ínprouisost ínteruentum múlieri.
Nam ea rés dedit tum exístumandi cópiam
Cottídianae uítae consuetúdinem,
Quae quoíusque ingenium ut sít declarat máxume.
Texéntem telam stúdiose ipsam offéndimus,
Medíocriter uestítam ueste lúgubri
(Eius ánuis causa opínor quae erat mórtua),
Sine aúro; tum ornatam íta uti quae ornantúr sibi,
Nullá mala re *os* éxpolitam múliebri;
Capíllus pexus, prólix*e* circúm caput
Reiéctus, neclegénter, pax. CLIN. Syre mi, óbsecro,
Ne me ín laetitiam frústra coniciás. SY. Anus
Subtémen nebat. praéterea una ancíllula
Erat; éa texebat úna, pannis óbsita,
Neclécta, inmunda inlúuie. CLIT. Si haec sunt, Clínia,
Vera, íta uti credo, quís te est fortunátior?
Scin, hánc quam dicit sórdidatam et *hórr*idam,
Magnum hóc quoque signumst, dóminam esse extra nóxiam,
Quom eiús tam neclegúntur internúntii.
Nam dísciplinast eís demunerárier
Ancíllas primum, ad dóminas qui adfectánt uiam.
CLIN. Perge, óbsecro te, et cáue ne falsam grátiam
Studeás inire. quíd aït, ubi me nóminas?
SY. Vbi dícimus redísse te et rogáre uti
Veníret ad te, múlier telam désinit
Contínuo et lacrumis ópplet os totúm sibi,
Vt fácile scires désiderio id fíeri.

CLIN. Prae gaúdio, ita me dí ament, ubi sim néscio:
Ita tímui. CLIT. At ego nil ésse scibam, Clínia.
Age dúm uicissim, Sýre, dic quae illast áltera?
SY. Addúcimus tuam Bácchidem. CLIT. Hem, quid? Bácchidem?
Ého sceleste, quó illam ducis? SY. Quó ego illam? ad nos scílicet.
CLIT. Ád patremne? SY. Ad eum ípsum. CLIT. O hominis ínpudentem audáciam!
SY. Heus,
Nón fit sine perículo facinus mágnum nec memorábile.
CLIT. Hóc uide: in mea uíta tu tibi laúdem is quaesitúm, scelus?
Vbi si paululúm modo quid te fúgerit, ego périerim.
Quíd illo facias? SY. Át enim .. CLIT. Quid 'enim'? SY. Sí sinas, dicám. CLIN. Sine.
CLIT. Síno. SY. Ita res est haéc nunc, quasi quom .. CLIT. Quás malum ambagés mihi
Nárrare occipít? CLIN. Syre, uerum hic dícit: mitte, ad rém redi.
SY. Énim uero reticére nequeo: múltimodis iniúrius,
Clítipho, es neque férri potis es. CLIN. Aúdiundum hercle ést, tace.
SY. Vís amare, uís potiri, uís quod des illi éffici;
Túom esse in potiundó periclum nón uis: haud stulté sapis;
Síquidem id saperest, uélle te id quod nón potest contíngere.
Aút haec cum illis súnt habenda, aut ílla cum his mitténda sunt.
Hárum duarum cóndicionum núnc utram malís uide;
Étsi consiliúm quod cepi réctum esse et tutúm scio.
Nam ápud patrem tua amíca tecum síne metu ut sit cópiast.
Túm quod illi argentum és pollicitus, eádem hac inueniám uia,
Quód ut efficerem orándo surdas iam aúris reddiderás mihi.

Quíd aliud tibi uís? Clit. Siquidem hoc fit. Sy. Síquidem? experiundó scies.
Clit. Áge age, cedo istuc tuóm consilium: quíd id est? Sy. Adsimulábimus
Túam amicam huius ésse amicam. Clit. Púlchre: quid faciét sua?
Án ea quoque dicétur huius, si úna haec dedecoríst parum?
Sy. Ímmo ad tuam matrem ábducetur. Clit. Quíd eo? Sy. Longumst, Clítipho,
Sí tibi narrem, quam ób rem id faciam: uéra causast. Clit. Fábulae:
Níl satis firmi uídeo, quam ób rem accípere hunc mi expediát metum.
Sy. Máne, habeo aliud, si ístuc metuis, ámbo quod *fa*teámini
Sine periclo esse. Clit. Huíus modi obsecro áliquid reperi. Sy. Máxume:
Ibo óbuiam h*uic*, dicam út reuortatúr domum. Clit. Hem,
Quid díxti? Sy. Ademptum tíbi iam faxo omném metum,
In aúrem utramuis ótiose ut dórmias.
Clit. Quid ágo nunc? Clin. Tune? quód boni Clit. Syre! díc modo.
Sy. Verum áge modo: hodie séro ac nequiquám uoles.
Clin. Datúr, fruare dúm licet; nam néscias,
Clit. Syre ínquam! Sy. Perge: pórro tamen . .! istúc ago.
Clin. Eius sít potestas pósthac an numquám tibi.
Clit. Verum hércle istuc est. Sýre, Syre inquam, heus heús, Syre!
Sy. Concáluit. quid uis? Clit. Rédi, redi! Sy. Adsum: díc quid est?
Iam hoc quóque negabis tíbi placere. Clit. Immó, Syre,
Et me ét meum amorem et fámam permittó tibi.
Tu es iúdex: ne quid áccusandus sís uide.

Sʏ. Ridículumst [te] istuc me ádmonere, Clítipho,
Quasi ístic mea res mínor agatur quám tua.
Hic sí quid nobis fórte aduorsi euénerit,
Tibi erúnt parata uérba, huic homini uérbera:
Quaprópter haec res ne útiquam neclectúst mihi.
Sed istúnc exora, ut súam esse adsimulet. Cʟɪɴ.
Scílicet
Factúrum me esse; in eúm iam res rediít locum,
Vt sít necessus. Cʟɪᴛ. Mérito te amo, Clínia.
Cʟɪɴ. Verum ílla ne quid títubet. Sʏ. Perdoctást probe.
Cʟɪᴛ. At hóc demiror, quí tam facile pótueris
Persuádere illi, quaé solet quos spérnere!
Sʏ. In témpore ad eam uéni, quod rerum ómniumst
Primúm. nam quendam mísere offendi ibi mílitem
Eius nóctem orantem; haec árte tractabát uirum,
Vt íllius animum cúpidum inopia incénderet
Eadémque ut esset ápud te hoc quam gratíssumum.
Sed heús tu, uide sis nó quid inprudéns ruas!
Patrém nouisti ad hás res quam sit pérspicax;
Ego te aútem noui quam ésse soleas ínpotens:
Inuérsa uerba, euérsas ceruicís tuas,
Gemitús, screatus, tússis, risus ábstine.
Cʟɪᴛ. Laudábis. Sʏ. Vide sis. Cʟɪᴛ. Tútimet mirábere.
Sʏ. Sed quám cito sunt cónsecutae múlieres!
Cʟɪᴛ. Vbi súnt? quor retines? Sʏ. Iám nunc haec non
ést tua.
Cʟɪᴛ. Scio, ápud patrem; at nunc ínterim. Sʏ. Niló
magis.
Cʟɪᴛ. Sine. Sʏ. Nón sinam inquam. Cʟɪᴛ. Quaéso
paulispér. Sʏ. Veto.
Cʟɪᴛ. Saltém salutem. Sʏ. Ábeas si sapiás. Cʟɪᴛ. Eo.
Quid istíc? Sʏ. Manebit. Cʟɪᴛ. Hóminem felicem!
Sʏ. Ámbula.

Bᴀᴄᴄʜɪs Aɴᴛɪᴘʜɪʟᴀ Cʟɪɴɪᴀ Sʏʀᴠs
MERETRIX MVLIER ADVLESCENS SERVOS

II,4 Bᴀ. Édepol te, mea Antíphila, laudo et fórtunatam
iúdico,
Íd quom studuisti, ísti formae ut móres consimilés
forent;

Mínumeque, ita me dí ament, miror sí te sibi quisque éxpetit.
Nám mihi, quale ingénium haberes, fúit indicio orátio:
Ét quom egomet nunc mécum in animo uítam tuam consídero
Ómniumque adeó uostrarum, uólgus quae ab se ségregant,
Ét uos esse istíus modi et nos nón esse haud mirábilest.
Nam éxpedit bonas ésse uobis; nós, quibuscum est res, nón sinunt:
Quíppe forma inpúlsi nostra nós amatorés colunt;
Haéc ubi inminútast, illi súom animum alio cónferunt:
Nísi si prospectum ínterea aliquid ést, desertae uíuimus.
Vóbis cum uno sémel ubi aetatem ágere decretúmst uiro,
Quoíus mos maxumést consimilis uóstrum, hi se ad uos ádplicant.
Hóc beneficio utríque ab utrisque uéro deuincímini,
Vt numquam ulla amóri uostro incídere possit cálamitas.
An. Néscio alias: mé quidem semper scío fecisse sédulo,
Vt ex illius cómmodo meum cómpararem cómmodum. Cl. Ah,
Ergó, mea Antiphila, tú nunc sola réducem me in patriám facis;
Nam dum ábs te absum, omnes míhi labores fuére quos cepí leues,
Praetér quam tui caréndum quod erat. Sy. Crédo. Cl. Syre, uix súffero:
Hocíne me miserum nón licere meó modo ingeniúm frui!
Sy. Immo út patrem tuom uídi esse habitum, díu etiam durás dabit.

BA. Quis nam híc adulescens ést, qui intuitur nós? AN. Ah, retine me, óbsecro!
BA. Amábo quid tibíst? AN. Disperii, périi misera! BA. Quíd stupes?
CL. Antíphila. AN. Videon Clíniam an non? BA. Quém uides?
CL. Salue, ánime mi. AN. O mi Clínia, salue. CL. Ýt uales?
AN. Saluóm uenisse gaúdeo. CL. Teneóne te,
Antíphila, maxume ánimo exoptat*ám* meo?
SY. Ite íntro; nam uos iám dudum expectát senex.

ACTVS III.

CHREMES MENEDEMVS
SENES II

III,1 CH. Lucíscit hoc iam. césso pultare óstium
Vicíni, primum e me út sciat sibi fílium
Redísse? etsi adulescéntem hoc nolle intéllego.
Verúm quom uideam míserum hunc tam excruciárier
Eius ábitu, celem tam ínsperatum gaúdium,
Quom illí pericli níl ex indició siet?
Haud fáciam; nam quod pótero adiutabó senem.
Item ut filium meum amíco atque aequalí suo
Video ínseruire et sócium esse in negótiis,
Nos quóque senes est aéquom senibus óbsequi.
ME. Aut égo profecto ingénio egregio ad míserias
Natús sum, aut illud fálsumst, quod uolgo aúdio
Dicí, diem adimere aégritudinem hóminibus;
Nam míhi quidem cottídie augescít magis
De fílio aegritúdo, et quanto díutius
Abést, magis cupio tánto et magis desídero.
CH. Sed ípsum foras egréssum uideo: ibo, ádloquar.
Menedéme, salue: núntium adportó tibi,
Quoius máxume te fieri participém cupis.
ME. Num quíd nam de gnató meo audistí, Chremes?

Ch. Valet átque uiuit. Me. Ýbi namst quaeso? Ch. Apud mé domi.
Me. Meus gnátus? Ch. Sic est. Me. Vénit? Ch. Certe. Me. Clínia
Meus uénit? Ch. Dixi. Me. Eámus: duc me ad eum, óbsecro.
Ch. Non uólt te scire sé redisse etiam, ét tuom
Conspéctum fugitat: própter peccatum hóc timet,
Ne túa duritia antíqua illa etiam adaúcta sit.
Me. Non tu ílli dixti ut éssem? Ch. Non. Me. Quam ob rém, Chremes?
Ch. Quia péssume istuc ín te atque in illum cónsulis,
Si té tam leni et uícto esse animo osténderis.
Me. Non póssum: satis iam, sátis pater durús fui. Ch. Ah,
Veheméns in utramque pártem, Menedeme, és nimis,
Aut lárgitate nímia aut parsimónia:
In eándem fraudem ex hác re atque ex illa íncides.
Primum ólim potius quám paterere fílium
Commétare ad muliérculam, quae paúlulo
Tum erát contenta quoíque erant grata ómnia,
Protérruisti hinc. éa coacta ingrátiis
Postílla coepit uíctum uolgo quaérere.
Nunc quóm sine magno intértrimento nón potest
Habéri, quiduis dáre cupis. nam ut tú scias,
Quam ea núnc instructa púlchre ad perniciém siet,
Primúm iam ancillas sécum adduxit plús decem,
Onerátas ueste atque aúro: satrap*a* sí siet
Amátor, numquam súfferre eius sumptús queat;
Nedúm tu possis. Me. Éstne ea intus? Ch. Sít rogas?
Sensí. nam unam eï cénam atque eius cómitibus
Dedí; quod si iterum míhi sit danda, actúm siet.
Nam ut ália omittam, pýtissando módo mihi
Quid uíni absumpsit 'sic hoc' dicens; 'ásperum,
Pater, hóc est: aliud lénius sodés uide'!
Reléui dolia ómnia, omnis sérias.

Omnís sollicitos hábui*t*, atque haec úna nox.
Quid té futurum cénses, quem adsidue éxedent?
Sic mé di amabunt, út me tuarum míseritumst,
Menedéme, fortunárum. Me. Faciat quídlubet:
Sumát consumat pérdat, decretúmst pati,
Dum illúm modo habeam mécum. Ch. Si certúmst tibi
Sic fácere, illud permágni re ferre árbitror,
Vt né scientem séntiat te id síbi dare.
Me. Quid fáciam? Ch. Quiduis pótius quam quod cógitas:
Per álium quemuis út des, falli té sinas
Tech*i*nís per seruolum; étsi subsensi íd quoque,
Illós ibi esse, id ágere inter se clánculum.
Syrus cum íllo uostro cónsusurrant, cónferunt
Consília ad adulescéntis; et tibi pérdere
Taléntum hoc pacto sátius est quam illó minam.
Non núnc pecunia ágitur, sed illud quó modo
Minumó periclo id démus adulescéntulo.
Nam sí semel tuom ánimum ille intelléxerit,
Prius próditurum té tuam uitam ét prius
Pecúniam omnem, quam ábs te amittas fílium: hui,
Quantám fenestram ad néquitiem pateféceris,
Tibi aútem porro ut nón sit suaue uíuere!
Nam déteriores ómnes sumus licéntia.
[Quod quoique quomque inciderit in mentem, uolet,
Neque id putabit prauom an rectum sit: petet.]
Tu rém perire et ípsum non poterís pati:
Dare dénegaris: íbit ad illud ílico,
Quo máxume apud te sé ualere séntiet:
Abitúrum se abs te esse ílico minábitur.
Me. Vidére uera atque íta uti res est dícere.
Ch. Somnum hércle ego hac nocte óculis non uidí meis,
Dum id quaéro, tibi qui fílium restítuerem.
Me. Cedo déxtram: porro té idem oro ut fatiás, Chremes.
Ch. Parátus sum. Me. Scin quíd nunc facere té uolo?

CH. Dic. ME. Quód sensisti illós me incipere fállere,
Id út maturent fácere: cupio illí dare
Quod uólt, cupio ipsum iám uidere. CH. Operám dabo.
Paulúm negoti mi óbstat: Simus ét Crito
Vicíni nostri hic ámbigunt de fínibus;
Me cépere arbitrum: íbo ac dicam, ut díxeram
Operám daturum me, hódie non posse eís dare.
Contínuo hic ad*sum*. ME. Ita quaéso. — di uostrám fidem,
Ita cónparatam esse hóminum naturam ómnium,
Aliéna ut melius uídeant et diiúdicent
Quam súa! an eo fit, quía in re nostra aut gaúdio
Sumus praépediti nímio aut aegritúdine?
Hic míhi nunc quanto plús sapit quam egomét mihi!
CH. Dissólui me, otiósus operam ut tíbi darem.
Syrus ést prendendus átque adhortandús mihi.
A mé nescio quis éxit: concede hínc domum,
Ne nós inter nos cóngruere *illi* séntiant.

SYRVS CHREMES
SERVOS SENEX

SY. Hac íllac circumcúrsa; inueniundúmst tamen III,2
Argéntum: intendenda ín senemst fallácia.
CH. Num mé fefellit hósce id struere? uídelicet
Ille *ádulescentis* séruos tardiúsculust;
Idcírco huic nostro tráditast prouíncia.
SY. Quis hic lóquitur? perii. núm nam haec audiuít? CH. Syre. SY. Hem.
CH. Quid tu ístic? SY. Recte equidém; sed te mirór, Chremes,
Tam máne, qui heri tántum biberis. CH. Níl nimis.
SY. 'Nil' nárras? uisa uérost, quod dicí solet,
Aquilaé senectus. CH. Heía. SY. Mulier cómmoda,
Facéta haec meretrix. CH. Sáne. SY. Idem uisást tibi?
Et quídem hercle forma lúculenta. CH. Síc, satis.

Sy. Ita nón ut olim, séd uti nunc, sané bona;
Minuméque miror, Clínia hanc si déperit.
Sed habét patrem quendam áuidum miser*e* atque áridum,
Vicínum hunc: nostin? át quasi is non dítiis
Abúndet, gnatus eíus profugit ínopia.
Scis ésse factum ut díco? Ch. Quid ego n*í* sciam?
Hominém pistrino dígnum. Sy. Quem? Ch. Istunc séruolum
Dico ádulescentis, Sy. Sýre, tibi timuí male!
Ch. Qui pássus est id fieri. Sy. Quid facerét? Ch. Rogas?
Aliquíd reperiret, fíngeret fallácias,
Vnde ésset adulescénti, amicae quód daret,
Atque húnc difficilem inuítum *uors*arét senem.
Sy. Garrís. Ch. Haec facta ab íllo oportebát, Syre.
Sy. Eho quaéso laudas, quí eros fallunt? Ch. Ín loco
Ego uéro laudo. Sy. Récte sane. Ch. Quíppe qui
Magnárum saepe id rémedium aegritúdinumst:
Vel iam huíc mansisset únicus gnatús domi.
Sy. Iocóne an serio íll*e* haec dicat néscio;
Nisi míhi quidem addit ánimum, quo lubeát magis.
Ch. Et núnc quid expectát, Syre? an dum hic dénuo
Abeát, quom tolerare íllius sumptus nón queat?
Nonne ád senem aliquam fábricam fingit? Sy. Stólidus est.
Ch. At te ádiutare opórtet adulescéntuli
Causá. Sy. Facile equidem fácere possum, sí iubes;
Etenim quo pacto id fíeri soleat, cálleo.
Ch. Tanto hércle melior. Sy. Nón est mentirí meum.
Ch. Fac érgo. Sy. At heus tu, fácito dum eadem haec mémineris,
Si quíd huius simile fórte aliquando euénerit,
Vt súnt humana, túos ut faciat fílius.
Ch. Non úsus ueniet, spéro. Sy. Spero hercle égo quoque,
Neque eó nunc dico, quó quicquam illum sénserim;
Sed sí quid, ne quid. quaé sit eius aetás, uides;

Et ne égo te, si usus uéniat, magnificé, Chremes,
Tractáre possim. Ch. De ístoc, quom usus uénerit,
Vidébimus quid ópus sit: nunc istúc age. —
Sy. Numquám commodius úmquam erum audiuí loqui,
Nec quóm male facere créderem mi inpúnius
Licére. quis nam a nóbis egreditúr foras?

CHREMES CLITIPHO SYRVS
SENEX ADVLESCENS SERVOS

III,3

Ch. Quíd istuc quaeso? quí istic mos est, Clítipho? itane fíeri oportet?
Cl. Quíd ego feci? Ch. Vídin ego te módo manum in sinum huíc meretrici
Íngerere? Sy. Acta haec rés est: perii. Cl. Méne? Ch. Hisce oculis, né nega.
Facis ádeo indigne iniúriam illi, quí non abstineás manum.
Nam istaéc quidem contuméliast,
Hóminem amicum récipere ad te atque eíus amicam súbigitare.
Vél heri in uino quam ínmodestus fuísti, Sy. Factum. Ch. quám molestus!
Ýt equidem, ita me dí ament, metui, quíd futurum dénique esset!
Nóui ego amantis: ánimum aduortunt gráuiter quae non cénseas.
Cl. At míhi fides apud húnc est, nil me istíus facturúm, pater.
Ch. Ésto, at certe ut hínc concedas áliquo ab ore eorum áliquantisper.
Múlta fert lubído: ea facere próhibet tua praeséntia.
Dé me facio cóniecturam: némost meorum amícorum hodie,
Ápud quem expromere ómnia mea occúlta, Clitipho, aúdeam.
Apud álium prohibet dígnitas; apud álium ipsius factí pudet,
Ne inéptus, ne protéruos uidear: quód illum facere crédito.

Sed nóstrumst intellégere, ut quomque atque úbi quomque opus sit óbsequi.
Sy. Quíd iste narrat! Cl. Périi. Sy. Clitipho, haéc ego praecipió tibi?
Hóminis frugi et témperantis fúnctu's officiúm? Cl. Tace sodes.
Sy. Récte sane. Ch. Sýre: pudet me. Sy. Crédo: neque id iniúria; quin
Míhi molestumst. Cl. Pérdis hercle. Sy. Vérum dico quód uidetur.
Cl. Nón accedam ad íllos? Ch. Eho quaeso, ú*lla* accedundí uiast?
Sy. Áctumst: hic prius se índicarit quám ego argentum effécero.
Chremés, uin tu homini stúlto mi auscultáre? Ch. Quid faciám? Sy. Iube hunc
Abíre hinc aliquo. Cl. Quó ego hinc abeam? Sy. Quó lubet: da illís locum:
Abi deámbulatum. Cl. Deámbulatum? quó? Sy. Vah, quasi desít locus.
Abi sáne istac, istórsum, quouis. Ch. Récte dicit, cénseo.
Cl. Di te éradicent, quí me hinc extrudís, Syre!
Sy. At tú pol tibi istas pósthac comprimitó manus! —
Cénsen uero? quíd illum porro crédas facturúm, Chremes,
Nísi eum, quantum tíbi opis di dant, séruas castigás mones?
Ch. Égo istuc curabo. Sy. Átqui nunc, ere, tíbi istic adseruándus est.
Ch. Fíet. Sy. Si sapiás; nam mihi iam mínus minusque obtémperat.
Ch. Quíd tu? ecquid de illó quod dudum técum egi egistí, Syre?
Répperisti tíbi quod placeat án non? Sy. De fallácia
Dícis? est: inuéni nuper quándam. Ch. Frugi es. cédo quid est?
Sy. Dícam, uerum ut áliud ex alio íncidit. Ch. Quid nám, Syre?

Sy. Péssuma haec est méretrix. Ch. Ita uidétur. Sy. Immo sí scias.
Váh, uide quod incéptat facinus. fuít quaedam anus Corínthia
Híc: huic drach*u*marum haéc argenti mílle dederat mútuom.
Ch. Quíd tum? Sy. Ea mortuást: reliquit filiam adulescéntulam.
Éa relicta huic árrabonist pro íllo argento. Ch. Intéllego.
Sy. Hánc secum huc addúxit, ea quae est núnc apud uxorém tuam.
Ch. Quíd tum? Sy. Cliniam órat, sibi uti id núnc det: illam illí tamen
Póst daturam: mílle nummum póscit. Ch. Et pos*s*ít quidem? Sy. Hui,
Dúbium id est? ego síc putaui. Ch. Quíd nunc facere cógitas?
Sy. Égone? ad Menedemum íbo: dicam hanc ésse captam ex Cária,
Dítem et nobilém; si redimat, mágnum inesse in eá lucrum.
Ch. Érras. Sy. Quid ita? Ch. Pró Menedemo núnc tibi ego respóndeo
'Nón emo': quid ágis? Sy. Optata lóquere. Ch. Qui? Sy. Non ést opus.
Ch. Nón opus est? Sy. Non hércle uero. Ch. Quí istuc, miror. Sy. Iám scies.
Ch. Máne, mane, quid est quód tam a nobis gráuiter crepuerúnt fores?

Sostrata Chremes [Canthara?] Syrus
MVLIER SENEX NVTRIX SERVOS

So. Nisi me ánimus fallit, híc profectost ánulus, quem ego súspicor, IV,1
Is quícum expositast gnáta. Ch. Quid uolt síbi, Syre, haec orátio?
So. Quid est? ísne tibi uidétur? Nv. Dixi equidem, úbi mi ostendisti, ílico

Eum ésse. So. At ut satis cóntemplata módo sis, mea nutrix. Nv. Satis.
So. Abi núnciam intro, atque ílla si iam láuerit, mihi núntia. —
Hic égo uirum interea ópperibor. Sy. Té uolt: uideas quíd uelit.
Nescío quid tristis ést: non temerest: tímeo quid sit. Ch. Quíd siet?
Ne ista hércle magno iám conatu mágnas nugas díxerit.
So. Ehem, mí uir. Ch. Ehem, mea úxor. So. Te ipsum quaéro. Ch. Loquere quíd uelis.
So. Prímum hoc te oro, né quid credas me áduorsum edictúm tuom
Fácere esse ausam. Ch. Vín me istuc tibi, etsi íncredibilest, crédere?
Crédo. Sy. Nescio quíd peccati pórtat haec purgátio.
So. Méministin me gráuidam et mihi te máxumo opere edícere,
Sí puellam párerem, nolle tólli? Ch. Scio quid féceris:
Sústulisti. Sy. Síc est factum: dómina ego, erus damno aúctus est.
So. Mínume; sed erat híc Corinthia ánus haud inpura: eí dedi
Éxponendam. Ch. O Iúppiter, tantam ésse in animo inscítiam!
So. Périi: quid ego féci? Ch. Rogitas? So. Sí peccaui, mí Chremes,
Ínsciens feci. Ch. Íd equidem ego, si tú neges, certó scio,
Te ínscientem atque ínprudentem dícere ac facere ómnia:
Tót peccata in hác re ostendis. nám iam primum, sí meum
Ímperium exsequí uoluisses, ínteremptam opórtuit,
Nón simulare mórtem uerbis, re ípsa spem uitaé dare.

Át id omitto: misericordia, ánimus maternús: sino.
Quám bene uero abs té prospectumst, quód uoluisti, cógita:
Némpe anu illi pródita abs te filiast planíssume,
Pér te uel uti quaéstum faceret uél uti uenirét palam.
Crédo, id cogitásti: 'quiduis sátis est, dum uiuát modo.'
Quíd cum illis agás, qui neque ius néque bonum atque aequóm sciunt?
Mélius peius, prósit obsit, níl uident nisi quód lubet.
So. Mí Chremes, peccáui, fateor: uíncor. nunc hoc te óbsecro,
Quánto tuos est ánimus [natu] grauior, *éo sis* ignoscéntior,
Ýt meae stultitiae ín iustitia tuá sit aliquid praésidi.
Ch. Scílicet equidem ístuc factum ignóscam; uerum, Sóstrata,
Mále docet te méa facilitas múlta. sed istuc quídquid est,
Quá hoc occeptumst caúsa, loquere. So. Vt stúltae et miserae omnés sumus
Réligiosae, quom éxponendam dó illi, de digito ánulum
Détraho et eum díco ut una cúm puella expóneret:
Sí moreretur, ne éxpers partis ésset de nostrís bonis.
Ch. Ístuc recte: cónseruasti te átque illam. So. Is hic est ánulus.
Ch. Ýnde habes? So. Quam Bácchis secum addúxit adulescéntulam, Sy. Hem,
Quíd illa narrat? So. éa lauatum dum ít, seruandum míhi dedit.
Ánimum non aduórti primum; séd postquam aspexi, ílico

Cógnoui, ad te exílui. Ch. Quid nunc súspicare aut ínuenis
De ílla? So. Nesció, nisi ex ipsa quaéras, unde hunc hábuerit,
Sí potis est reperíri. Sy. Interii: plús spei uideo quám uolo:
Nóstrast, si itast. Ch. Víuitne illa, quoí tu de- deras? So. Néscio.
Ch. Quíd renuntiáuit olim? So. Fécisse id quod iússeram.
Ch. Nómen mulierís cedo quid sit, út quaeratur. So. Phíltera.
Sy. Ípsast. mirum ní illa saluast ét ego perii. Ch. Sóstrata,
Séquere hac me intro. So. Ýt praeter spem euénit! quam timuí male,
Né nunc animo ita ésses duro, ut ólim in tollendó, Chremes!
Ch. Nón licet hominem ésse saepe ita út uolt, si res nón sinit.
Núnc ita tempus *fért*, mi ut cupiam fíliam: olim níl minus.

Syrvs
servos

IV, 2 Sy. Nisi me ánimus fallit múltum, haud multum a me áberit infortúnium:
Ita hác re in angustum óppido nunc meaé coguntur cópiae;
Nisi áliquid uideo, ne ésse amicam hanc gnáti resciscát senex.
Nam quód de argento spérem aut posse póstulem me fállere,
Nil ést: triumpho, sí licet me látere tecto abscédere.
Cruciór bolum mihi tántum ereptum tám desubito e faúcibus.
Quid agam? aút quid comminíscar? ratio de íntegro ineundást mihi.
Nil tám difficilest, quín quaerendo inuéstigari póssiet.

Quid si hóc nunc sic incípiam? nil est. quíd, sic? tantundem égero.
At síc opinor: nón potest. immo óptume. euge habeo óptumam.
Retraham hércle opinor ídem illud ad me fúgitiuom argentúm tamen.

CLINIA SYRVS
ADVLESCENS SERVOS

CL. Nullá mihi res posthác potest iam intéruenire tánta, IV, 3
Quae mi aégritudinem ádferat: tanta haéc laetitia obórtast.
Dedó patri me núnciam, ut frugálior sim quám uolt.
SY. Nil mé fefellit: cógnitast, quantum aúdio huius uérba.
Istúc tibi ex senténtia tua óbtigisse laétor.
CL. O mí Syre, audisti óbsecro? SY. Quid ní? qui usque una adfúerim.
CL. Quoi*quam* aéque audisti cómmode quicquam éuenisse? SY. Núlli.
CL. Atque íta me di ament, út ego nunc non tám meapte caúsa
Laetór quam illius; quam égo scio esse honóre quouis dígnam.
SY. Ita crédo. sed nunc, Clínia, age, dá te mihi uicíssim;
Nam amíci quoque res ést uidenda in túto ut conlocétur,
Ne quíd de amica núnc senex. CL. O Iúppiter! SY. Quiésce.
CL. Antíphila mea nubét mihi. SY. Sicíne mi interloquére?
CL. Quid fáciam? Syre mi, gaúdeo: fer mé. SY. Fero hercle uéro.
CL. Deórum uitam aptí sumus. SY. Frustra óperam opinor súmo.
CL. Loquere: aúdio. SY. At iam hoc nón agis. CL. Agám. SY. Videndumst, ínquam,

Amíci quoque res, Clínia, tui in túto ut conlocétur.
Nam sí nunc a nobís abis et Bácchidem hic relínquis,
Senéx resciscet ílico esse amícam hanc Clitiphónis;
Si abdúxeris, celábitur, itidem út celata adhúc est.
Cl. At enim ístoc nil est mágis, Syre, meis núptiis aduórsum.
Nam quo óre appellabó patrem? tenés quid dicam? Sy. Quíd ni?
Cl. Quid dícam? quam causam ádferam? Sy. Quin nólo mentiáre:
Apérte ita ut res sése habet narráto. Cl. Quid aïs? Sy. Iúbeo:
Illám te amare et uélle uxorem, hanc ésse Clitiphónis.
Cl. Bonam átque iustam rem óppido imperás et factu fácilem.
Et scilicet iam me hóc uoles patrem éxorare ut célet
Senem uóstrum? Sy. Immo ut rectá uia rem narret ordine ómnem. Cl. Hem,
Satin sánus es aut sóbrius? tu quídem illum plane pérdis.
[Nam qui ille poterit esse in tuto, dic mihi.]
Sy. Huíc equidem consílio palmam do: híc me magnifice écfero,
Quí uim tantam in me ét potestatem hábeam tantae astútiae,
Véra dicendo út eos ambos fállam: ut quom narrét senex
Vóster nostro esse ístam amicam gnáti, non credát tamen.
Cl. Át enim spem istoc pácto rursum núptiarum omnem éripis;
Nám dum amicam hanc méam esse credet, nón committet fíliam.
Tú fors quid me fíat parui péndis, dum illi cónsulas.

SY. Quíd malum me aetátem censes uélle id adsimulárier?
Ýnus est diés, dum argentum erípio: pax: nil ámplius.
CL. Tántum sat habes? quíd tum quaeso, si hóc pater resciuerit?
SY. Quíd si redeo ad íllos qui aiunt 'quíd si nunc caelúm ruat?'
CL. Métuo quid agam. SY. Métuis? quasi non éa potestas sít tua,
Quó uelis in témpore ut te exsóluas, rem faciás palam.
CL. Áge age, traducátur Bacchis. SY. Óptume ipsa exít foras.

BACCHIS CLINIA SYRVS DROMO PHRYGIA
MERETRIX ADVLESCENS SERVI II ANCILLA

BA. Satis pól proterue mé Syri promíssa huc induxérunt, IV, 4
Decém minas quas míhi dare pollícitust. quod si is núnc me
Decéperit, saepe óbsecrans me ut uéniam frustra uéniet;
Aut quóm uenturam díxero et constítuero, quom is cérte
Renúntiarit, Clítipho quom in spé pendebit ánimi:
Decípiam ac non ueniám, Syrus mihi térgo poenas péndet.
CL. Satis scíte promittít tibi. SY. Atqui tu hánc iocari crédis?
Faciét nisi caueo. BA. Dórmiunt: ego pól istos commouébo.
Mea Phrýgia, audisti, módo iste homo quam uíllam demonstráuit
Charíni? PH. Audiui. BA. Próxumam esse huic fúndo ad dextram? PH. Mémini.
BA. Currículo percurre: ápud eum milés Dionysia ágitat:
SY. Quid incéptat? BA. dic me hic óppido esse inuítam atque adseruári,

Verum áliquo pacto uérba me his datúram esse et uentúram.
SY. Perii hércle. Bacchis, máne, mane: quo míttis istam quaéso?
Iube máneat. BA. I. SY. Quin ést paratum argéntum. BA. Quin ego máneo.
SY. Atquí iam dabitur. BA. Vt lubet. num ego ínsto? SY. At scin quid sódes?
BA. Quid? SY. Tránseundumst núnc tibi huc ad Ménedemum et tua pómpa
Eo tráducendast. BA. Quám rem agis, scelus? SY. Égon? argentum cúdo,
Quod tíbi dem. BA. Dignam mé putas, quam inlúdas? SY. Non est témere.
BA. Etiámne tecum hic rés mihist? SY. Minumé: tuom tibi réddo.
BA. Eátur. *CL.* Sequere hac. — *SY.* Heús, Dromo. DR. Quis mé uolt? SY. Syrus. DR. Quid ést rei?
SY. Ancíllas omnis Bácchidis tradúce huc ad uos própere.
DR. Quam ob rém? SY. Ne quaeras: écferant quae sécum huc attulérunt.
Sperábit sumptum síbi senex leuátum esse harunc ábitu:
Ne ille haúd scit, hoc paulúm lucri quantum éï damni adpórtet.
Tu néscies quod scís, Dromo, si sápies. DR. Mutum díces.

ACTVS IV.

CHREMES SENEX SYRVS SERVOS

V,5 CH. Ita mé di amabunt, út nunc Menedemí uicem
Miserét me, tantum déuenisse ad eúm mali.
Illáncine mulierem álere cum illa familia!

Etsí scio, hosce aliquód dies non séntiet:
Ita mágno desidério fuit ei filius.
Verum úbi uidebit tántos sibi sumptús domi
Cottídianos fieri nec fierí modum,
Optábit rursum ut ábeat ab se filius.
Syrum óptume eccum. Sy. Césso hunc adorirí? Ch. Syre. Sy. Hem.
Ch. Quid ést. Sy. Te mi ipsum iám dudum optabám dari.
Ch. Vidére egisse iám nescio quid cúm sene.
Sy. De illó quod dudum? díctum [ac] factum réddidi.
Ch. Bonán fide? Sy. Bona hercle. Ch. Non possúm pati,
Quin tíbi caput demúlceam: accede húc, Syre:
Faciám boni tibi áliquid pro ista re, ác lubens.
Sy. At sí scias quam scíte in mentem uénerit.
Ch. Vah, glóriare euénisse ex senténtia?
Sy. Non hércle uero: uérum dico. Ch. Díc quid est?
Sy. Tui Clítiphonis ésse amicam hanc Bácchidem
Menedémo dixit Clínia, et ea grátia
Secum ádduxisse, né tu id persentísceres.
Ch. Probé. Sy. Dic sodes. Ch. Nímium, inquam. Sy. Immo sí scias.
Sed pórro ausculta, quód superest falláciae:
Sese ípse dicit tuám uidisse filiam;
Eius síbi conplacitam fórmam, postquam aspéxerit;
Hanc cúpere uxorem. Ch. Módone quae inuentást? Sy. Eam:
Et quídem iubebit pósci. Ch. Quam ob rem istúc, Syre?
Nam prórsum nihil intéllego. Sy. Vah, tárdus es.
Ch. Fortásse. Sy. Argentum dábitur eï ad núptias,
Aurum átque uestem quí . . tenesne? Ch. Cómparet?
Sy. Id ípsum. Ch. At ego illi néque do neque despóndeo.
Sy. Non? quam ób rem? Ch. Quam ob rem? mé rogas? homini . . ? Sy. Vt lubet.

Non égo dicebam in pérpetuom ut illam illí dares,
Verum út simulares. Ch. Nón meast simulátio:
Ita tu ístaec tua miscéto, ne me admísceas.
Egon quoí daturus nón sum, ut ei despóndeam?
Sy. Credébam. Ch. Minume. Sy. Scíte poterat fieri;
Et ego hóc, quia dudum tú tanto opere suáseras,
Eo coépi. Ch. Credo. Sy. Céterum equidem istúc, Chremes,
Aequí bonique fácio. Ch. Atqui quam máxume
Volo té dare operam ut fiat, uerum aliá uia.
Sy. Fiát, quaeratur áliquid. sed illud quód tibi
Dixí de argento, quód ista debet Bácchidi,
Id núnc reddendumst ílli: neque tu scílicet
Illúc confugies: 'quíd mea? num míhi datumst?
Num iússi? num illa oppígnerare filiam
Meám me inuito pótuit?' uerum illúd, Chremes,
Dicúnt: 'ius summum saépe summast málitia.'
Ch. Haud fáciam. Sy. Immo aliis sí licet, tibi nón licet:
Omnés te in lauta *esse* ét bene a*u*cta *ré* putant.
Ch. Quin égomet iam ad eam déferam. Sy. Immo filium
Iube pótius. Ch. Quam ob rem? Sy. Quía enim in eum suspíciost
Transláta amoris. Ch. Quíd tum? Sy. Quia uidébitur
Magis uéri simile id ésse, quom hic illí dabit;
Et símul conficiam fácilius ego quód uolo.
Ipse ádeo adest: abi, écfer argentum. Ch. Écfero.

Clitipho Syrvs
ADVLESCENS SERVOS

IV,6 Cl. Nullást tam facilis rés, quin difficilis siet,
Quom inuítus facias. uél me haec deambulátio,
Quam nón laborióSa, ad languorém dedit.
Nec quícquam magis nunc métuo quam ne dénuo
Miser áliquo extrudar hínc, ne accedam ad Bácchidem.
Vt té quidem di deaéque omnes quantúmst, Syre,

Cum istóc inuento cúmque incepto pérduint!
Huiús modi mi res sémper comminíscere,
Vbi me éxcarnufices. Sy. Íbin hinc quo dígnus es?
Quam paéne tua me pérdidit protéruitas!
Cl. Vellem hércle factum, ita méritu's. Sy. Meritus? quó modo?
Ne me ístuc ex te príus audisse gaúdeo,
Quam argéntum haberes, quód daturus iám fui.
Cl. Quid ígitur dicam tíbi uis? † abisti mihi
Amícam adduxti, quám non licitumst tángere.
Sy. Iam nón sum iratus. séd scin ubi nunc sít tibi
Tua Bácchis? Cl. Apud nos. Sy. Nón. Cl. Vbi ergo? Sy. Apud Clíniam.
Cl. Periı́. Sy. Bono animo es: iam árgentum ad eam déferes,
Quod eí pollicitu's. Cl. Gárris. unde? Sy. A tuó patre.
Cl. Ludís fortasse me? Sy. Ípsa re experíbere.
Cl. Ne ego hómo sum fortunátus: deamo té, Syre.
Sy. Sed páter egreditur. cáue quicquam admirátus sis,
Qua caúsa id fiat; óbsecundato ín loco;
Quod ímperabit fácito; loquitor paúcula.

Chremes Clitipho Syrvs
senex advlescens servos

Ch. Vbi Clítipho hic est? Sy. 'Éccum me' inque. Cl. Eccum híc tibi. IV,7
Ch. Quid rei ésset dixti huic? Sy. Díxi pleraque ómnia.
Ch. Cape hóc argentum ac défer. Sy. I: quid stás, lapis?
Quin áccipis? Cl. Cedo sáne. Sy. Sequere hac me ócius.
Tu hic nós, dum eximus, ínterea opperíbere;
Nam níl est illic quód moremur díutius. —
Ch. Minás quidem iam décem habet a me fília,
Quas pró alimentis ésse nunc ducó datas;
Hasce órnamentis cónsequentur álterae;
Porro haéc talenta dótis adposcúnt duo.

Quam múlta iniusta ac práva fiunt móribus!
Mihi núnc relictis rébus inueniúndus est
Aliquís, labore inuénta mea quoi dém bona.

MENEDEMVS CHREMES
SENES II

IV, 8 ME. Multo ómnium nunc mé fortunatíssumum
Factúm puto esse, quóm te, gnate, intéllego
Resipísse. CH. Vt errat! ME. Te ípsum quaerebám, Chremes:
Seruá, quod in te est, fílium et me et fámiliam.
CH. Dic quíd uis faciam? ME. Inuénisti hodie fíliam.
CH. Quid tum? ME. Hánc uxorem síbi dari uolt Clínia.
CH. Quaesó quid tu hominis és? ME. Quid est? CH. Iamne oblítus es,
Intér nos quid sit díctum de fallácia,
Vt eá uia abs te argéntum auferretúr? ME. Scio.
CH. Ea rés nunc agitur ípsa. ME. Quid narrás, Chremes?
Immo haéc quidem quae apúd me est, Clitiphónis est
Amíca: ita aiunt. CH. Ét tu credis ómnia.
Et illum áiunt uelle uxórem, ut quom despónderim,
Des qui aúrum ac uestem atque ália quae opus sunt cómparet.
ME. Id ést profecto: id amícae dabitur. CH. Scílicet
Datúrum. ME. Ah, frustra sum ígitur gauisús miser.
Quiduís tamen iam málo quam hunc amíttere.
Quid núnc renuntiem ábs te responsúm, Chremes,
Ne séntiat me sénsisse atque aegré ferat?
CH. Aegré? nimium illi, Ménedeme, indulgés. ME. Sine:
Incéptumst: perfice hóc mi perpetuó, Chremes.
CH. Dic cónuenisse, egísse te de núptiis.
ME. Dicám. quid deinde? CH. Mé facturum esse ómnia,
Generúm placere; póstremo etiam, sí uoles,

Despónsam quoque esse dícito. Me. Em, istuc uólueram.
Ch. Tanto ócius te ut póscat et tu, id quód cupis,
Quam ocíssume ut des. Me. Cúpio. Ch. Ne tu própediem,
Vt istám rem uideo, istíus obsaturábere.
Sed haéc uti sunt, caútim et paulatím dabis,
Si sápies. Me. Faciam. Ch. Abi íntro: uide quid póstulet.
Ego dómi ero, si quid mé uoles. Me. Sané uolo.
Nam té scientem fáciam, quidquid égero.

ACTVS V.

Menedemvs Chremes
senes II

Me. Égo me non tam astútum neque tam pérspicacem esse íd scio; V,1
Séd hic adiutor méus et monitor ét praemonstratór Chremes
Hóc mihi praestat: ín me quiduis hárum rerum cónuenit,
Quaé sunt dicta in stúlto, caudex, stípes, asinus, plúmbeus;
Ín illum nil potést: exsuperat eíus stultitia haec ómnia.
Ch. Óhe, desi*st*e inquám deos, uxor, grátulando obtúndere,
Túam esse inuentam gnátam; nisi illos éx tuo ingenio iúdicas,
Vt nil credas íntellegere, nísi idem dictumst céntiens.
Séd interim quid illíc iam dudum gnátus cessat cúm Syro?
Me. Quós aïs hominés, Chremes, cessáre? Ch. Ehem, Menedeme, áduenis?

Díc mihi, Cliniaé quae dixi núntiastin? Me. Ómnia.
Ch. Quíd aït? Me. Gaudere ádeo coepit, quási qui cupiunt núptias.
Ch. Háhahae. Me. Quid risísti? Ch. Serui uénere in mentém Syri
Cálliditates. Me. Ítane? Ch. Voltus quóque hominum fingít scelus.
Me. Gnátus quod se adsímulat laetum, id dícis? Ch. Id. Me. Idem istúc mihi
Vénit in mentém. Ch. Veterator. Me. Mágis, si magis norís, putes
Íta rem esse. Ch. Ain tu? Me. Quín tu ausculta. Ch. Máne *dum*, hoc prius scire éxpeto,
Quíd perdideris. nam úbi desponsam núntiasti filio,
Cóntinuo iniecísse uerba tíbi Dromonem scílicet,
Spónsae uestem aurum átque ancillas ópus esse: argentum út dares.
Me. Nón. Ch. Quid? non? Me. Non ínquam. Ch. Neque ipse gnátus? Me. Nil prorsúm, Chremes.
Mágis unum etiam instáre, ut hodie cónficiantur núptiae.
Ch. Míra narras. quíd Syrus meus? ne ís quidem quicquám? Me. Nihil.
Ch. Quam ób rem, nescio. Me. Équidem miror, qui ália tam plané scias.
Séd ille tuom quoqué Syrus *e*isdem míre finxit fílium,
V́t ne paululúm quidem subolat ésse amicam hanc Clíniae.
Ch. Quíd agit? Me. Mitto iam ósculari atque ámplexari: id níl puto.
Ch. Quíd est quod ampliús simuletur? Me. Váh. Ch. Quid est? Me. Audí modo.
Ést mi in ultimís conclaue *hisce* aédibus quoddám retro:

Húc est intro látus lectus, uéstimentis strátus est.
CH. Quíd postquam hoc est fáctum? ME. Dictum fáctum huc abiit Clítipho.
CH. Sólus? ME. Solus. CH. Tímeo. ME. Bacchis cónsecutast ílico.
CH. Sóla? ME. Sola. CH. Périi. ME. Vbi abiere íntro, operuere óstium. CH. Hem,
Clínia haec fieri uidebat? ME. Quíd ni? mecum uná simul.
CH. Filíst amica Bácchis: Menedeme, óccidi.
ME. Quam ob rém? CH. Decem diérum uix mi est fámilia.
ME. Quid? istúc times quod ille óperam amico dát suo?
CH. Immó quod amicae. ME. Si dat. CH. An dubium íd tibist?
Quemquámne animo tam cómi esse aut lení putas,
Qui sé uidente amícam patiatúr suam . . ?
ME. Quid ní? quo uerba fácilius dentúr mihi.
CH. Derídes merito. míhi nunc ego suscénseo:
Quod rés dedere, ubi póssem persentíscere,
Ni essém lapis! quae uídi! uae miseró mihi!
At né illud haud inúltum, si uiuó, ferent!
Nam iám . . ME. Non tu te cóhibes? non te réspicis?
Non tíbi ego exempli sátis sum? CH. Prae iracúndia,
Menedéme, non sum apúd me. ME. Tene istúc loqui!
Nonne íd flagitiumst, te áliis consiliúm dare,
Foris sápere, tibi non pósse te auxiliárier?
CH. Quid fáciam? ME. Id quod me fécisse aiebás parum.
Fac té patrem esse séntiat; fac ut aúdeat
Tibi crédere omnia, ábs te petere et póscere,
Ne quam áliam quaerat cópiam ac te déserat.
CH. Immo ábeat potius málo quouis géntium,
Quam hic pér flagitium ad ínopiam redigát patrem.

Nam si ílli pergo súppeditare súmptibus,
Menedéme, mi illaec uéro ad rastros rés redit.
Me. Quod incómmoditates hác re accipies, nísi caues!
Difficilem te esse osténdes et ignoscés tamen
Post, ét id ingratum. Ch. Ah néscis, quam doleam. Me. Vt lubet.
Quid hoc quód rogo, ut illa núbat nostro? nísi quid est,
Quod mágis uis. Ch. Immo et géner et adfinés placent.
Me. Quid dótis dicam té dixisse filio?
Quid óbticuisti? Ch. Dótis? Me. Ita dico. Ch. Áh. Me. Chremes,
Ne quíd uereare, sí minus: nil nos dós mouet.
Ch. Dúo talenta pró re nostra ego ésse decreuí satis;
Séd ita dictu opus ést, si me uis sáluom esse et rem et filium,
Mé mea omniá bona doti díxisse illi. Me. Quám rem agis?
Ch. Íd mirari té simulato et íllum hoc rogitató simul,
Quam ób rem id faciam. Me. Quín ego uero quam ób rem id facias néscio.
Ch. Égone? ut eius ánimum, qui nunc lúxuria et lascíuia
Díffluit, retúndam, redigam, ut quó se uortat nésciat.
Me. Quíd agis? Ch. Mitte: síne me in hac re gérere mihi morém. Me. Sino:
Ítane uis? Ch. Ita. Me. Fíat. Ch. Ac iam uxórem ut accersát paret. —
Híc ita ut liberós est aequom díctis confutábitur.
Séd Syrum quidem égone si uiuo ádeo exornatúm dabo,
Ádeo depexum, út dum uiuat méminerit sempér mei;
Quí sibi me pro déridiculo ac délectamentó putat.

Nón, ita me di amént, auderet fácere haec uiduae múlieri,
Quae ín me fecit.

CLITIPHO ADVLESCENS MENEDEMVS CHREMES SENES II SYRVS SERVOS

V, 2

Cl. Ítane tandem quaéso, Menedeme? út pater
Tam ín breui spatio ómnem de me eiécerit animúm patris?
Quód nam ob factum? quíd ego tantum scéleris admisí miser?
Vólgo faciunt. Me. Scío tibi esse hoc gráuius multo ac dúrius,
Quoí fit; uerum ego haúd minus aegre pátior, id qui néscio
Néc rationem cápio, nisi quod tíbi bene ex animó uolo.
Cl. Hı́c patrem esse aiébas. Me. Eccum. Ch. Quíd me incusas, Clítipho?
Quídquid ego huius féci, tibi prospéxi et stultitiaé tuae.
Vbi te uidi animo ésse omisso et suáuia in praeséntia
Quae éssent, prima habére neque consúlere in longitúdinem:
Cépi rationem, út neque egeres néque ut haec posses pérdere,
Vbi quoi decuit prímo, tibi non lícuit per te míhi dare,
Ábii ad proxumúm tibi qui erat: eí commisi et crédidi.
Íbi tuae stultítiae semper érit praesidium, Clítipho,
Víctus, uestitús, quo in tectum té receptes. Cl. Eí mihi!
Ch. Sátius est quam te ípso herede haec póssidere Bácchidem.
Sy. Dísperii: sceléstus quantas túrbas conciui ínsciens!

Cl. Émori cupió. Ch. Prius quaeso dísce, quid sit uíuere.
Ýbi scies, si dísplicebit uíta, tum istoc útitor.
Sy. Ére, licetne? Ch. Lóquere. Sy. At tuto. Ch. Lóquere. Sy. Quae istast práuitas
Quaéue amentiást, quod peccaui égo, id obesse huic? Ch. Ílicet.
Né te admisce: némo accusat, Sýre, te: nec tu arám tibi
Néc precatorém pararis. Sy. Quíd agis? Ch. Nil suscénseo
Néc tibi nec tíbi; nec uos est aéquom quod fació mihi.

Clitipho *Syrvs*
advlescens *servos*

Sy. Ábiit? uah, rogásse uellem, Cl. Quíd? Sy. unde mi peterém cibum:
Íta nos alienáuit. tibi iam esse ád sororem intéllego.
Cl. Adeón rem rediisse, út periclum etiam á fame mihi sít, Syre!
Sy. Modo líceat uiuere, ést spes Cl. Quae? Sy. nos ésuriturós satis.
Cl. Inrídes in re tánta neque me cónsilio quicquam ádiuuas?
Sy. Immo ét ibi nunc sum et úsque id egi dúdum, dum loquitúr pater;
Et quántum ego intellégere possum, Cl. Quíd? Sy. non aberit lóngius.
Cl. Quid [id] érgo? Sy. Sic est: nón esse horum te árbitror. Cl. Quid istúc, Syre?
Satin sánus es? Sy. Ego dícam, quod mi in méntemst: tu diiúdica.
Dum istís fuisti sólus, dum nulla ália delectátio,
Quae própior esset, te índulgebant, tíbi dabant; nunc filia

Postquámst inuenta uéra, inuentast caúsa qua te expéllerent.
Cl. Est uéri simile. Sy. An tu ób peccatum hoc ésse illum iratúm putas?
Cl. Non árbitror. Sy. Nunc áliud specta: mátres omnes filiis
In péccato adiutríces, auxilio ín paterna iniúria
Solent ésse: id non fit. Cl. Vérum dicis. quíd ergo nunc faciám, Syre?
Sy. Suspícionem istánc ex illis quaére, rem profér palam.
Si nón est uerum, ad mísericordiam ámbos adducés cito;
Aut scíbis quoius sis. Cl. Récte suades: fáciam.— Sy. Sat recte hóc mihi
In méntem uenit; nám quam maxume huíc uana haec suspício
Erit, tám facillumé patris pacem in léges conficiét suas.
Etiam haúd scio an *iam* uxórem ducat: *át* Syro nil grátiae!
Quid hoc aútem? senex exít foras: ego fúgio. adhuc quod fáctumst,
Mirór non continuo [hunc] á*b*ripi iusse: ád Menedemum hunc pérgam.
Eum míhi precatorém paro; seni nóstro nil fidei hábeo.

Sostrata Chremes
MVLIER SENEX

So. Profécto nisi caués tu homo, aliquid gnáto conficiés mali; V,3
Idque ádeo miror, quó modo
Tam inéptum quicquam tíbi uenire in méntem, mi uir, pótuerit.
Ch. [Oh,] Pérgin mulier ésse? nullamne égo rem umquam in uitá mea
Voluí, quin tu in ea ré mi fueris áduorsatrix, Sóstrata?

At sí rogem iam, quíd est quod peccem, aut quam ób rem hoc facias: néscias,
In quá re nunc tam cónfidenter réstas, stulta. So. Ego néscio?
Ch. Immó scis potius, quám quidem redeat íntegra eadem orátio. So. Oh,
Iníquos es, qui mé tacere dé re tanta póstules.
Ch. Non póstulo iam: lóquere: nilo mínus ego hoc faciám tamen.
So. Fácies? Ch. Verum. So. Nón uides quantúm mali ex ea re éxcites?
Súbditum se súspicatur. Ch. 'Súbditum' ain tu? So. Síc erit,
Mí uir. Ch. Confitére? So. Au, te obsecro, ístuc inimicís siet.
Égon confitear meúm non esse fílium, qui sít meus?
Ch. Quid? métuis ne non, quóm uelis, conuíncas esse illúm tuom?
So. Quod filiast inuénta? Ch. Non: sed quód [magis credundum siet
Id quod est consimilis moribus.
Conuinces facile ex te natum; nam] tui similis ést probe;
Nám illi nil uitíst relictum, quín sit idem itidém tibi.
[Tum praeterea talem nisi tu nulla pareret filium.]
Séd ipse egreditur, quám seuerus! rém quom uideas, cénseas.

CLITIPHO SOSTRATA CHREMES
ADVLESCENS MVLIER SENEX

v, 4 Cl. Si úmquam ullum fuit témpus, mater, quom égo uoluptatí tibi
Fúerim, dictus fílius tuos uóstra uoluntate: óbsecro,

Eíus ut meminerís atque inopis núnc te miserescát mei:
Quód peto aut quod uólo, parentis meós ut conmonstrés mihi.
So. Óbsecro, mi gnáte, ne istuc ín animum inducás tuom,
Álienum esse té. Cl. Sum. So. Miseram me, hócine quaesisti, óbsecro?
Íta mihi atque huic sís superstes, út ex me atque ex hoc nátus es;
Ét caue posthac, sí me amas, umquam ístuc uerbum ex te aúdiam.
Ch. Át ego, si me métuis, mores cáue in te esse istos séntiam.
Cl. Quós? Ch. Si scire uís, ego dicam: gérro, iners, fraus, hélluo,
Gáneo, damnósus. crede, et nóstrum te esse crédito.
Cl. Nón sunt haec paréntis dicta. Ch. Nón, si ex capite sís meo
Nátus, item ut aiúnt Mineruam esse éx Ioue, ea causá magis
Pátiar, Clitiphó, flagitiis tuís me infamem fíeri.
So. Dí istaec prohibeánt! Ch. Deos nescio: égo, quod potero, sédulo.
Quaéris id quod habés, parentis; quód abest non quaerís, patri
Quó modo obsequáre et ut serues quód labore inuénerit.
Nón mihi per fallácias addúcere ante oculós . . pudet
Dícere hac praesénte uerbum túrpe; at te id nulló modo
Fácere puduit. Cl. Éheu, quam nunc tótus displiceó mihi,
Quám pudet! neque quód principium cápiam ad placandúm scio.

MENEDEMVS CHREMES SOSTRATA CLITIPHO
SENES II MVLIER ADVLESCENS

V, 5 ME. Énim uero Chremés nimis grauiter crúciat adulescéntulum
Nímisque inhumane: éxeo ergo ut pácem conciliem. óptume
Ípsos uideo. CH. Ehém, Menedeme, quór non accersí iubes
Fíliam et quod dótis dixi fírmas? SO. Mi uir, te óbsecro
Né facias. CL. Pater, óbsecro mi ignóscas. ME. Da ueniám, Chremes:
Síne te exorent. CH. Méa bona ut dem Bácchidi donó sciens?
Nón faciam. ME. At id nos nón sinemus. CL. Sí me uiuom uís, pater,
Ígnosce. SO. Age, Chremés mi. ME. Age quaeso, né tam offirma té, Chremes.
CH. Quíd istic? uideo nón licere ut coéperam hoc perténdere.
ME. Fácis, ut te decét. CH. Ea lege hoc ádeo faciam, sí facit
Quód ego hunc aequom cénseo. CL. Pater, ómnia faciam: ímpera.
CH. Vxorem ut ducás. CL. Pater . . ! CH. Nil aúdio. SO. Ad me récipio:
Fáciet. CH. Nil etiam aúdio ipsum. CL. Périi. SO. An dubitas, Clítipho?
CH. Ímmo utrum uolt. SO. Fáciet omnia. ME. Haéc dum incipias, gráuia sunt,
Dúmque ignores; úbi cognoris, fácilia. CL. Faciám, pater.
SO. Gnáte mi, ego pol tíbi dabo illam lépidam, quam tu fácile ames,
Fíliam Phanócratae nostri. CL. Rúfamne illam uírginem,
Caésiam, sparso óre, adunco náso? non possúm, pater.

Ch. Heía, ut elegáns est! credas ánimum ibi esse. So. Aliám dabo.
Cl. Ímmo, quandoquidém ducendast, égomet habeo própemodum
Quám uolo. Ch. Nunc laúdo, gnate. Cl. Archónidi huius filiam.
So. Sátis placet. Cl. Pater, hóc nunc restat. Ch. Quíd? Cl. Syro ignoscás uolo,
Quaé mea causa fécit. Ch. Fiat. *Cantor.* Vós ualete et plaúdite!

EVNVCHVS.

INCIPIT EVNVCHVS TERENTI
ACTA LVDIS MEGALENSIB·
L·POSTVMIO ALBINO L·CORNELIO MERVLA
AEDILIB· CVRVLIB·
EGIT AMBIVIVS TVRPIO
[L·HATILIVS PRAENESTINVS]
MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI
TIBÍS DVABVS DEXTRIS *TOTA*
GRAECA MENANDRV
FACTA *III*·
M·VALERIO C·FANNIO COS·

G. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA.

Sorórem falso díctitatam Tháïdis
Id ípsum ignorans míles aduexít Thraso
Ipsíque donat. érat haec ciuis Áttica.
Eïdem eunuchum, quem émerat, tradí iubet
Thaïdis amator Phaédria ac rus ípse abit
Thrasóni oratus bíduum concéderet.
Ephébus frater Phaédriae puéllulam
Cum déperiret dóno missam Tháïdi,
Ornátu eunuchi indúitur (suadet Pármeno):
Intro *út* iit, uitiat uírginem. sed Átticus
Ciuís repertus fráter eius cónlocat
Vitiátam ephebo; Phaédriam exorát Thraso.

PERSONAE.

[PROLOGVS]
PHAEDRIA ADVLESCENS
PARMENO SERVOS
THAIS MERETRIX
GNATHO PARASITVS
CHAEREA ADVLESCENS
THRASO MILES
PYTHIAS ANCILLA
CHREMES ADVLESCENS
ANTIPHO ADVLESCENS
DORIAS ANCILLA
DORVS EVNVCHVS
SANGA SERVOS
SOPHRONA NVTRIX
SENEX [DEMEA seu LACHES?]
CANTOR

PROLOGVS.

Si quísquamst, qui placére se studeát bonis
Quam plúrimis et mínume multos laédere,
In hís poëta hic nómen profitetúr suom.
Tum sí quis est, qui díctum in se incleméntius
Exístumauit ésse, sic exístumet,
Respónsum, non dictum ésse, quia laesít prior,
Qui béne uortendo et eásdem scribendó male
Ex Graécis bonis Latínas fecit nón bonas.
Idém Menandri Phásma [nunc] nuper *pér*d*i*dit
Atque ín Thensauro scrípsit, causam dícere
Prius únde petitur, aúrum qua re sít suom,
Quam illíc qui petit, unde ís sit thensaurús sibi
Aut únde in patrium mónumentum peruénerit.
Dehinc né frustretur ípse se aut sic cógitet
'Defúnctus iam sum, níl est quod dicát mihi':
Is ne érret moneo et désinat lacéssere.
Habeo ália multa, quaé nunc condonábitur,
Quae próferentur póst, si perget laédere,
Ita ut fácere instituit. quám nunc acturí sumus
Menándri Eunuchum, póstquam aediles émerunt,
Perfécit sibi ut inspíciundi esset cópia.
Magistrátus quom ibi adésset, occeptást agi.
Exclámat furem, nón poëtam fábulam
Dedísse et nil dedísse uerborúm tamen:
Colacem ésse Naeui et Plaúti, ueterem fábulam;
Parasíti personam índe ablatam et mílitis.
Si id ést peccatum, péccatum inprudéntiast
Poëtae, non quo fúrtum facere stúduerit.

Id ita ésse uos iam iúdicare póteritis.
Colàx Menandrist: ín east parasitús colax
Et míles gloriósus: eas se nón negat
Persónas transtulísse in Eunuchúm suam
Ex Graéca; sed eas *áb aliis* factás prius
Latínas scisse sése, id uero pérnegat.
Quod sí personis *e*ísdem huic uti nón licet:
Qui mágis licet curréntem seruom scríbere,
Bonás matronas fácere, meretricés malas,
[Parasitum edacem, gloriosum militem]
Puerúm supponi, fálli per seruóm senem,
Amáre, odisse, súspicari? dénique
Nullúmst iam dictum, quód non sit dictúm prius.
Qua re aéquomst uos cognóscere atque ignóscere,
Quae uéteres factitárunt si faciúnt noui.
Date óperam, cum siléntio animum atténdite,
Vt pérnoscatis, quíd sibi Eunuchús uelit.

ACTVS I.

PHAEDRIA ADVLESCENS — PARMENO SERVOS

I, 1 PH. Quid ígitur faciam? nón eam ne núnc quidem,
Quom accérsor ultro? an pótius ita me cómparem,
Non pérpeti meretrícum contumélias?
Exclúsit; reuocat: rédeam? non, si me óbsecret.
PA. Siquidem hércle possis, níl prius neque fórtius.
Verúm si incipies néque pertendes gnáuiter
Atque, úbi pati non póteris, quom nemo éxpetet,
Infécta pace ultro ád eam uenies índicans
Te amáre et ferre nón posse: actumst, ílicet,
Perísti: eludet, úbi te uictum sénserit.
Proin tú, dum est tempus, étiam atque etiam cógita,
Ere: quaé res in se néque consilium néque modum
Habet úllum, eam consílio regere nón potes.
In amóre haec omnia ínsunt uitia: iniúriae,
Suspíciones, ínimicitiae, indútiae,
Bellúm, pax rursum: incérta haec si tu póstules
Ratióne certa fácere, nihilo plús agas,
Quam sí des operam ut cúm ratione insánias.
Et quód nunc tute técum iratus cógitas
'Egon íllam, quae illum, quaé me, quae non . .! síne modo,
Morí me malim: séntiet qui uír siem':
Haec uérba una mehércle falsa lácrimula,
Quam oculós terendo mísere uix ui exprésserit,
Restínguet, et te ultro áccusabit, ét dabis

Vltró supplicium. Ph. O indígnum facinus! núnc ego
Et illám scelestam esse ét me miserum séntio:
Et taédet et amore árdeo, et prudéns sciens,
Viuós uidensque péreo, nec quid agám scio.
Pa. Quid agás? nisi ut te rédimas captum quám queas
Minumó; si nequeas paúlulo, at quantí queas;
Et né te adflictes. Ph. Ítane suades? Pa. Sí sapis.
Neque praéter quam quas ípse amor moléstias
Habet áddas, et illas quás habet recté feras.
Sed ecca*m* ípsa egreditur, nóstri fundi cálamitas;
Nam quód nos capere opórtet, haec intércipit.

Thais Phaedria Parmeno
MERETRIX ADVLESCENS SERVOS

Th. Miserám me, uereor ne íllud grauius Phaédria I, 2
Tulerít neue aliorsum átque ego feci accéperit,
Quod heri íntro missus nón est. Ph. Totus, Pármeno,
Tremo hórreoque, póstquam aspexi hanc. Pa. Bóno animo es:
Accéde ad ignem hunc, iám calesces plús satis.
Th. Quis hic lóquitur? ehem, tun híc eras, mi Phaédria?
Quid stábas hic? quor nón intro ibas? Pa. Céterum
De exclúsione uérbum nullum? Th. Quíd taces?
Ph. Sané quia uero haec míhi patent sempér fores
Aut quía sum apud te prímus. Th. Missa istaéc face.
Ph. Quid 'míssa'? o Thais, Tháis, utinam essét mihi
Pars aéqua amoris técum ac pariter fíeret,
Vt aút hoc tibi doléret itidem ut míhi dolet,
Aut égo istuc abs te fáctum nili pénderem!
Th. Ne crúcia te obsecro, ánime mi, *mi* Phaédria.
Non pól, quo quemquam plús amem aut plus díligam,

Eo féci; sed ita erát res, faciundúm fuit.
Pa. Credo, út fit, misera praé amore exclusti húnc foras.
Th. Sicíne agis, Parmeno? áge; sed huc qua grátia
Te accérsi iussi, auscúlta. Ph. Fiat. Th. Díc mihi
Hoc prímum, potin est híc tacere? Pa. Egon? óptume.
Verum heús tu, hac lege tíbi meam adstringó fidem:
Quae uéra audiui, táceo et contineo óptume;
Sin fálsum aut uanum aut finctumst, continuó palamst:
Plenús rimarum sum, hác atque illac pérfluo.
Proin tú, tacere sí uis, uera dícito.
Th. Samiá mihi mater fúit: ea habitabát Rhodi.
Pa. Potést taceri hoc. Th. Íbi tum matri páruolam
Puéllam dono quídam mercatór dedit
Ex Áttica hinc abréptam. Ph. Ciuemne? Th. Árbitror;
Certúm non scimus: mátris nomen ét patris
Dicébat ipsa; pátriam et signa cétera
Neque scíbat neque per aétatem etiam pót*is* erat.
Mercátor hoc addébat: e praedónibus,
Vnde émerat, se audísse abreptam e Súnio.
Matér ubi accepit, coépit studiose ómnia
Docére, educ*e*re, íta ut*i* si esset fília.
Sorórem plerique ésse credebánt meam.
Ego cum íllo, quocum tum úno rem habebam hóspite
Abii húc: qui mihi relíquit haec quae habeo ómnia.
Pa. Vtrúmque hoc falsumst: *é*cfluet. Th. Qui istúc? Pa. Quia
Neque tu úno eras conténta neque solús dedit;
Nam hic quóque bonam magnámque partem ad te áttulit.
Th. Itást; sed sine me péruenire quó uolo.

Intérea miles, quí me amare occéperat,
In Cáriamst proféctus; te intereá loci
Cognóui. tute scís postilla quam íntumum
Habeám te et mea consília ut tibi credam ómnia.
Pa. Ne hoc quídem tacebit Pármeno. *Th.* Oh, dubiúmne id est?
Hoc ágite, amabo. máter mea illic mórtuast
Nupér: eius frater áliquantum ad rem est áuidior.
Is ubi *ésse* hanc forma uídet honesta uírginem
Et fidibus scire, prétium sperans ílico
Prodúcit, uendit. fórte fortuna ádfuit
Hic méus amicus: émit eam donó mihi,
Inprúdens harum rérum ignarusque ómnium.
Is uénit: postquam sénsit me tecúm quoque
Rem habére, fingit caúsas ne det sédulo:
Ait, sí fidem habeat se íri praepositúm tibi
Apúd me, ac non id métuat, ne, ubi accéperim,
Sesé relinquam, uélle se illam míhi dare;
Verum íd uereri. séd ego quantum súspicor,
Ad uírginem animum adiécit. Ph. Etiamne ámplius?
Th. Nil; nám quaesiui. núnc ego eam, mi Phaédria,
Multaé sunt causae quam ób rem cupio abdúcere:
Primúm quod soror est dícta; praeterea út suis
Restítuam ac reddam. sóla sum; habeo hic néminem
Neque amícum neque cognátum: quam ob rem, Phaédria,
Cupio áliquos parere amícos benefició meo.
Id amábo adiuta mé, quo id fiat fácilius:
Sine illúm priores pártis hosce aliquód dies
Apúd me habere. níl respondes? Ph. Péssuma,
Egon quícquam cum istis fáctis tibi respóndeam?
Pa. Eu, nóster, laudo: tándem perdoluít: uir es.
Ph. At égo nescibam, quórsum tu ires: 'páruola
Hinc ést abrepta; edúxit mater pró sua;
Soror díctast; cupio abdúcere, ut reddám suis':

Nempe ómnia haec nunc uérba huc redeunt dénique:
Ego exclúdor, ille récipitur. qua grátia?
Nisi si íllum plus quam mé amas et istam núnc times,
Quae aduéctast, ne illum tálem praeripiát tibi.
Th. Ego id tímeo? Ph. Quid te ergo áliud sollicitát? cedo.
Num sólus ille dóna dat? numcúbi meam
Benígnitatem sénsisti in te claúdier?
Nonne úbi mi dixti cúpere te ex Aethíopia
Ancíllulam, relíctis rebus ómnibus
Quaesíui? porro eunúchum dixti uélle te,
Quia sólae utuntur hís reginae: répperi,
Herí minas uigínti pro ambobús dedi.
Tamén contemptus ábs te haec habui in mémoria:
Ob haéc facta abs te spérnor! Th. Quid istic, Phaédria?
Quamquam íllam cupio abdúcere atque hac re árbitror
Id fieri posse máxume, uerúm tamen
Potiús quam te inimicum hábeam, faciam ut iússeris.
Ph. Vtinam ístuc uerbum ex ánimo ac uere díceres
'Potiús quam te inimicum hábeam'! si istuc créderem
Sincére dici, quíduis possem pérpeti.
Pa. Labáscit uictus úno uerbo quám cito!
Th. Ego nón ex animo mísera dico? quám ioco
Rem uóluisti a me tándem, quin perféceris?
Ego ímpetrare néqueo hoc abs te, bíduom
Saltem út concedas sólum. Ph. Siquidem bíduom:
Verúm ne fiant ísti uigintí dies.
Th. Profécto non plus bíduom aut . . Ph. 'Aut' níl moror.
Th. Non fíet: hoc modo síne te exorem. Ph. Scílicet
Faciúndumst quod uis. Th. Mérito te amo, béne facis.

PH. Rus íbo: ibi hoc me mácerabo bíduom.
[Ita facere certumst: mos gerundust Thaïdi.]
Tu, Pármeno, huc fac illi ádducantur. PA. Máxume.
PH. In hoc bíduom, *mea* Tháïs, uale. TH. Mi Phaédria,
Et tú. num quid uis áliud? PH. Egone quíd uelim?
Cum mílite isto praésens absens út sies;
Diés noctisque mé ames, me desíderes,
Me sómnies, me expéctes, de me cógites,
Me spéres, me te obléctes, mecum tóta sis:
Meus fác sis postremo ánimus, quando ego súm tuos. —
TH. Me míseram, forsitán mi hic paruam habeát fidem
Atque éx aliarum ingéniis nunc me iúdicet.
Ego pól, quae mihi sum cónscia, hoc certó scio,
Neque mé finxisse fálsi quicquam néque meo
Cordi ésse quemquam cáriorem hoc Phaédria.
Et quídquid huius féci, causa uírginis
Fecí; nam me eius spéro fratrem própemodum
Iam répperisse, aduléscentem adeo nóbilem;
Et is hódie uenturum ád me constituít domum.
Concédam hinc intro atque éxpectabo, dúm uenit.

ACTVS II.

PHAEDRIA ADVLESCENS PARMENO SERVOS

PH. Fác, ita ut iussi, déducantur ísti. PA. Faciam. II, 1
PH. At díligenter.
PA. Fíet. PH. At matúre. PA. Fiet. PH. Sátine hoc mandatúmst tibi? PA. Ah,
Rogitáre, quasi difficile sit!
Vtinam tam aliquid ínuenire fácile possis, Phaédria,

Quam hóc peribit. PH. Égo quoque una péreo, quod mi est cárius:
Ne istúc tam iniquo pátiare animo. PA. Mínume: quin factúm dabo.
Sed núm quid aliud ímperas?
PH. Múnus nostrum ornáto uerbis, quód poteris, et istum aémulum,
Quod póteris, ab ea péllito.
PA. Mémini, tam etsi núllus moneas. PH. Égo rus ibo atque íbi manebo.
PA. Cénseo. PH. Sed heús tu. PA. Quid uis? PH. Cénsen posse me óffirmare
Pérpeti, ne rédeam interea? PA. Téne? non hercle árbitror;
Nam aut iám reuortere, aút mox noctu te ádiget horsum insómnia.
PH. Opus fáciam, ut defetíger usque, ingrátiis ut dórmiam.
PA. Vigilábis lassus: hóc plus facies. PH. Ábi, nil dicis, Pármeno.
Eïciunda hercle haec ést mollities ánimi; nimis me indúlgeo.
Tandém non ego illam cáream, si sit ópus, uel totum tríduom? PA. Hui,
Vniuorsum tríduom? uide quíd agas. PH. Stat senténtia. —
PA. Dí boni, quid hoc mórbist? adeon hómines inmutárier
Éx amore, ut nón cognoscas eúndem esse! hoc nemó fuit
Mínus ineptus, mágis seuerus quísquam nec magis cóntinens.
Séd quis hic est, qui huc pérgit? attat, híc quidemst parasitús Gnatho
Mílitis: ducít secum una uírginem dono huíc. papae,
Fácie honesta! mírum ni ego me túrpiter hodie híc dabo
Cúm meo decrepito hóc eunucho. haec súperat ipsam Tháïdem.

GNATHO PARASITVS PARMENO SERVOS

GN. Di ínmortales, hómini homo quid praéstat? stulto intéllegens II, 2
Quíd interest? hoc ádeo ex hac re uénit in mentém mihi:
Cónueni hodie aduéniens quendam meí loci hinc atque órdinis,
Hóminem haud inpurum, ítidem patria qui ábligurrierát bona:
Vídeo sentum squálidum aegrum, pánnis annisque óbsitum.
'Quíd istuc' inquam 'ornátist?' "quoniam míser quod habui pérdidi, em
Quó redactus sum. ómnes noti me átque amici déserunt."
Híc ego illum contémpsi prae me: 'quíd homo' inquam 'ignauíssume?
Ítan parasti te, út spes nulla rélicua in te sít tibi?
Símul consilium cúm re amisti? uíden me ex eodem ortúm loco?
Quí color, nitór, uestitus, quaé habitudost córporis!
Ómnia habeo, néque quicquam habeo; níl quom est, nil defít tamen.'
"Át ego infelix néque ridiculus ésse neque plagás pati
Póssum." 'quid? tu his rébus credis fíeri? tota errás uia.
Ólim isti fuit géneri quondam quaéstus apud saeclúm prius:
Hóc nouomst aucúpium; ego adeo hanc prímus inuení uiam.
Ést genus hominum, qui ésse primos se ómnium rerúm uolunt,
Néc sunt: hos conséctor; hisce ego nón paro me ut rídeant,
Séd *e*is ultro adrídeo et eorum íngenia admirór simul.

Quídquid dicunt, laúdo; id rursum sí negant, laudo íd quoque;
Négat quis: nego; aït: áio; postremo ímperaui egomét mihi
Ómnia adsentári. is quaestus núnc est multo ubérrimus.'
PA. Scítum hercle hominem! hic hómines prorsum ex stúltis insanós facit.
GN. Dum haec lóquimur, intereá loci ad macéllum ubi aduentámus,
Concúrrunt laeti mi óbuiam cuppédinarii ómnes,
Cetárii, lanii, coqui, fartóres, piscatóres,
Quibus ét re salua et pérdita profúeram et prosum saépe:
Salútant, ad cenám uocant, aduéntum gratulántur.
Ille úbi miser famélicus uidet mi ésse tantum honórem,
Tam fácile uictum quaérere: [ibi] homo coépit me obsecráre,
Vt síbi liceret díscere id de mé: sectari iússi,
Si pótis est, tamquam phílosophorum habent dísciplinae ex ípsis
Vocábula, parasíti ita ut Gnathónici uocéntur.
PA. Viden ótium et cibus quíd facit aliénus? GN. Sed ego césso
Ad Tháïdem hanc dedúcere et rogáre ad cenam ut uéniat?
Sed Pármenonem ante óstium *hoc astáre* tristem uídeo,
Riuális seruom: sálua res est. ní mirum homines frígent.
Nebulónem hunc certumst lúdere. PA. Hisce hoc múnere arbitrántur
Suam Tháïdem esse. GN. Plúrima salúte Parmenónem
Summúm suom inpertít Gnatho. quid ágitur? PA. Statur. GN. Vídeo.
Num quíd nam hic quod nolís uides? PA. Te. GN. Crédo; at num quid áliud?

PA. Qui dúm? GN. Quia tristi's. PA. Níl quidem. GN. Ne sís; sed quid uidétur
Hoc tíbi mancupium? PA. Nón malum hercle. GN. Vro hóminem. PA. Vt falsus ánimist.
GN. Quam hoc múnus gratum Tháïdi arbitráre esse? PA. Hoc nunc dícis
Eiéctos hinc nos: ómnium rerum, heús, uicissitúdost.
GN. Sex égo te totos, Pármeno, hos mensís quietum réddam,
Ne súrsum deorsum cúrsites neue úsque ad lucem uígiles.
Ecquíd beo te? PA. Mén? papae. GN. Sic sóleo amicos. PA. Laúdo.
GN. Detíneo te: fortásse tu proféctus alio fúeras.
PA. Nusquám. GN. Tum tu igitur paúlulum da mi óperae: fac ut admíttar
Ad illam. PA. Áge modo, i: nunc tíbi patent fores haéc, quia istam dúcis.
GN. Num quem éuocari hinc uís foras? PA. Sine bíduom hoc praetéreat:
Qui míhi nunc uno dígitulo fores áperis fortunátus,
Ne tu ístas faxo cálcibus saepe ínsultabis frústra.
GN. Etiám nunc tu hic stas, Pármeno? [eho] num nam híc relictu's cústos,
Ne quís forte internúntius clam a mílite ad istam cúrset?
PA. Facéte dictum: míra uero míliti quae pláceant. —
Sed uídeo erilem fílium minórem huc aduenire.
Mirór, quid ex Piraeo ábierit; nam ibi cústos publice ést nunc.
Non témerest; et properáns uenit: nescío quid circumspéctat.

CHAEREA ADVLESCENS PARMENO SERVOS

CH. Óccidi! II, 3
Neque uírgost usquam néque ego, qui illam a cónspectu amisí meo.

Vbi quaéram, ubi inuestígem, quem percónter, quam insistám uiam,
Incértus sum. una haec spés est: ubi ubi est, díu celari nón potest.
O fáciem pulchram! déleo omnis dehínc ex animo múlieres:
Taedét cottidiánarum harum fórmarum. Pa. Ecce autem álterum!
Néscio quid de amóre loquitur: o ínfortunatúm senem!
Hic uérost, qui si occéperit,
Ludúm iocumque dícet fuisse illum álterum,
Praeut húius rabies quaé dabit.
Ch. Vt illúm di deaeque sénium perdant, quí me hodie remorátus est;
Meque ádeo, qui restíterim; tum autem qui íllum flocci fécerim.
Séd eccum Parmenónem. salue. Pa. Quíd tu es tristis? quídue es alacris?
Vnde is? Ch. Egone? néscio hercle, néque unde eam neque quórsum eam:
Ita prórsum oblitus súm mei.
Pa. Qui quaéso? Ch. Amo. Pa. Hem. Ch. Nunc, Pármeno, te osténderis qui uír sies.
Scis té mihi saepe póllicitum esse 'Chaérea, aliquid ínueni
Modo quód ames: in ea re útilitatem ego fáciam ut cognoscás meam',
Quom in céllulam ad te pátris penum omnem cóngerebam clánculum.
Pa. Age, inépte. Ch. Hoc hercle fáctumst. fac sis núnc promissa adpáreant:
Est ádeo digna rés [est], ubi tu néruos intendás tuos.
Haud símilis uirgost uírginum nostrárum, quas matrés student
Demíssis umeris ésse, uincto péctore, ut gracilaé sient.
Si quae ést habitior paúlo, pugilem esse áiunt, deducúnt cibum:

Tam etsí bonast natúra, reddunt cúratura iúnceam:
Itaque érgo amantur. Pa. Quíd tua istaec? Ch. Nóua figura orís. Pa. Papae.
Ch. Color uérus, corpus sólidum et suci plénum. Pa. Anni? Ch. Anni? sédecim.
Pa. Flos ípse. Ch. *Nunc* hanc tú mihi uel ui uél clam uel precário
Fac trádas: mea nil ré fert, dum potiár modo.
Pa. Quid? uírgo quoiast? Ch. Néscio hercle. Pa. Vndést? Ch. Tantundem. Pa. Vbi hábitat?
Ch. Ne id quídem. Pa. Vbi uidisti? Ch. Ín uia. Pa. Qua rátione amisísti?
Ch. Id équidem adueniens mécum stomachabár modo,
Nec quémquam ego esse hominem árbitror, quoi mágis bonae
Felícitates ómnes aduorsaé sient.
Quid hóc est sceleris! périi. Pa. Quid factúmst? Ch. Rogas?
Patrís cognatum atque aéqualem Archidémidem
Nouístin? Pa. Quid ni? Ch. Is, dum hánc sequor, fit mi óbuiam.
Pa. Incómmode hercle. Ch. Immo énim uero infelíciter;
Nam incómmoda alia súnt dicenda, Pármeno.
Illúm liquet mihi déierare his ménsibus
Sex séptem prorsum nón uidisse próxumis,
Nisi núnc, quom minume uéllem minumeque ópus fuit.
Eho, nónne hoc monstri símilest? quid aïs? Pa. Máxume.
Ch. Contínuo adcurrit ád me, quam longé quidem,
Incúruos, tremulus, lábiis demissís, gemens:
'Heus heús, tibi dico, Chaérea' inquit. réstiti.
'Scin quíd ego te uolébam?' "dic." 'cras ést mihi
Iudícium.' "quid tum?" 'ut díligenter núnties
Patri, áduocatus máne mi esse ut méminerit.'
Dum haec dícit, abiit hóra. rogo num quíd uelit.
'Recte' ínquit. abeo. quom húc respicio ad uírginem,
Illa sése interea cómmodum huc aduórterat

In hanc nóstram plateam. Pa. Mírum ni hanc dicít, modo
Huic quaé datast dono. Ch. Húc quom aduenio, núlla erat.
Pa. Comités secuti scílicet sunt uírginem?
Ch. Verúm: parasitus cum áncilla. Pa. Ipsast: ílicet.
Desíne; iam conclamátumst. Ch. Alias rés agis.
Pa. Istúc ago equidem. Ch. Nóstin quae sit? díc mihi,
Vidístin? Pa. Vidi, nóui: scio quo abdúcta sit.
Ch. Eho Pármeno mi, nóstin et scis úbi siet?
Pa. Húc deductust ád meretricem Tháïdem: ei donó datast.
Ch. Quís is est tam poténs cum tanto múnere hoc? Pa. Milés Thraso,
Phaédriae riuális. Ch. Duras frátris partis praédicas.
Pa. Ímmo si sciás quod donum huic dóno contra comparet,
Mágis id dicas. Ch. Quód nam quaeso hercle? Pa. Eúnuchum. Ch. Illumne óbsecro
Ínhonestum hominem, quém mercatus ést heri, senem múlierem?
Pa. Ístunc ipsum. Ch. Homó quatietur cérte cum donó foras.
Séd istam Thaïdém non sciui nóbis uicinam. Pa. Haúd diust.
Ch. Périi, numquamne étiam me illam uídisse! eho dum díc mihi:
Éstne, ut fertur, fórma? Pa. Sane. Ch. At níl ad nostram hanc? Pa. Ália res.
Ch. Óbsecro hercle, Pármeno, fac ut pótiar. Pa. Faciam sédulo;
Dábo operam, adiuuábo: num quid me áliud? Ch. Quo nunc ís? Pa. Domum,
Vt mancupia haec, íta ut*i* iussit fráter, ducam ad Tháïdem.
Ch. Ó fortunatum ístum eunuchum, quí quidem in hanc detúr domum!

PA. Quíd ita? CH. Rogitas? súmma forma sémper conseruám domi
Vidébit, conloquétur, aderit úna in unis aédibus;
Cibúm non numquam cápiet cum ea; intérdum propter dórmiet.
PA. Quid sí nunc tute fórtunatus fias? CH. Qua re, Pármeno?
Respónde. PA. Capias [tu] íllius uestem. CH. Véstem? quid tum póstea?
PA. Pro illó te deducam. CH. Aúdio. PA. Te esse íllum dicam. CH. Intéllego.
PA. Tu illís fruare cómmodis, quibus tú illum dicebás modo:
Cibum úna capias, ádsis, tangas, lúdas, propter dórmias;
Quandóquidem illarum néque te quisquam nóuit neque scit quí sies.
Praetérea forma et aétas ipsast, fácile ut pro eunuchó probes.
CH. Dix*ís*ti pulchre: númquam uidi mélius consiliúm dari.
Age eámus intro núnciam: orna me, ábduc, duc, quantúm potest.
PA. Quid agís? iocabar équidem. CH. Garris. PA. Périi, quid ego egí miser!
Quo trúdis? perculerís iam tu me. tíbi equidem dicó, mane.
CH. Eámus. PA. Pergin? CH. Cértumst. PA. Vide ne nímium calidum hoc sít modo.
CH. Non ést profecto: síne. PA. At enim istaec ín me cudetúr faba. CH. Ah.
PA. Flagítium facimus. CH. Án id flagitiumst, si ín domum meretríciam
Dedúcar et illis crúcibus, quae nos nóstramque adulescéntiam
Habent déspicatam et quaé nos semper ómnibus cruciánt modis,
Nunc réferam gratiam átque eas itidem fállam, ut ab illis fállimur?

An pótius haec patri aéquomst fieri, ut á me ludatúr dolis?
Quod quí rescierint, cúlpent; illud mérito factum omnés putent.
PA. Quid istíc? si certumst fácere, faciam; uérum ne post cónferas
Culpam ín me. CH. Non faciám. PA. Iubesne? CH. Iúbeam? cogo atque ímpero:
Numquám defugiam auctóritatem. PA. Séquere: di uortánt bene!

ACTVS III.

THRASO MILES GNATHO PARASITVS PARMENO SERVOS

III,1 TH. Magnás uero agere grátias Thaïs mihi?
GN. Ingéntis. TH. Ain tu, laétast? GN. Non tam ipsó quidem
Donó, quam abs te datum ésse: id uero sério
Triúmphat. PA. Hoc prouíso ut, ubi tempús siet,
Dedúcam. sed eccum mílitem. TH. Est istúc datum
Profécto, ut grata míhi sint quae facio ómnia.
GN. Aduórti hercle animum. TH. Vél rex semper máxumas
Mihi agébat quidquid féceram: aliis nón item.
GN. Labóre alieno mágno partam glóriam
Verbís saepe in se tránsmouet, qui habét salem;
Quod in té est. TH. Habes. GN. Rex te érgo in oculis TH. Scílicet.
GN. Gestáre. TH. Vero: crédere omnem exércitum,
Consília. GN. Mirum. TH. Túm sicubi eum sátietas
Hominum aút negoti sí quando odium céperat,
Requiéscere ubi uolébat, quasi . . nostín? GN. Scio:

Quasi ubi íllam exspueret míseriam ex animó, Th. Tenes.
Tum mé conuiuam sólum abducebát sibi. Gn. Hui,
Regem élegantem nárras. Th. Immo síc homost:
Perpaúcorum hominum. Gn. Ímmo nullorum, árbitror,
Si técum uiuit. Th. Ínuidere omnés mihi,
Mordére clanculum: égo non flocci péndere:
Illi ínuidere mísere; uerum unús tamen
Inpénse, elephantis quem Índicis praefécerat.
Is úbi molestus mágis est, 'quaeso' inquám 'Strato,
Eon és ferox, quia hábes imperium in béluas?'
Gn. Pulchré mehercle díctum et sapientér. papae,
Iuguláras hominem. quíd ille? Th. Mutus ílico.
Gn. Quid ni ésset? Pa. Di uostrám fidem, hominem pérditum
Miserúmque et illum sácrilegum! Th. Quid illúd, Gnatho,
Quo pácto Rhodium tétigerim in conuíuio,
Numquám tibi dixi? Gn. Númquam; sed narra óbsecro.
Plus míliens audíui. Th. Vna in conuíuio
Erat híc, quem dico, Rhódius adulescéntulus.
Forte hábui scortum: coépit ad id adlúdere
Et me ínridere. 'quíd aïs' inquam homini 'ín-pudens?
Lepus túte es, pulpaméntum quaeris?' Gn. Háha*ha*hae.
Th. Quid ést? Gn. Facete, lépide, laute, níl supra.
Tuomne, óbsecro te, hoc díctum erat? uetus crédidi.
Th. Audíeras? Gn. Saepe, et fértur in primís. Th. Meumst.
Gn. Dolet díctum inprudenti ádulescenti et líbero.
Pa. At té di perdant! Gn. Quíd ille quaeso? Th. Pérditus:
Risu ómnes qui aderant émoriri. dénique
Metuébant omnes iám me. Gn. Non iniúria.
Th. Sed heús tu, purgon égo me de istac Tháïdi,

Quod eám me amare súspicatast? Gn. Níl minus.
Immo aúge magis suspícionem. Th. Quór? Gn. Rogas?
Scin, sí quando illa méntionem Phaédriae
Facit aút si laudat, te út male urat? Th. Séntio.
Gn. Id út ne fiat, haéc res solast rémedio:
Vbi nóminabit Phaédriam, tu Pámphilam
Contínuo; si quando ílla dicet 'Phaédriam
Intró mittamus cómissatum', Pámphilam
Cantátum prouocémus; si laudábit haec
Illíus formam, tu húius contra. dénique
Par pró pari reférto, quod eam mórdeat.
Th. Siquidém me amaret, tum ístuc prodessét, Gnatho.
Gn. Quando íllud quod tu dás expectat átque amat,
Iam dúdum te amat, iám dudum illi fácile fit
Quod dóleat; metuit sémper, quem ipsa núnc capit
Fructúm, ne quando irátus tu alio cónferas.
Th. Bene díxti, ac mi istuc nón in mentem uénerat.
Gn. Ridículum; non enim cógitaras. céterum
Idem hoc túte melius quánto inuenissés, Thraso!

Thais Thraso Gnatho Parmeno Pythias
meretrix miles parasitvs servos ancilla

III,2 Th. Audíre uocem uísa sum modo mílitis.
Atque éccum. salue, mí Thraso. Thr. O Thaïs mea,
Meum sáuium, quid ágitur? ecquid nós amas
De fídicina istac? Pa. Quám uenuste! quód dedit
Princípium aduenìens! Th. Plúrimum meritó tuo.
Gn. Eámus ergo ad cénam. quid stas? Pa. Em álterum:
Ex hómine hunc natum dícas? Th. Vbi uis, non moror.
Pa. Adíbo atque adsimulábo quasi nunc éxeam.
Itúran, Thaïs, quópiam es? Th. Ehem, Pármeno:
Bene fécisti hodie; itúra . . Pa. Quo? Th. Quid, hunc nón uides?

Pa. Video ét me taedet. úbi uis, dona adsúnt tibi
A Phaédria. Thr. Quid stámus? quor non ímus hinc?
Pa. Quaeso hércle ut liceat, páce quod fiát tua,
Dare huíc quae uolumus, cónuenire et cónloqui.
Thr. Perpúlchra credo dóna aut nostri símilia.
Pa. Res índicabit. heús iubete istós foras
Exíre, quos iussi, ócius. procéde tu huc:
Ex Aéthiopiast úsque haec. Thr. Hic sunt trés minae.
Gn. Vix. Pa. V́bi tu es, Dore? accéde huc. em eunuchúm tibi,
Quam líberali fácie, quam aetate íntegra!
Th. Ita mé di ament, honéstust. Pa. Quid tu aïs, Gnatho?
Num quíd habes quod contémnas? quid tu autém, Thraso?
Tacént: satis laudant. fác periclum in lítteris,
Fac ín palaestra, in músicis: quae líberum
Scire aéquomst adulescéntem, sollertém dabo.
Thr. Ego íllum eunuchum, sí opus sit, uel sóbrius . . !
Pa. Atque haéc qui misit, nón sibi soli póstulat
Te uíuere et sua caúsa excludi céteros,
Neque púgnas narrat néque cicatricés suas
Osténtat neque tibi óbstat, quod quidám facit;
Verum úbi molestum nón erit, ubi tú uoles,
Vbi témpus tibi erit, sát habet, si tum récipitur.
Thr. Adpáret seruom hunc ésse domini paúperis
Miseríque. Gn. Nam hercle némo posset, sát scio,
Qui habéret qui paráret alium, hunc pérpeti.
Pa. Tace tú, quem ego esse infra ínfumos omnís puto
Hominés; nam qui adsentári huic animum indúxeris,
E flámma petere té cibum posse árbitror.
Thr. Iamne ímus? Th. Hos prius íntro ducam et quaé uolo
Simul ímperabo: póst huc continuo éxeo.
Thr. Ego hinc ábeo: tu istanc ópperire. Pa. Haud cónuenit

Vna íre cum amica ímperatorem ín uia.
Thr. Quid tíbi ego multa dícam? domini símilis es.
Gn. Hahahaé. Thr. Quid rides? Gn. Ístuc quod dixtí modo;
Et illúd de Rhodio díctum quom in mentém uenit.
Sed Tháïs exit. Thr. Ábi prae, cura ut sínt domi
Paráta. Gn. Fiat. — Th. Díligenter, Pýthias,
Fac cúres, si Chremés hoc forte aduénerit,
Vt óres, primum ut rédeat; si id non cómmodumst,
Vt máneat; si id non póterit, ad me addúcito.
Py. Ita fáciam. Th. Quid? quid áliud uolui dícere?
Ehem, cúrate istam díligenter uírginem:
Domi adsítis facite. Thr. Eámus. Th. Vos me séquimini.

Chremes Pythias
ADVLESCENS ANCILLA

III,3 Ch. Profécto quanto mágis magisque cógito,
Ni mírum dabit haec Tháïs mihi magnúm malum:
Ita mé uideo ab ea astúte labefactárier,
Iam túm quom primum iússit me ad se accérsier.
Roget quís 'quid rei tibi cum ílla?' ne norám quidem.
Vbi uéni, causam, ut íbi manerem, répperit:
Ait rém diuinam fécisse et rem sériam
Velle ágere mecum. iám tum erat suspício
Doló malo haec fieri ómnia. ipsa adcúmbere
Mecúm, mihi sese dáre, sermonem quaérere.
Vbi fríget, huc euásit, quam pridém pater
Mihi et máter mortui éssent. dico, iám diu.
Rus écquod habeam Súni et quam longe á mari.
Credo eí placere hoc: spérat se a me auéllere.
Postrémo, ecqua inde párua periissét soror;
Ecquís cum ea una; quíd habuisset, quóm perit;
Ecquís eam posset nóscere. haec quor quaéritet?
Nisi si ílla forte quae ólim periit páruola
Soror, hánc se intendit ésse, uti est audácia.

Verum éa si uiuit, ánnos natast sédecim,
Non máior: Thaïs, quám ego sum, maiúsculast.
Misít porro orare, út uenirem, sério.
Aut dícat quod uolt aút molesta né siet:
Non hércle ueniam tértio. heus heus, écquis hic?
Ego súm Chremes. Py. O cápitulum lepidíssumum!
Ch. Dico égo mi insidias fíeri? Py. Thaïs máxumo
Te orábat opere, ut crás redires. Ch. Rús eo.
Py. Fac amábo. Ch. Non possum, ínquam. Py. At tu apud nos híc mane,
Dum rédeat ipsa. Ch. Níl minus. Py. Quor, mí Chremes?
Ch. Malám rem hinc ibis? Py. Si ístuc ita certúmst tibi,
Amábo ut illuc tránseas ubi illást. Ch. Eo.
Py. Abi, Dórias, cito húnc deduce ad mílitem.

Antipho
ADVLESCENS

An. Heri áliquod adulescéntuli coïimus in Piraéo III,4
In húnc diem, ut de sýmbolis essémus. Chaeream eí rei
Praefécimus; dati ánuli; locus, témpus constitútumst.
Praetériit tempus: quo ín loco dictúmst, parati níl est;
Homo ípse nusquamst, néque scio quid dícam aut quid coniéctem.
Nunc mi hóc negoti céteri dedére, ut illum quaéram,
Idque ádeo uisam, sí domist. quis nam hínc ab Thaïde éxit?
Is ést an non est? ípsus est. quid hoc hóminis? qui hic ornátust?
Quid illúd malist? nequeó satis mirári neque conícere;
Nisi, quídquid est, procul hínc lubet prius quíd sit sciscitári.

Chaerea Antipho
ADVLESCENTES II

III,5 Ch. Núm quis hic est? némost. num quis hínc me sequitur? némo homost.
Iámne erumpere hóc licet mi gaúdium? pro Iúppiter,
Nunc ést profecto, intérfici quom pérpeti me póssum,
Ne hoc gaúdium contáminet uita aégritudine áliqua.
Sed néminemne cúriosum intéruenire núnc mihi,
Qui mé sequatur quóquo eam, rogitándo obtundat, énicet,
Quid géstiam aut quid laétus sim, quo pérgam, unde emergam, úbi siem
Vestítum hunc nanctus, quíd mi quaeram, sánus sim anne insániam!
An. Adíbo atque ab eo grátiam hanc, quam uídeo uelle, inıbo.
Chaérea, quid est quód sic gestis? quíd sibi hic uestítus quaerit?
Quíd est quod laetus és? quid tibi uis? sátine sanu's? quíd me adspectas?
Quíd taces? Ch. † O festús dies [hominis]! amíce, salue! *hominum ómnium*
Nemóst, quem ego nunciám magis cuperém uidere quám te.
An. Narra ístuc quaeso quíd sit. Ch. Immo ego te óbsecro hercle ut aúdias.
Nostín hanc, quam amat fráter? An. Noui: némpe, opinor, Tháïdem.
Ch. Istam ípsam. An. Sic comméminerам. Ch. Quaedam hódie est ei donó data
Virgó: quid ego eius tíbi nunc faciem praédicem aut laudem, Ántipho,
Quom ipsús me noris quam élegans formárum spectatór siem?
In hác commotus sum. An. Aín tu? Ch. Primam díces, scio, si uíderis.

Quid múlta uerba? amáre coepi. fórte fortuná domi
Erat quídam eunuchus, quém mercatus fúerat frater Tháïdi,
Neque ís deductus étiam dum ad eam. súbmonuit me Pármeno
Ibi séruos, quod ego arrípui. An. Quid id est? Ch. Tácitus citius aúdies:
Vt uéstem cum eo mútem et pro illo iúbeam me illoc dúcier.
An. Pro eunúchon? Ch. Sic est. An. Quíd ex ea re tándem ut caperes cómmodi?
Ch. Rogás? uiderem, audírem, essem una quácum cupiebam, Ántipho.
Num párua causa aut práua ratiost? tráditus sum múlieri.
Illa ílico ubi me accépit, laeta uéro ad se abducít domum;
Comméndat uirginém. An. Quoi? tibine? Ch. Míhi. An. Satis tutó tamen?
Ch. Edícit ne uir quísquam ad eam adeat, ét mihi ne abscedam ímperat;
In ínteriore párte ut maneam sólus cum sola. ádnuo
Terram íntuens modéste. An. Miser. Ch. 'Ego' ínquit 'ad cenam hínc eo'.
Abdúcit secum ancíllas; paucae, quaé circum illam essént, manent
Nouíciae puéllae. continuo haéc adornant út lauet.
Adhórtor properent. dum ádparatur, uírgo in conclauí sedet
Suspéctans tabulam quándam pictam: ibi ínerat pictura haéc, Iouem
Quo pácto Danaae mísisse aiunt quóndam in gremium imbrem aúreum.
Egomét quoque id spectáre coepi, et quía consimilem lúserat
Iam olim ílle ludum, inpéndio magis ánimus gaudebát mihi,

Deum sése in hominem cónuortisse atque in alienas tégulas
Venísse clanculúm per inpluuium fúcum factum múlieri.
At quém deum! qui témpla caeli súmma sonitu cóncutit.
Ego hóc homunció non facerem? ego íllud uero ita [feci] ác lubens.
Dum haec mécum reputo, accérsitur lauátum interea uírgo:
Iit, láuit, rediit; deínde eam in lecto íllae conlocárunt.
Sto expéctans, si quid mi ímperent. uenit úna, 'heus tu' inquit 'Dóre,
Cape hóc flabellum, uéntulum huic sic fácito, dum lauámus;
Vbi nós lauerimus, sí uoles, lauáto'. accipio trístis.
An. Tum equidem ístuc os tuom ínpudens uidére nimium uéllem,
Qui essét status, flabéll*ul*um tenére te asinum tántum.
Ch. Vix élocutast hóc, foras simul ómnes proruónt se,
Abeúnt lauatum, pérstrepunt, ita út fit, domini ubi ábsunt.
Intérea somnus uírginem opprimít. ego limis spécto
Sic pér flabellum clánculum; simul ália circumspécto,
Satin éxplorata sínt. uideo esse. péssulum ostio óbdo.
An. Quid túm? Ch. Quid 'quid tum', fátue? An. Fateor. Ch. Án ego occasiónem
Mi osténtam, tantam, tám breuem, tam optátam, tam insperátam
Amítterem? tum pól ego is essem uéro, qui simulábar.
An. Sane hércle ut dicis. séd interim de sýmbolis quid áctumst?

CH. Parátumst. AN. Frugi es: úbi? domin? CH. Immo ápud libertum Díscum.
AN. Perlóngest, sed tanto ócius properémus: muta uéstem.
CH. Vbi mútem? perii; nám domo exuló nunc: metuo frátrem
Ne intús sit; porro autém pater ne rúre redierít iam.
AN. Eámus ad me, ibi próxumumst ubi mútes. CH. Recte dícis.
Eámus; et de istác simul, quo pácto porro póssim
Potíri, consiliúm uolo capere úna tecum. AN. Fíat.

ACTVS IV.

DORIAS
ANCILLA

Íta me di ament, quántum ego illum uídi, non nil tímeo misera,
Né quam ille hodie insánus turbam fáciat aut uim Tháïdi.
Nam póstquam iste aduenít Chremes adoléscens, frater uírginis,
Mílitem rogat út illum admitti iúbeat: ille contínuo irasci,
Néque negare audére; Thaïs pórro instare ut hóminem inuitet.
Íd faciebat rétinendi illius caúsa, quia illa quaé cupiebat
Dé sorore eius índicare, ad eám rem tempus nón erat.
Inuítat tristis: mánsit. ibi illa cum íllo sermonem ílico;
Míles uero síbi putare addúctum ante oculos aémulum;
Vóluit facere cóntra huic aegre: 'heus' ínquit 'puere, Pámphilam

Áccerse, ut deléctet hic nos.' ílla [exclamat] 'minume géntium:
Ín conuiuium íllam?' miles téndere: inde ad iúrgium.
Ínterea aurum síbi clam mulier démit, dat mi ut aúferam.
Hóc est signi: ubi prímum poterit, se íllinc subducét scio.

PHAEDRIA ADVLESCENS — DORIAS ANCILLA

IV,2 Dum rús eo, coepi égomet mecum intér uias,
Ita út fit, ubi quid ín animost moléstiae,
Aliám rem ex alia cógitare et ea ómnia
Peiórem in partem. quíd opust uerbis? dum haéc puto,
Praetérii inprudens uíllam. longe iam ábieram,
Quom sénsi: redeo rúrsum, male ueró me habens.
Vbi ad ípsum ueni déuorticulum, cónstiti:
Occépi mecum cógitare 'hem, bíduom hic
Manéndumst soli síne illa? quid tum póstea?
Nil ést. quid? nil? si nón tangendi cópiast,
Eho, né uidendi quídem erit? si illud nón licet,
Saltem hóc licebit. cérte extrema línea
Amáre haud nil est.' uíllam praetereó sciens.
Sed quíd hoc, quod timida súbito egreditur Pýthias?

PYTHIAS — DORIAS ANCILLAE II — PHAEDRIA ADVLESCENS

IV,3 PY. Vbi ego illum scelerósum misera atque ínpium inueniam? aút ubi quaeram?
Hócine tam audax fácinus facere esse aúsum! PH. Perii: hoc quíd sit uereor.
PY. Quín etiam insupér scelus, postquam lúdificatust uírginem,
Vestem ómnem miserae díscidit, tum ipsám capillo cónscidit.
PH. Hem. PY. Quí nunc si detúr mihi,

Vt ego únguibus facile ílli in oculos ínuolem uenéfico!
PH. Néscio quid profécto absente nóbis turbatúmst domi.
Adíbo. quid istuc? quíd festinas? aút quem quaeris, Pýthias?
PY. Ehem Phaédria, ego quem quaéram? in' hinc quo dígnu's cum donís tuis
Tam lépidis? PH. Quid istuc ést reï?
PY. Rogás me? eunuchum quém dedisti nóbis quas turbás dedit!
Quám erae dono déderat miles, uírginem uitiáuit. PH. Quid aïs?
PY. Périi. PH. Temulénta's. PY. Vtinam síc sint qui mihi mále uolunt!
DO. Au óbsecro, mea Pýthias, quod ístuc nam monstrúm fuit?
PH. Insánis: qui istuc fácere eunuchus pótuit? PY. Ego illum néscio
Qui fúerit; hoc quod fécit, res ipsa índicat.
Virgo ípsa lacrumat néque, quom rogites, quíd sit audet dícere.
Ille aútem bonus uir númquam adparet. étiam hoc misera súspicor,
Aliquíd domo abeuntem ábstulisse. PH. Néqueo mirarí satis,
Quo ille *hínc* abire ignáuos possit lóngius, nisi sí domum
Forte ád nos rediit. PY. Víse amabo, núm sit. PH. Iam faxó scies. —
DO. Perii, óbsecro! tam infándum facinus, méa tu, ne audiuí quidem.
PY. At pól ego amatorés audieram múlierum esse eos máxumos,
Sed níl potesse; uérum miserae nón in mentem uénerat;
Nam illum áliquo conclusíssem neque illi cómmisissem uírginem.

PHAEDRIA ADVLESCENS DORVS EVNVCHVS PYTHIAS DORIAS ANCILLAE II

IV,4 Ph. Exí foras, sceléste. at etiam réstitas,
Fugitíue? prodi, mále conciliate. Do(rvs). Óbsecro. Ph. Oh,
Illúd uide, os ut síbi distorsit cárnufex!
Quid huc tíbi reditiost? uéstis quid mutátiost?
Quid nárras? paulum sí cessassem, Pýthias,
Domi nón offendissem, íta iam adornarát fugam.
Py. Haben hóminem, amabo? Ph. Quíd ni habeam? Py. O factúm bene.
Dor(ias). Istúc pol uero béne. Py. Vbist? Ph. Rogitas? nón uides?
Py. Videam? óbsecro quem? Ph. Hunc scílicet. Py. Quis hic ést homo?
Ph. Qui ad uós deductus hódiest. Py. Hunc oculís suis
Nostrárum numquam quísquam uidit, Phaédria.
Ph. Non uídit? Py. An tu hunc crédidisti esse, óbsecro,
Ad nós deductum? Ph. Námque alium habui néminem. Py. Au,
Ne cómparandus híc quidem ad illumst: ílle erat
Honésta facie et líberali. Ph. Ita uísus est
Dudúm, quia uaria uéste exornatús fuit.
Nunc tíbi uidetur foédus, quia illam nón habet.
Py. Tace óbsecro: quasi uéro paulum intérsiet.
Ad nós deductus hódiest adulescéntulus,
Quem tú uidere uéro uelles, Phaédria.
Hic ést uietus uétus ueternosús senex,
Colóre mustelíno. Ph. Hem, quae haec est fábula?
Eo rédiges me, ut quid égerim egomet nésciam?
Eho tu, émin ego te? Do. Emísti. Py. Iube mi dénuo
Respóndeat. Ph. Roga. Py. Vénisti hodie ad nós? negat.
At ille álter uenit ánnos natus sédecim,

Quem sécum adduxit Pármeno. Ph. Age dum hoc mi éxpedi
Primum: ístam quam habes únde habes uestém? taces?
Monstrum hóminis, non dictúru's? Do. Venit Chaérea:
Ph. Fratérne? Do. Ita. Ph. Quando? Do. Hódie. Ph. Quam dudúm? Do. Modo.
Ph. Quicúm? Do. Cum Parmenóne. Ph. Norasne eúm prius?
Do. Non. [nec quis esset umquam audieram dicier.]
Ph. Vnde [igitur] fratrem méum esse scibas? Do. Pármeno
Dicébat eum esse. is míhi dedit hanc. Ph. Óccidi.
Do. Meam ipse índuit: post úna ambo abierúnt foras.
Py. Iám satis credis sóbriam esse me ét nil mentitám tibi?
Iám satis certumst uírginem uitiátam esse? Ph. Age nunc, bélua.
Crédis huic quod dícat? Py. Quid isti crédam? res ipsa índicat.
Ph. Cóncede istuc paúlulum: audin? étiam nunc paulúm: sat est.
Díc dum hoc rursum: Chaérea tuam uéstem detraxít tibi?
Do. Fáctum. Ph. Et eamst indútus? Do. Factum. Ph. Et pró te huc deductúst? Do. Ita.
Ph. Iúppiter magne, ó scelestum atque aúdacem hominem! Py. Vaé mihi:
Étiam non credés indignis nós esse inrisás modis?
Ph. Mírum ni tu crédis quod iste dícat. quid agam néscio.
Heús negato rúrsum. possumne égo hodie ex te excúlpere
Vérum? uidistíne fratrem Chaéream? Do. Non. Ph. Nón potest
Síne malo fatéri, uideo: séquere hac. modo aït módo negat.

Óra me. Do. Obsecró te uero, Phaédria. Ph. I intro núnciam.
Do. Oíeï. Ph. Alio pácto honeste quó modo hinc abeam néscio.
Áctumst, siquidem tú me hic etiam, nébulo, ludificábere. —
Py. Pármenonis tám scio esse hanc téchinam quam me uíuere.
Dor. Síc est. Py. Inueniám pol hodie, párem ubi referam grátiam.
Séd nunc quid faciúndum censes, Dórias? Dor. De istác rogas
Vírgine? Py. Ita, utrum praédicemne an táceam? Dor. Tu pol, sí sapis,
Quód scis nescis, néque de eunucho néque de uitio uírginis.
Hác re et te omni túrba euolues ét illi gratum féceris.
Íd modo dic, abísse Dorum. Py. Ita fáciam. Dor. Sed uideón Chremem?
Tháïs iam aderit. Py. Quíd ita? Dor. Quia, quom inde ábeo, iam tum incéperat
Túrba inter eos. Py. Aúfer aurum hoc. égo scibo ex hoc, quíd siet.

Chremes Pythias
adulescens ancilla

IV,5 Ch. Attát data hercle uérba mihi sunt: uícit uinum quód bibi.
At dum ádcubabam, quám uidebar míhi pulchre esse sóbrius!
Postquám surrexi, néque pes neque mens sátis suom officiúm facit.
Py. Chremés. Ch. Quis est? ehem Pýthias: uah, quánto nunc formónsior
Vidére mihi quam dúdum! Py. Certo tú quidem pol multo hílarior.
Ch. Verbum hércle hoc uerum erít 'sine Cerere et Líbero frigét Venus'.

Sed Tháïs multo*n* ánte uenit? Py. Án abiit iam a mílite?
Ch. Iam dúdum, aetatem. lítes factae súnt inter eos máxumae.
Py. Nil díxit, tu ut sequerére sese? Ch. Níl, nisi abiens mi ínnuit.
Py. Eho, nónne id sat erat? Ch. Át nescibam id dícere illam, nísi quia
Corréxit miles, quód intellexi mínus; nam me extrusít foras.
Sed eccam ípsam: miror úbi ego huic anteuórterim.

Thais Chremes Pythias
meretrix advlescens ancilla

Th. Crédo equidem illum iam ádfuturum esse, út illam a me eripiát: sine ueniat. IV,6
Átqui si illam dígito attigerit úno, oculi ilico *éc*fodientur.
Ýsque adeo [ego] illius férre possum inéptiam et magnífica uerba,
Vérba dum sint; uérum enim si ad rem cónferentur, uápulabit.
Ch. Tháïs, ego iam dúdum hic adsum. Th. O mí Chremes, te ipsum éxpectabam.
Scín tu turbam hanc própter te esse fáctam? et adeo ad te áttinere hanc
Ómnem rem? Ch. Ad me? quí qua*eso* istuc? Th. Quía, dum tibi sorórem studeo
Réddere ac restítuere, haec atque huíus modi sum múlta passa.
Ch. Ýbi east? Th. Domi apud me. Ch. Hém. Th. Quid est?
Éducta ita uti téque illaque dígnumst. Ch. Quid aïs? Th. Íd quod res est.
Hánc tibi do donó neque repeto pro ílla quicquam abs té preti.
Ch. Et habétur et referétur, Thaïs, [tibi] íta uti merita's grátia.

Th. Át enim caue, ne príus quam hanc a me accípias amittás, Chremes;
Nam haéc east, quam míles a me uí nunc ereptúm uenit.
Abi tú, cistellam, Pýthias, domo écfer cum monuméntis.
Ch. Viden tu íllum, Thaïs, Py. Vbi sitast? Th. In rísco: odiosa céssas.
Ch. Mílitem secum ád te quantas cópias addúcere?
Áttat. Th. Num formídulosus óbsecro es, mi homo? Ch. Ápage sis:
Égon formidulósus? nemost hóminum qui uiuát, minus.
Th. Átque ita opust. Ch. Ah, métuo qualem tú me esse hominem exístumes.
Th. Ímmo hoc cogitáto: quicum rés tibist, peregrínus est;
Mínus potens quam tú, minus notus, mínus amicorum híc habens.
Ch. Scío istuc. sed tu quód cauere póssis, stultum admíttere est.
Málo ego nos prospícere quam hunc ulcísci accepta iniúria.
Tú abi atque obsera óstium intus, dúm ego hinc transcurro ád forum:
Vólo ego adesse hic áduocatos nóbis in turba hác. Th. Mane.
Ch. Mélius est. Th. Omítte. Ch. Iam adero. Th. Níl opus est istís, Chremes.
Hóc modo dic, sorórem illam tuam esse ét te paruam uírginem
Ámisisse, núnc cognosse. sígna ostende. Py. Adsúnt. Th. Cape.
Sí uim faciet, ín ius ducito hóminem: intellextín? Ch. Probe.
Th. Fác animo haec praeséntí dicas. Ch. Fáciam. Th. Attolle pállium.
Périi, huic ipsist ópus patrono, quém defensorém paro.

THRASO MILES GNATHO PARASITVS SANGA SERVOS CHREMES ADVLESCENS THAIS MERETRIX

THR. Hancíne ego ut contuméliam tam insígnem in me accipiám, Gnatho? IV,7
Morí me satiust. Símalio, Donáx, Syrisce, séquimini.
Primum aédis expugnábo. GN. Recte. THR. Vírginem eripiám. GN. Probe.
THR. Male múlcabo ipsam. GN. Púlchre. THR. In medium huc ágmen cum uectí, Donax;
Tu, Símalio, in sinístrum cornum; tú, Syrisce, in déxterum.
Cedo álios: ubi centúriost Sanga et mánipulus furum? SA. Éccum adest.
THR. Quid ignáue? peniculón pugnare, qui ístu*m* huc portes, cógitas?
SA. Egon? ímperatorís uirtutem nóueram et uim mílitum;
Sine sánguine hoc non pósse fieri: qui ábstergerem uólnera?
THR. Vbi álii? SA. Qui malum 'álii'? solus Sánnio seruát domi.
THR. Tu hosce ínstrue; ego ero póst principia: inde ómnibus signúm dabo.
GN. Illúc est sapere: ut hósce instruxit, ípse sibi cauít loco.
THR. Idem hóc iam Pyrrus fáctitauit. CH. Víden tu, Thaïs, quam híc rem agit?
Ni mírum, consilium íllud rectumst de ócludendis aédibus.
TH. Sané quod tibi nunc uír uideatur ésse hic, nebulo mágnus est:
Ne métuas. THR. Quid uidétur? GN. Fundam tíbi nunc nimis uellém dari,
Vt tu íllos procul hinc éx occulto caéderes: facerént fugam.
THR. Sed éccam Thaïdem ípsam uideo. GN. Quám mox inruimús? THR. Mane:

Ómnia prius éxperiri quam ármis sapientém decet.
Quí scis an quae iúbeam sine ui fáciat? Gn. Di uostrám fidem,
Quántist sapere! númquam accedo, quín abs te abeam dóctior.
Thr. Tháïs, primum hoc míhi responde: quóm tibi do istam uírginem,
Díxtin hos diés mihi soli dáre te? Th. Quid tum póstea?
Thr. Rógitas? quae mi ante óculos coram amátorem adduxtí tuom
Th. Quíd cum illoc agás? Thr. et cum eo té clam subduxtí mihi?
Th. Lúbuit. Thr. Pamphilam érgo huc redde, nísi ui mauis éripi.
Ch. Tíbi illam reddat aút tu eam tangas, ómnium . .? Gn. Ah, quid agís? tace.
Thr. Quíd tu tibi uis? égo non tangam meám? Ch. Tuam autem, fúrcifer?
Gn. Cáue sis: nescis quoí male dicas núnc uiro. Ch. Non tu hínc abis?
Scín tu ut tibi res se hábeat? si quicquam hódie hic turbae coéperis,
Fáciam ut huius locí dieique meíque semper mémineris.
Gn. Míseret tui me, qui húnc tantum hominem fácias inimicúm tibi.
Ch. Díminuam ego tibí caput hodie, nísi abis. Gn. Ain ueró, canis?
Sícine agis? Thr. Quis tú homo es? quid tibi uís? quid cum illa reí tibist?
Ch. Scíbis: principio éam esse dico líberam. Thr. Hem. Ch. Ciuem Átticam. Thr. Hui.
Ch. Meám sororem. Thr. Os dúrum. Ch. Miles, núnc adeo edicó tibi,
Né uim facias úllam in illam. Tháïs, ego eo ad Sóphronam
Nútricem, ut eam addúcam et signa osténdam haec. Thr. Tun me próhibeas,

Meám ne tangam? Ch. Próhibebo inquam. Gn. Audín tu? hic furti se ádligat:
Sát hoc tibist. Thr. Idem hóc tu, Thaïs? Th. Quaére qui respóndeat. —
Thr. Quíd nunc agimus? Gn. Quín redeamus: haéc tibi iam aderit súpplicans
Vltro. Thr. Credin? Gn. Ímmo certe: nóui ingenium múlierum:
Nólunt ubi uelís, ubi nolis cúpiunt ultro. Thr. Béne putas.
Gn. Iám dimitto exércitum? Thr. Vbi uis. Gn. Sánga, ita uti fortís decet
Mílites, domí focique fác uicissim ut mémineris.
Sa. Iám dudum animus ést in patinis. Gn. Frúgi es. Thr. Vos me hac séquimini.

ACTVS V.

Thais Pythias
MERETRIX ANCILLA

Th. Pergín, scelesta, mécum perplexé loqui? V, 1
'Scio, néscio, abiit, aúdiui, ego non ádfui.'
Non tu ístuc mihi dictúra aperte es, quídquid est?
Virgó conscissa uéste lacrumans óbticet;
Eunúchus abiit: quam ób rem aut quid factúmst? taces?
Py. Quid tíbi ego dicam mísera? illum eunuchúm negant
Fuísse. Th. Quis fuit ígitur? Py. Iste Chaérea.
Th. Qui Chaérea? Py. Iste ephébus frater Phaédriae.
Th. Quid aïs, uenefica? Py. Átqui certe cómperi.
Th. Quid is óbsecro ad nos? quam ób rem adductust? Py. Néscio;
Nisi amásse credo Pámphilam. Th. Hem, misera óccidi,
Infélix, siquidem tu ístaec uera praédicas.

Num id lácrumat uirgo? Py. Id opínor. Th. Quíd aïs, sácrilega?
Istúcine intermináta sum hinc abiéns tibi?
Py. Quid fácerem? ita ut tu iústi, soli créditast.
Th. Scelésta, ouem lupo cómmisisti. díspudet
Sic míhi data esse uérba. quid illud hóminis est?
Py. Era méa, tace tace óbsecro, saluaé sumus:
Habémus hominem ipsum. Th. Vbi is est? Py. Em ad sinísteram.
Viden? Th. Vídeo. Py. Conprendí iube, quantúm potest.
Th. Quid illó faciemus, stúlta? Py. Quid faciás, rogas?
Vide amábo, si non, quom áspicias, os ínpudens
Vidétur! non est? [tum] quae éius confidéntiast!

CHAEREA ADVLESCENS — THAIS MERETRIX — PYTHIAS ANCILLA

V, 2 Ch. Apud Ántiphonem utérque, mater ét pater,
Quasi dédita opera dómi erant, ut nulló modo
Intro íre possem, quín uiderent me. ínterim
Dum ante óstium sto, nótus mihi quidam óbuiam
Venít. ubi uidi, ego me ín pedes quantúm queo
In ángiportum quóddam desertum, índe item
In áliud, inde in áliud: ita misérrumus
Fuí fugitando, né quis me cognósceret.
Sed éstne haec Thaïs, quám uideo? ipsast. haéreo
Quid fáciam. quid mea aútem? quid faciét mihi?
Th. Adeámus. bone uir Dóre, salue: díc mihi,
Aufúgistin? Ch. Era, fáctum. Th. Satine id tíbi placet?
Ch. Non. Th. Crédin te inpune hábiturum? Ch. Vnam hanc nóxiam
Amítte: si aliam admísero umquam, occídito.
Th. Num meám saeuitiam uéritus es? Ch. Non. Th. Quíd igitur?
Ch. Hanc métui ne me críminaretúr tibi.

Tʜ. Quid féceras? Cʜ. Paulúm quiddam. Pʏ. Eho 'paulum', ínpudens?
An paúlum hoc esse tíbi uidetur, uírginem
Vitiáre ciuem? Cʜ. Cónseruam esse crédidi.
Pʏ. Conséruam? uix me cóntineo quin ínuolem
Monstro ín capillum: etiam últro derisum ád-uenit.
Tʜ. Abin hínc, insana? Pʏ. Quíd ita uero? débeam,
Credo, ísti quicquam fúrcifero, si id fécerim;
Praesértim quom se séruom fateatúr tuom.
Tʜ. Missa haéc faciamus. nón te dignum, Chaérea,
Fecísti; nam si ego dígna hac contumélia
Sum máxume, at tu indígnus qui facerés tamen.
Neque édepol quid nunc cónsili capiám scio
De uírgine istac: íta conturbastí mihi
Ratiónes omnis, út eam non possím suis
Ita ut aéquom fuerat átque ut studui trádere,
Vt sólidum parerem hoc mí beneficium, Chaérea.
Cʜ. At núnc dehinc spero aetérnam inter nos grátiam
Fore, Tháïs. saepe ex huíus modi re quápiam
Maló principio mágna familiáritas
Conflátast. quid si hoc quíspiam uoluít deus?
Tʜ. Equidém pol in eam pártem accipioque ét uolo.
Cʜ. Immo íta quaeso. unum hoc scíto, contuméliae
Non mé fecisse caúsa, sed amorís. Tʜ. Scio,
Et pól propterea mágis nunc ignoscó tibi.
Non ádeo inhumano íngenio sum, Chaérea,
Neque ita ínperita, ut quíd amor ualeat nésciam.
Cʜ. Te quóque iam, Thaïs, íta me di bene amént, amo.
Pʏ. Tum pól tibi ab istoc, éra, cauendum intéllego.
Cʜ. Non aúsim. Pʏ. Nil tibi quícquam credo. Tʜ. Désinas.
Cʜ. Nunc égo te in hac re mi óro ut adiutríx sies,
Ego mé tuae comméndo et committó fide,
Te míhi patronam cápio, Thaïs, te óbsecro:
Emóriar, si non hánc uxorem dúxero.
Tʜ. Tamen sí pater quid . .? Cʜ. Áh uolet, certó scio,
Ciuís modo haec sit. Tʜ. Paúlulum opperírier

Si uís, iam frater ípse hic aderit uírginis;
Nutrícem accersitum íit, quae illam aluit páruolam:
In cógnoscendo túte ipse aderis, Chaérea.
Ch. Ego uéro maneo. Th. Vín interea, dúm uenit,
Domi ópperiamur pótius quam hic ante óstium?
Ch. Immó percupio. Py. Quám tu rem actura óbsecro es?
Th. Nam quíd ita? Py. Rogitas? húnc tu in aedis cógitas
Recípere posthac? Th. Quór non? Py. Crede hoc meaé fide,
Dabit híc pugnam aliquam dénuo. Th. Au, tace óbsecro.
Py. Parúm perspexisse eíus uidere audáciam.
Ch. Non fáciam, Pythiás. Py. Non credo, Chaérea,
Nisi sí commissum nón erit. Ch. Quin, Pýthias,
Tu mé seruato. Py. Néque pol seruandúm tibi
Quicquám dare ausim néque te seruare: ápage te.
Th. Adest óptume ipse fráter. Ch. Perii hercle: óbsecro
Abeámus intro, Tháïs: nolo me ín uia
Cum hac uéste uideat. *Py.* Quam ób rem tandem? an quía pudet?
Ch. Id ípsum. Py. Id ipsum? uírgo uero! Th. I praé, sequor.
Tu istíc mane, ut Chremem íntro ducas, Pýthias.

PYTHIAS ANCILLA — CHREMES ADVLESCENS — SOPHRONA NVTRIX

v, 3 Py. Quid, quíd uenire in méntem nunc possít mihi,
Quid nám, qui referam sácrilego illi grátiam,
Qui hunc súpposiuit nóbis? Ch. Moue te oro ócius,
Mea nútrix. So. Moueo. Ch. Vídeo, sed nil prómoues.
Py. Iamne óstendisti signa nutrici? Ch. Ómnia.
Py. Amábo, quid aït? cógnoscitne? Ch. Ac mémoriter.

Py. Probe édepol narras; namílli faueo uírgini.
Ite íntro: iam dudum éra uos expectát domi. —
Virúm bonum eccum Pármenonem incédere
Videó: uide ut otiósus it! si dís placet,
Speró me habere, qui húnc meo excruciém modo.
Ibo íntro, de cognítione ut certúm sciam:
Post éxibo atque hunc pérterrebo sácrilegum.

Parmeno Pythias
servos ancilla

Pa. Reuíso, quid nam Chaérea hic rerúm gerat. V, 4
Quod si ástu rem tractáuit, di uostrám fidem,
Quantam ét quam ueram laúdem capiet Pármeno!
Nam ut míttam, quod eï amórem difficíllumum,
Caríssumum, a meretríce auara uírginem
Quam amábat, e*u*m conféci sine moléstia,
Sine súmptu, sine dispéndio: tum hoc álterum,
Id uérost quod ego míhi puto palmárium,
Me répperisse, quó modo adulescéntulus
Meretrícum ingenia et móres posset nóscere,
Matúre ut quom cognórit, perpetuo óderit.
Quae dúm foris sunt, níl uidetur múndius,
Nec mágis compositum quícquam nec magis élegans:
[Quae cum amatore suo cum cenant ligurriunt]
Harúm uidere inlúuiem sordes ínopiam,
Quam inhonéstae solae sínt domi atque auidaé cibi,
Quo pácto ex iure hestérno panem atrúm uorent,
Nosse ómnia haec salú*ti*st adulescéntulis.
Py. Ego pól te pro istis fáctis et dictís, scelus,
Vlcíscar, ut ne inpúne in nos inlúseris.
Pró deum fidem, fácinus foedum! o infélicem adulescéntulum!
Ó scelestum Pármenonem, qui ístum huc adduxít!
Pa. Quid est?
Py. Míseret me: itaque ut né uiderem, mísera huc ecfugí foras,

Quaé futura exémpla dicunt ín eum indigna. Pa. O Iúppiter,
Quaé illaec turbast? núm nam ego perii? adíbo. quid istuc, Pýthias?
Quíd aïs? in quem exémpla fient? Py. Rógitas, audacíssume?
Pérdidisti istúm quem adduxti pro eúnucho adulescéntulum,
Dúm studes dare uérba nobis. Pa. Quíd ita? aut quid factúmst? cedo.
Py. Dícam: uirginem ístam, Thaïdi hódie quae donó datast,
Scís eam hinc ciuem ésse? et fratrem eius ésse adprime nóbilem?
Pa. Néscio. Py. Atqui síc inuentast: éam istic uitiauít miser.
Ílle ubi id resciuit factum fráter uiolentíssumus,
Pa. Quíd nam fecit? Py. cónligauit prímum eum miserís modis.
Pa. Cónligauit? Py. Ét quidem orante, út ne id faceret, Tháïde.
Pa. Quíd aïs? Py. Nunc minátur porro sése id quod moechís solet:
Quód ego numquam uídi fieri néque uelim. Pa. Qua audácia
Tántum facinus aúdet? Py. Quid ita 'tántum'? Pa. An non hoc máxumumst?
Quís homo pro moecho úmquam uidit ín domo meretrícia
Préndi quemquam? Py. Néscio. Pa. At ne hoc nésciatis, Pýthias:
Díco, edico uóbis nostrum esse íllum erilem fílium. Py. Hem,
Óbsecro, an is est? Pa. Né quam in illum Tháïs uim fieri sinat!
Átque adeo autem quór non egomet íntro eo? Py. Vide, Pármeno,
Quíd agas, ne neque ílli prosis ét tu pereas; nam hóc putant,

Quídquid factumst, éx te esse ortum. PA. Quíd igitur faciám miser?
Quídue incipiam? ecce aútem uideo rúre redeuntém senem.
Dícam huic an non *dícam?* dicam hercle; étsi mihi magnúm malum
Scío paratum; séd necessest, huíc ut subueniám. PY. Sapis.
Ego abeo intro: tú isti narra omne órdine, ut factúm siet.

[DEMEA seu LACHES?] PARMENO
SENEX SERVOS

SE. Ex meó propinquo rúre hoc capio cómmodi: V, 5
Neque agrí neque urbis ódium me umquam pércipit.
Vbi sátias coepit fíeri, commutó locum.
Sed estne ílle noster Pármeno? et certe ípsus est.
Quem praéstolare, Pármeno, hic ante óstium?
PA. Quis homóst? ehem, saluom te áduenire, ere, gaúdeo.
SE. Quem praéstolare? PA. Périi: lingua haerét metu.
SE. Quid ést quod trepidas? sátine salue? díc mihi.
PA. Ere, prímum te arbitrári id quod res ést uelim:
Quidquíd huius factumst, cúlpa non factúmst mea.
SE. Quid? PA. Récte sane intérrogasti: opórtuit
Rem praénarrasse me. émit quendam Phaédria
Eunúchum, quem dono huíc daret. SE. Quoi? PA. Tháïdi.
SE. Emít? perii hercle. quánti? PA. Vigintí minis.
SE. Actúmst. PA. Tum quandam fídicinam amat hi*n*c Chaérea.
SE. Hem, quíd? amat? an scit iam ílle quid meretríx siet?
An in ástu uenit? áliud ex alió malum!
PA. Ere, né me spectes: me ínpulsore haec nón facit.
SE. Omítte de te dícere. ego te, fúrcifer,
Si uíuo . . ! sed istuc, quídquid est, primum éxpedi.
PA. Is pro íllo eunucho ad Tháïdem hanc dedúctus est.

SE. Pro eunúchon? PA. Sic est. húnc pro moecho póstea
Conpréndere intus ét constrinxere. SE. Óccidi.
PA. Audáciam meretrícum specta. SE. Núm quid est
Aliúd mali damníue quod non díxeris,
Relícuom? PA. Tantumst. SE. Césso huc intro rúmpere? —
PA. Non dúbiumst quin mi mágnum ex hac re sít malum;
Nisi, quía necessus fúit hoc facere, id gaúdeo
Proptér me hisce aliquid ésse euenturúm mali.
Nam iám diu aliquam caúsam quaerebát senex,
Quam ob rem ínsigne aliquid fáceret eis: nunc répperit.

PYTHIAS ANCILLA PARMENO SERVOS

V, 6 PY. Numquam édepol quicquam iám diu quod mágis uellem eueníre,
Mi euénit, quam quod módo senex intro ád nos uenit érrans.
Mihi sólae ridiculó fuit, quae quíd timeret scíbam.
PA. Quid hoc aútemst? PY. Nunc id pródeo ut conuéniam Parmenónem.
Sed ubi óbsecro est? PA. Me quaérit haec. PY. Atque éccum uideo: adíbo.
PA. Quid ést, inepta? quíd tibi uis? quid rídes? pergin? PY. Périi:
Deféssa iam sum mísera te ridéndo. PA. Quid ita? PY. Rógitas?
Numquám pol hominem stúltiorem uídi nec uidébo. ah,
Non póssum satis narráre, quos ludós praebueris íntus.
At étiam primo cállidum et disértum credidi hóminem.
Quid? ílicone crédere ea quae díxi oportuít te?

An paénitebat flágiti, te auctóre quod fecísset
Aduléscens, ni miserum ínsuper etiám patri indicáres?
Nam quíd illi credis túm animi fuísse, ubi uestem uídit
Illam ésse eum indutúm pater? quid? iám scis te perísse?
PA. Hem, quíd dix*is*ti, péssuma? an mentíta es? etiam rídes?
Itan lépidum tibi uisúmst, scelus, nos ínridere? PY. Nímium.
PA. Siquidem ístuc inpune hábueris . . ! PY. Verúm? PA. Reddam hercle. PY. Crédo:
Sed ín diem istuc, Pármeno, est fortásse, quod mináre.
Tu iám pendebis, ádulescentulum ístum qui nobílitas
Flagítiis et eundem índicas: utérque in te exempla édent.
PA. Nullús sum. PY. Hic pro illo múnere tibi honós est habitus: ábeo.
PA. Egomét meo indició miser quasi sórex hodie périi.

GNATHO PARASITVS THRASO MILES PARMENO SERVOS

V, 7

GN. Quíd nunc? qua spe aut quó consilio huc ímus? quid coeptás, Thraso?
TH. Egone? ut Thaïdí me dedam et fáciam quod iubeát. GN. Quid est?
TH. Quí minus quam Herculés seruiuit Ómphalae? GN. Exemplúm placet.
Vtinam tibi conmítigari uídeam sandalió caput!
Séd fores crepuérunt ab ea. TH. Périi: quid hoc autémst mali?
Húnc ego numquam uíderam etiam: quíd nam hic properans prósilit?

CHAEREA PARMENO GNATHO THRASO
ADVLESCENS SERVOS PARASITVS MILES

V, 8 CH. Ó populares, écquis me hodie uíuit fortunátior?
Nemo hércle quisquam; nam ín me plane dí potestatém suam
Omnem óstendere, quoi tam subito tót congruerint cómmoda.
PA. Quid hic laétus est? CH. O Pármeno mi, o meárum uoluptatum ómnium
Inuéntor inceptór perfector, scís me in quibus sim gaúdiis?
Scis Pámphilam meam inuéntam ciuem? PA. Audíui. CH. Scis sponsám mihi?
PA. Bene, íta me di ament, fáctum. GN. Audin tu, hic quíd aït? CH. Tum autem Phaédriae
Meo frátri gaudeo ésse amorem omnem ín tranquillo: unást domus;
Thaïs patri se cómmendauit, ín clientelam ét fidem
Nobís dedit se. PA. Frátris igitur Tháïs totast? CH. Scílicet.
PA. Iam hoc áliud est quod gaúdeamus: míles pelletúr foras.
CH. Tu fráter ubi ubi est fác quam primum haec aúdiat. PA. Visám domum. —
TH. Num quíd, Gnatho, tu dúbitas quin ego núnc perpetuo périerim?
GN. Sine dúbio opinor. CH. Quíd commemorem prímum aut laudem máxume?
Illúmne qui mihi dédit consilium ut fácerem, an me qui id aúsus sim
Incípere, an fortunám conlaudem, quaé gubernatríx fuit,
Quae tót res tantas tam ópportune in únum conclusít diem,
An meí patris festíuitatem et fácilitatem? o Iúppiter,
Serua óbsecro haec bona nóbis!

PHAEDRIA CHAEREA THRASO GNATHO
ADVLESCENTES II MILES PARASITVS

Ph. Di uostrám fidem, incredíbilia
Pármeno modo quaé narrauit. séd ubist frater? Ch. Praésto adest.
Ph. Gaúdeo. Ch. Satis crédo. nil est Tháïde hac, fratér, tua
Dígnius quod amétur: ita nostrae ómnist fautrix fámiliae.
Ph. Míhi illam laudas? Th. Périi, quanto mínus spei est, tanto mágis amo.
Óbsecro, Gnatho, ín te spes est. Gn. Quíd uis faciam? Th. Pérfice hoc
Précibus pretio, ut haéream in parte áliqua tandem apud Tháïdem.
Gn. Dífficilest. Th. Si quíd conlubitumst, nóui te. hoc si efféceris,
Quóduis donum praémium a me optáto: id optatum aúferes.
Gn. Ítane? Th. Sic erít. Gn. Si efficio hoc, póstulo ut mihi túa domus
Té praesente absénte pateat, ínuocato ut sít locus
Sémper. Th. Do fidém futurum. Gn. Adcíngar. Ph. Quem ego hic aúdio?
Ó Thraso. Th. Saluéte. Ph. Tu fortásse quae facta híc sient
Néscis. Th. Scio. Ph. Quor érgo in his te cónspicor regiónibus?
Th. Vóbis fretus. Ph. Scín quam fretus? míles, edicó tibi,
Sí te in platea offéndero hac post úmquam, quod dicás mihi
'Álium quaerebam, íter hac habui': périisti. Gn. Heia, haud síc decet.
Ph. Díctumst. Gn. Non cognósco uostrum tám superbum . . Ph. Síc ago.
Gn. Príus audite paúcis: quod quom díxero, si plácuerit,

Fácitote. Ch. Audiámus. Gn. Tu concéde paulum istúc, Thraso.
Príncipio ego uos ámbos credere hóc mihi uementér uelim,
Me húius quidquid fácio id facere máxume causá mea;
Vérum si idem uóbis prodest, uós non facere inscítiast.
Ph. Quíd id est? Gn. Militem égo riualem récipiundum cénseo. Ph. Hem,
Récipiundum? Gn. Cógita modo: tu hércle cum illa, Phaédria,
Vt lubenter uíuis (etenim béne lubenter uíctitas),
Quód des paulumst, ét necessest múltum accipere Tháïdem.
Vt tuo amori súppeditare póssi*n*t sine sumptú tuo
Ómnia haec, magis ópportunus néc magis ex usú tuo
Némost. principio ét habet quod det, ét dat nemo lárgius.
Fátuos est, insúlsus, tardus, stértit noctis ét dies:
Néque istum metuas né amet mulier: fácile pellas úbi uelis.
Ch. Quíd agimus? Gn. Praetérea hoc etiam, quód ego uel primúm puto,
Áccipit homo némo melius prórsus neque prolíxius.
Ch. Mírum ni illoc hómine quoquo pácto opust. Ph. Idem ego árbitror.
Gn. Récte facitis. únum etiam hoc uos óro, ut me in uostrúm gregem
Récipiatis: sátis diu hoc iam sáxum uorso. Ph. Récipimus.
Ch. Ác lubenter. Gn. Át ego pro isto, Phaédria et tu Chaérea,
Húnc comedendum uóbis propino ét deridendúm. Ch. Placet.
Ph. Dígnus est. Gn. Thraso, úbi uis accede. Th. Óbsecro te, quíd agimus?

GN. Quíd? isti te ignorábant: postquam eis móres ostendí tuos
Ét conlaudauí secundum fácta et uirtutés tuas,
Ímpetraui. TH. Béne fecisti: grátiam habeo máxumam.
Númquam etiam fui úsquam, quin me omnés amarent plúrimum.
GN. Díxin ego in hoc ésse uobis Átticam elegántiam?
PH. Níl praeter promíssum est. ite hac. *CANTOR.* Vós ualete et plaúdite!

PHORMIO.

INCIPIT TERENTI PHORMIO
ACTA LVDIS ROMANIS
L·POSTVMIO ALBINO L·CORNELIO MERVLA
AEDILIB· CVRVLIB·
EG*IT* L·AMBIVIVS TVRPIO
[L·HATILIVS PRAENESTINVS]
MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI
TIBIS INPARIB· TOTA
GRAECA APOLLODORV EPIDICAZOMENOS
FACTA IIII·
C·FANNIO M·VALERIO COS·

G. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA.

Chremétis frater áberat peregre Démipho
Relícto Athenis Ántiphone fílio.
Chremés clam habebat Lémni uxorem et fíliam,
Athénis aliam cóniugem et amantem únice
Gnatúm fidicinam. máter e Lemno áduenit
Athénas; moritur; uírgo sola (aberát Chremes)
Funús procurat. íbi eam cum uisam Ántipho
Amáret, opera párasiti uxorem áccipit.
Pater ét Chremes reuérsi fremere. deín minas
Trigínta dant parasíto, ut illam cóniugem
Habéret ipse: argénto hoc emitur fídicina.
Vxórem retinet Ántipho a patruo ádgnitam.

PERSONAE.

[PROLOGVS]
DAVOS SERVOS
GETA SERVOS
ANTIPHO ADVLESCENS
PHAEDRIA ADVLESCENS
DEMIPHO SENEX
PHORMIO PARASITVS
HEGIO }
CRATINVS } *ADVOCATI*
CRITO }
DORIO LENO
CHREMES SENEX
SOPHRONA NVTRIX
NAVSISTRATA MATRONA
CANTOR

PROLOGVS.

Postquám poëta uétus poëtam nón potest
Retráhere a studio et tránsdere hominem in ótium,
Maledíctis deterrére ne scribát parat;
Qui ita díctitat, quas ántehac fecit fábulas,
Tenui ésse oratióne et scripturá leui:
Quia núsquam insanum scrípsit adulescéntulum
Ceruám uidere fúgere et sectarí canes
Et eám plorare, oráre ut subueniát sibi.
Quod si íntellegeret, quóm stetit olím noua,
Actóris opera mágis stetisse quám sua,
Minus múlto audacter, quám nunc laedit, laéderet.
Nunc sí quis est, qui hoc dícat aut sic cógitet:
'Vetus sí poëta nón lacessissét prior,
Nullum ínuenire prólogum possét nouos':
[Quem diceret, nisi haberet cui male diceret:]
Is síbi responsum hoc hábeat, in medio ómnibus
Palmam ésse positam, qui ártem tractant músicam.
Ille ád famem hunc a stúdio studuit réicere:
Hic réspondere uóluit, non lacéssere.
Benedíctis si certásset, audissét bene:
Quod ab íllo adlatumst, [id] síbi esse rellatúm putet.
De illó iam finem fáciam dicundí mihi,
Peccándi quom ipse dé se finem nón facit.
Nunc quíd uelim animum atténdite: adportó nouam
Epídicazomenon quám uocant comoédiam
Graecí, Latini Phórmionem nóminant,
Quia prímas partis quí aget, is erit Phórmio
Parasítus, per quem rés geretur máxume,
Volúntas uostra si ád poëtam accésserit.
Date óperam, adeste aequo ánimo per siléntium,
Ne símili utamur fórtuna, atque usí sumus
Quom pér tumultum nóster grex motús locost:
Quem actóris uirtus nóbis restituít locum
Bonitásque uostra adiútans atque aequánimitas.

ACTVS I.

DAVOS
SERVOS

Amícus summus méus et popularís Geta I, 1
Heri ád me uenit. érat ei de ratiúncula
Iam prídem apud me rélicuom pauxíllulum
Nummórum: id ut confícerem. confeci: ádfero.
Nam erílem filium éius duxisse aúdio
Vxórem: ei credo múnus hoc conráditur.
Quam iníque comparátumst, ei qui mínus habent
Vt sémper aliquid áddant ditióribus!
Quod ille únciatim uíx de demensó suo
Suóm defrudans génium conpersít miser,
Id illa úniuorsum abrípiet, haud exístumans
Quantó labore pártum. porro autém Geta
Feriétur alio múnere, ubi era pépererit;
Porro aútem alio, ubi erit púero natalís dies;
Vbi ínitiabunt. ómne hoc mater aúferet:
Puer caúsa erit mittúndi. sed uideón Getam?

GETA DAVOS
SERVI II

GE. Si quís me quaeret rúfus . . DA. Praestost, désine. GE. Oh, I, 2
At ego óbuiam conábar tibi, Daue. DA. Áccipe, em:
Lectúmst; conueniet númerus quantum débui.
GE. Amó te, et non necléxisse habeo grátiam.
DA. Praesértim ut nunc sunt móres: adeo rés redit:
Si quís quid reddit, mágna habendast grátia.
Sed quíd tu es tristis? GE. Égone? nescis quo ín metu,
Quanto ín periclo símus! DA. Quid istuc ést? GE. Scies,

Modo út tacere póssis. DA. Abi sis, ínsciens:
Quoius tú fidem in pecúnia perspéxeris,
Verére uerba ei crédere? ubi quid míhi lucrist
Te fállere? GE. Ergo auscúlta. DA. Hanc operam tíbi dico.
GE. Senis nóstri, Daue, frátrem maiorém Chremem
Nostín? DA. Quid ni? GE. Quid? éius gnatum Phaédriam?
DA. Tam quám te. GE. Euenit sénibus ambobús simul
Iter ílli in Lemnum ut ésset, nostro in Ciliciam
Ad hóspitem antiquom. ís senem per epístulas
Pelléxit, modo non móntis auri póllicens.
DA. Quoi tánta erat res ét supererat? GE. Désinas:
Sic ést ingenium. DA. Oh, régem me esse opórtuit.
GE. Abeúntes ambo hic túm senes me fíliis
Relínquont quasi magístrum. DA. O Geta, prouínciam
Cepísti duram. GE. Mi úsus uenit, hóc scio:
Meminí relinqui mé deo irató meo.
Coepi áduorsari prímo: quid uerbís opust?
Sení fidelis dúm sum, scapulas pérdidi.
DA. Venére in mentem mi ístaec: namque inscítiast,
Aduórsum stimulum cálces. GE. Coepi eis ómnia
Facere, óbsequi quae uéllent. DA. Scisti utí foro.
GE. Nostér mali nil quícquam primo; hic Phaédria
Contínuo quandam náctus est puéllulam
Citharístriam, hanc amáre coepit pérdite.
Ea séruiebat lénoni inpuríssumo,
Neque quód daretur quícquam; id curaránt patres.
Restábat aliud níl nisi oculos páscere,
Sectári, in ludum dúcere et reddúcere.
Nos ótiosi operám dabamus Phaédriae.
In quo haéc discebat lúdo, exaduorsum ílico
Tonstrína erat quaedam: híc solebamús fere
Plerúmque eam opperíri, dum inde irét domum.
Intérea dum sedémus illi, intéruenit
Aduléscens quidam lácrumans. nos mirárier;

Rogámus quid sit. ‘númquam aeque’ inquit ‘ác modo
Paupértas mihi onus uísumst et miserum ét graue.
Modo quándam uidi uírginem hic uiciniae
Miserám suam matrem lámentari mórtuam.
Ea síta erat exaduórsum, neque illi béniuolus
Neque nótus neque cognátus extra unam ániculam
Quisquam áderat, qui adiutáret funus: míseritumst.
Virgo ípsa facie egrégia.’ quid uerbís opust?
Commórat omnis nós. ibi continuo Ántipho
‘Voltísne eamus uísere?’ alius ‘cénseo:
Eámus: duc nos sódes.’ imus, uénimus,
Vidémus. uirgo púlchra, et quo magis díceres,
Nil áderat adiuménti ad pulchritúdinem:
Capíllus passus, núdus pes, ipsa hórrida,
Lacrumaé, uestitus túrpis: ut, ni uís boni
In ípsa inesset fórma, haec formam extínguerent.
Ille qui íllam amabat fídicinam, tantúm modo
‘Satis’ ínquit ‘scitast’; nóster uero . . Da. Iám scio:
Amáre coepit. Ge. Scín quam? quo euadát uide.
Postrídie ad anum récta pergit: óbsecrat,
Vt síbi eius faciat cópiam. illa enim sé negat
Neque eum aéquom aït facere: íllam ciuem esse Átticam,
Bonám bonis prognátam: si uxorém uelit,
Lege íd licere fácere; sin alitér, negat.
Nostér quid ageret néscire: et illam dúcere
Cupiébat et metuébat absentém patrem.
Da. Non, sí redisset, eí pater ueniám daret?
Ge. Ille índotatam uírginem atque ignóbilem
Daret íllí? numquam fáceret. Da. Quid fit dénique?
Ge. Quid fíat? est parasítus quidam Phórmio,
Homó confidens: qui íllum di omnes pérduint!
Da. Quid is fécit? Ge. Hoc consílium quod dicám dedit:
‘Lex ést ut orbae, quí sint genere próxumi,
Eis núbant, et illos dúcere eadem haec léx iubet.
Ego té cognatum dícam et tibi scribám dicam;

Patérnum amicum me ádsimulabo uírginis:
Ad iúdices ueniémus: qui fuerít pater,
Quae máter, qui cognáta tibi sit, ómnia haec
Confíngam: quod erit míhi bonum atque cómmodum,
Quom tu hórum nil refélles, uincam scílicet.
Pater áderit: mihi parátae lites: quíd mea?
Illá quidem nostra erít.' DA. Iocularem audáciam.
GE. Persuásumst homini: fáctumst: uentumst: uíncimur:
Duxít. DA. Quid narras? GE. Hóc quod audis. DA. Ó Geta,
Quid té futurumst? GE. Néscio hercle; unum hóc scio,
Quod fórs feret, ferémus aequo animó. DA. Placet:
Em, istúc uirist officium. GE. In me omnis spés mihist.
DA. Laudo. GE. Ád precatorem ádeam credo, quí mihi
Sic óret: 'nunc amítte quaeso hunc; céterum
Posthác si quicquam, níl precor.' tantúm modo
Non áddit: 'ubi ego hinc ábiero, uel occídito.'
DA. Quid paédagogus ílle, qui citharístriam?
Quid reí gerit? GE. Sic, ténuiter. DA. Non múltum habet
Quod dét fortasse? GE. Ímmo nil nisi spém meram.
DA. Pater éius rediit án non? GE. Non dum. DA. Quíd? senem
Quoad éxpectatis uóstrum? GE. Non certúm scio,
Sed epístulam ab eo adlátam esse audiuí modo
Et ad pórtitores ésse delatam: hánc petam.
DA. Num quíd, Geta, aliud mé uis? GE. Vt bene sít tibi.
Puer, heús. nemon hoc pródit? cape, da hoc Dórcio.

ACTVS II.

ANTIPHO PHAEDRIA

ADVLESCENTES II

AN. Ádeon rem redísse, ut qui mi cónsultum optumé uelit esse, I, 3
Phaédria, patrem ut éxtimescam, ubi ín mentem eius aduénti ueniat!
Quód ni fuissem incógitans, ita [eum] éxpectarem, ut pár fuit.
PH. Quid istúc est? AN. Rogitas, quí tam audacis fácinoris mihi cónsciu's [sis]?
Quód utinam ne Phórmioni id suádere in mentem íncidisset
Neú me cupidum eo ínpulisset, quód mihi princi-piúmst mali!
Nón potitus éssem: fuisset tum íllos mi aegre aliquód dies,
At nón cottidiána cura haec ángeret animum, PH. Aúdio.
AN. Dum expécto quam mox uéniat qui adimat hánc mihi consuetúdinem.
PH. Aliís quia defit quód amant aegrest; tíbi quia superést dolet:
Amóre abundas, Ántipho.
Nam túa quidem hercle cérto uita haec éxpetenda optándaque est.
Ita mé di bene ament, út mi liceat tám diu quod amó frui,
Iam dépecisci mórte cupio: tú conicito cétera,
Quid ego éx hac inopiá nunc capiam, et quíd tu ex istac cópia;
Vt ne áddam, quod sine súmptu ingenuam, líberalem náctus es,
Quod habés, ita ut uoluísti, uxorem síne mala famá palam:

Beátus, ni unum désit, animus quí modeste istaéc ferat.
Quod sí tibi res sit cum eó lenone quó mihist, tum séntias.
Ita plérique omnes súmus ingenio: nóstri nosmet paénitet.
AN. At tú mihi contra núnc uidere fórtunatus, Phaédria.
Quoi de íntegro est potéstas etiam cónsulendi, quíd uelis:
Retinére amorem an míttere; ego in eum íncidi infelíx locum,
Vt néque mihi eius sit ámittendi néc retinendi cópia.
Sed quíd hoc est? uideon égo Getam curréntem huc adueníre?
Is est ípsus. ei, timeó miser, quam hic míhi nunc nuntiét rem.

GETA ANTIPHO PHAEDRIA
SERVOS ADVLESCENTES II

I, 4 GE. Núllus es, Getá, nisi iam aliquod tíbi consilium célere reperis:
Íta nunc inparátum subito tánta te inpendént mala;
Quae néque uti deuitém scio neque quó modo me inde éxtraham;
Nam nón potest celári nostra díutius iam audácia.
AN. Quid íllic commotús uenit?
GE. Tum témporis mihi púnctum ad hanc rem est: érus adest. AN. Quid illúc malist?
GE. Quód quom audierit, quód eius remedium ínueniam iracúndiae?
Loquárne? incendam; táceam? instigem; púrgem me? laterém lauem.
Heú me miserum! quóm mihi paueo, tum Ántipho me excrúciat animi:
Eíus me miseret, eí nunc timeo, is núnc me retinet; nam ábsque eo esset,

Récte ego mihi uidissem et senis essem últus iracúndiam:
Áliquid conuasássem atque hinc me cónicerem protinam ín pedes.
AN. Quam *nam* híc fugam aut furtúm parat?
GE. Sed ubi Ántiphonem réperiam? aut qua quaérere insistám uia?
PH. Te nóminat. AN. Nescio quod magnum hoc núntio expectó malum. PH. Ah.
[Sanusne es?] GE. Domum íre pergam: ibi plúrimumst. PH. Reuocémus hominem. AN. Sta ílico. GE. Hem,
Sátis pro imperio, quísquis es. AN. Geta. GE. Ípsest quem uolui óbuiam.
AN. Cédo, quid portas, óbsecro? atque id, sí potes, uerbo éxpedi.
GE. Fáciam. AN. Eloquere. GE. Módo apud portum .. AN. Meúmne? GE. Intellexti. AN. Óccidi. PH. Hem.
AN. Quíd agam? PH. Quid aïs? GE. Huíus patrem uidísse me, [et] patruóm tuom.
AN. Nám quod ego huic nunc súbito exitio rémedium inueniám miser?
Quód si eo meae fortúnae redeunt, Phánium, abs te ut dístrahar,
Núllast mihi uita éxpetenda. GE. Ergo ístaec quom ita sint, Ántipho,
Tánto magis te aduígilare aequomst: fórtis fortuna ádiuuat.
AN. Nón sum apud me. GE. Atqui ópus est nunc quom máxume ut sis, Ántipho;
Nám si senserít te timidum páter esse, arbitrábitur
Cómmeruisse cúlpam. PH. Hoc uerumst. AN. Nón possum inmutárier.
GE. Quíd faceres, si aliúd quid grauius tíbi nunc faciundúm foret?
AN. Quom hóc non possum, illúd minus possem. GE. Hoc níl est, Phaedria: ílicet.
Quíd hic conterimus óperam frustra? quín abeo? PH. Et quidem ego? AN. Óbsecro,

Quíd si adsimulo? sátinest? Ge. Garris. An. Vóltum contemplámini: em,
Sátine sic est? Ge. Nón. An. Quid si sic? Ge. Própemodum. An. Quid síc? Ge. Sat est:
Ém, istuc serua; et uérbum uerbo, pár pari ut respóndeas,
Né te iratus suís saeuidicis díctis protelét. An. Scio.
Ge. Ví coactum te ésse inuitum. Ph. Lége, iudició. Ge. Tenes?
Séd quis hic est senéx, quem uideo in última platea? ípsus est.
An. Non póssum adesse. Ge. Ah, quíd agis? quo abis, Ántipho?
Mane ínquam. An. Egomet me nóui et peccatúm meum:
Vobís commendo Phánium et uitám meam. —
Ph. Geta, quíd nunc fiet? Ge. Tú iam litis aúdies;
Ego pléctar pendens, nísi quid me feféllerit.
Sed quód modo hic nos Ántiphonem mónuimus,
Id nósmet ipsos fácere oportet, Phaédria.
Ph. Aufér mi 'oportet': quín tu quid faciam ímpera.
Ge. Memínistin, olim ut fúerit uostra orátio
In re íncipiunda ad défendendam nóxiam,
Iustam íllam causam, fácilem, uincibilem, óptumam?
Ph. Memini. Ge. Ém, nunc ipsast ópus, ea aut, si quíd potest,
Melióre et callidióre. Ph. Fiet sédulo.
Ge. Nunc prior adito tu, égo in insidiis híc ero
Subcénturiatus, sí quid deficiás. Ph. Age.

DEMIPHO PHAEDRIA GETA
SENEX ADVLESCENS SERVOS

II,1 De. Ítane tandem uxórem duxit Ántipho iniussú meo?
Néc meum imperium, ac mítto imperium, nón simultatém meam
Reueréri saltem! nón pudere! o fácinus audax, ó Geta

Monitór! Ge. Vix tandem. De. Quíd mihi dicent aút quam causam réperient?
Demíror. Ge. Atqui réperiam: aliud cúra. De. An hoc dicét mihi:
'Inuítus feci. léx coëgit'? aúdio, fateór. Ge. Places.
De. Verúm scientem, tácitum causam trádere aduorsáriis,
Etiámne id lex coëgit? Ph. Illud dúrum. Ge. Ego expediám: sine.
De. Incértumst quid agam, quía praeter spem atque íncredibile hoc mi óbtigit:
Ita sum ínritatus, ánimum ut nequeam ad cógitandum instítuere.
Quam ob rem ómnis, quom secúndae res sunt máxume, tum máxume
Meditári secum opórtet, quo pacto áduorsam aerumnám ferant:
[Pericla, damna, exilia peregre rediens semper cogitet]
Aut fili peccatum aút uxoris mórtem aut morbum filiae;
Commúnia esse haec, fieri posse, ut né quid animo sít nouom;
Quidquíd praeter spem euéniat, omne id députare esse ín lucro.
Ge. O Phaédria, incredíbile[st] quantum erum ánte eo sapiéntia.
Meditáta mihi sunt ómnia mea incómmoda, erus si rédierit:
Moléndum*st* in pistríno, uapulándum, habendae cómpedes,
Opus rúri faciundum. hórum nil quicquam áccidet animó nouom.
Quidquíd praeter spem euéniet, omne id députabo esse ín lucro.
Séd quid cessas hóminem adire et blánde in principio ádloqui?
De. Phaédriam mei frátris uideo filium mi ire óbuiam.
Ph. Mi pátrue, salue. De. Sálue; sed ubist Ántipho?

Ph. Saluóm uenire . . De. Crédo; hoc respondé mihi.
Ph. Valet, híc est; sed satin ómnia ex senténtia?
De. Vellém quidem. Ph. Quid istúc est? De. Rogitas, Phaédria?
Bonás me absente hic cónfecistis núptias.
Ph. Eho, an íd suscenses núnc illi? Ge. Artificém probum!
De. Egon ílli non suscénseam? ipsum géstio
Dari mi ín conspectum, núnc sua culpa út sciat
Leném patrem illum fáctum me esse acérrumum.
Ph. Atquí nihil fecit, pátrue, quod suscénseas.
De. Ecce aútem similia ómnia! omnes cóngruont:
Vnúm quom noris, ómnis noris. Ph. Haúd itast.
De. Hic in nóxiast, ille ád d*ic*endam caúsam adest;
Quom illést, hic praestost: trádunt operas mútuas.
Ge. Probe hórum facta inprúdens depinxít senex.
De. Nam ni haéc ita essent, cum íllo haud stares, Phaédria.
Ph. Si est, pátrue, culpam ut Ántipho in se admíserit,
Ex quá re minus rei fóret aut famae témperans,
Non caúsam dico quín quod meritus sít ferat.
Sed sí quis forte málitia fretús sua
Insídias nostrae fécit adulescéntiae
Ac uícit, nostran cúlpa east an iúdicum,
Qui saépe propter ínuidiam adimunt díuiti
Aut própter misericórdiam addunt paúperi?
Ge. Ni nóssem causam, créderem uera húnc loqui.
De. An quísquam iudex ést, qui possit nóscere
Tua iústa, ubi tute uérbum non respóndeas,
Ita ut ílle fecit? Ph. Fúnctus adulescéntulist
Offícium liberális: postquam ad iúdices
Ventúmst, non potuit cógitata próloqui;
Ita eúm tum timidum i*llic* obstupefecít pudor.
Ge. Laudo húnc. sed cesso adíre quam primúm senem?
Ere, sálue: saluom te áduenisse gaúdeo. De. Oh,
Bone cústos, salue, cólumen uero fámiliae,
Quoi cómmendaui fílium hinc abiéns meum.
Ge. Iam dúdum te omnis nós accusare aúdio

Inmérito, et me horunc ómnium inmeritissumo.
Nam quíd me in hac re fácere uoluistí tibi?
Seruom hóminem causam oráre leges nón sinunt,
Neque téstimoni díctiost. De. Mitto ómnia.
Do istúc 'inprudens tímuit adulescéns'; sino
'Tu séruo's'; uerum sí cognatast máxume,
Non fuít necesse habére; sed id quod léx iubet,
Dotém daretis, quaéreret aliúm uirum.
Qua rátione inopem pótius ducebát domum?
Ge. Non rátio, uerum argéntum deerat. De. Súmeret
Alicúnde. Ge. Alicunde? níl est dictu fácilius.
De. Postrémo si nullo álio pacto, faénore. Ge. Hui,
Dixísti pulchre! síquidem quisquam créderet
Te uíuo. De. Non, non síc futurumst: nón potest.
Egon íllam cum illo ut pátiar nuptam unúm diem?
Nil suáue meritumst. hóminem conmonstrárier
Mi istúm uolo, aut ubi hábitet demonstrárier.
Ge. Nempe Phórmionem? De. Istúm patronum múlieris.
Ge. Iam fáxo hic aderit. De. Ántipho ubi nunc ést? Ge. Foris.
De. Abi, Phaédria, eum requíre atque huc addúce. Ph. Eo:
Rectá uia quidem ílluc. Ge. Nempe ad Pámphilam.
De. Ego deós penatis hínc salutatúm domum
Deuórtar; inde ibo ád forum atque aliquód mihi
Amícos aduocábo, ad hanc rem qui ádsient,
Vt ne ínparatus sím, si ueniat Phórmio.

ACTVS III.

PHORMIO PARASITVS — GETA SERVOS

Ph. Ítane patris aïs aduentum uéritum hinc abiisse? Ge. Ádmodum. II, 2
Ph. Phánium relíctam solam? Ge. Síc. Ph. Et iratúm senem?

GE. Óppido. PH. Ad te súmma solum, Phórmio, rerúm redit:
Túte hoc intristí: tibi omnest éxedendum: accíngere.
GE. Óbsecro te. PH. Sí rogabit . . GE. Ín te spes est. PH. Eccere,
Quíd si reddet? GE. Tu ínpulisti. PH. Síc, opinor. GE. Súbueni.
PH. Cédo senem: iam instrúcta sunt mi in córde consilia ómnia.
GE. Quíd ages? PH. Quid uis, nísi uti maneat Phánium atque ex crímine hoc
Ántiphonem erípiam atque in me omnem íram deriuém senis?
GE. Ó, uir fortis átque amicu's. uérum hoc saepe, Phórmio,
Véreor, ne istaec fórtitudo in néruom erumpat dénique. PH. Ah,
Nón itast: factúmst periclum, iám pedum uisást uia.
Quód me censes hómines iam deuérberasse usque ád necem?
[Hospites, tum ciuis? quo magis noui, tanto saepius.]
Cédo dum, enumquam iniúriarum audísti mihi scriptám dicam?
GE. Quí istuc? PH. Quia non réte accipitri ténnitur neque míluo,
Quí male faciunt nóbis: illis quí nihil faciunt ténnitur,
Quía enim in illis frúctus est, in íllis opera lúditur.
Áliis aliunde ést periclum, unde áliquid abradí potest:
Míhi sciunt nil ésse. dices 'dúcent damnatúm domum':
Álere nolunt hóminem edacem, et sápiunt mea senténtia,
Pró maleficio sí beneficium súmmum nolunt réddere.

Ge. Nón pot*e* satis pro mérito ab illo tíbi referri grátia.
Ph. Ímmo enim nemo sátis pro merito grátiam regí refert.
Téne asymbolúm uenire unctum átque lautum e bálineis,
Ótiosum ab ánimo, quom ille et cúra et sumptu absúmitur!
Dúm tibi fit quod pláceat, ille ríngitur: tu rídeas,
Príor bibas, priór decumbas; céna dubia adpónitur.
Ge. Quíd istuc uerbist? Ph. Ýbi tu dubites quíd sumas potíssumum.
Haéc quom rationem íneas quam sint suáuia et quam cára sint,
Éa qui praebet, nón tu hunc habeas pláne praesentém deum?
Ge. Sénex adest: uide quíd agas: prima cóitiost acérruma.
Si eám sustinuerís, postilla iam, út lubet, ludás licet.

Demipho Hegio Cratinvs Crito Phormio Geta
senex advocati iii parasitvs servos

De. Enúmquam quoiquam cóntumeliósius II, 3
Audístis factam iniúriam, quam haec ést mihi?
Adéste quaeso. Ge. Irátus est. Ph. Quin tu hóc age:
Iam ego húnc agitabo. pró deum inmortálium,
Negat Phánium esse hanc síbi cognatam Démipho?
Hanc Démipho negat ésse cognatám? Ge. Negat.
Ph. Neque eíus patrem se scíre qui fuerít? Ge. Negat.
De. Ipsum ésse opinor dé quo agebam: séquimini.
[Ph. Nec Stilphonem ipsum scire qui fuerit? Ge. Negat.]
Ph. Quia egéns relictast mísera, ignoratúr parens,
Neclégitur ipsa: uíde auaritia quíd facit.
Ge. Si erum ínsimulabis málitiae, male aúdies.
De. O audáciam! etiam me últro accusatum áduenit.

Ph. Nam iam ádulescenti níhil est quod suscénseam,
Si illúm minus norat; quíppe homo iam grándior,
Paupér, quoi in opere uíta erat, rurí fere
Se cóntinebat; íbi agrum de nostró patre
Coléndum habebat. saépe interea míhi senex
Narrábat se hunc neclégere cognatúm suom:
At quém uirum! quem ego uíderim in uita óptumum.
Ge. Videás te, atque illum [ut] nárras! Ph. I in malám crucem!
Nam ni éum esse existumássem, numquam tám grauis
Ob hanc ínimicitias cáperem in uostram fámiliam,
Quam is áspernatur núnc tam inliberáliter.
Ge. Pergín ero absenti mále loqui, inpuríssume?
Ph. Dignum aútem hoc illost. Ge. Aín ta*men*, carcér? De. Geta.
Ge. Bonórum extortor, légum contortór! De. Geta.
Ph. Respónde. Ge. Quis homost? éhem. De. Tace. Ge. Absentí tibi
Te indígnas seque dígnas contumélias
Numquám cessauit dícere hodie. De. Désine.
Adeuléscens, primum abs te hóc bona ueniá peto,
Si tíbi placere pótis est, mi ut respóndeas:
Quem amícum tuom aïs fuísse istum, explaná mihi,
Et quí cognatum mé sibi esse díceret.
Ph. Proinde éxpiscare quási non nosses. De. Nóssem? Ph. Ita.
De. Ego mé nego: tu quí aïs redige in mémoriam.
Ph. Eho tú, sobrinum tuóm non noras? De. Énicas.
Dic nómen. Ph. Nomen? máxume. De. Quid núnc taces?
Ph. Perii hércle, nomen pérdidi. De. [Hem] Quid aïs? Ph. Geta,
Si méministi id quod ólim dictumst, súbice. hem,
Non díco: quasi non nósses, temptatum áduenis.
De. Ego aútem tempto? Ge. Stíl*po*. Ph. Atque adeo quíd mea?

Stil*p*óst. De. Quem dixti? Ph. Stil*p*onem inquam nóueras.
De. Neque égo illum noram néque mi cognatús fuit
Quisquam ístoc nomine. Ph. Ítane? non te horúm pudet?
At sí talentum rém reliquissét decem,
De. Di tíbi malefaciant! Ph. prímus esses mémoriter
Progéniem uostram usque áb auo atque atauo próferens.
De. Ita ut dícis. ego tum quom áduenissem, quí mihi
Cognáta ea esset, dícerem: itidem tú face.
Cedo qui ést cognata? Ge. Eu, nóster, recte. heus tú, caue.
Ph. Dilúcide expedíui quibus me opórtuit
Iudícibus: tum id si fálsum fuerat, fílius
Quor nón refellit? De. Fílium narrás mihi?
Quoius dé stultitia díci ut dignumst nón potest.
Ph. At tú qui sapiens és magistratús adi,
Iudícium de eadem caúsa iterum ut reddánt tibi,
Quandóquidem solus régnas et solí licet
Hic de eádem causa bís iudicium *a*píscier.
De. Etsí mihi facta iniúriast, uerúm tamen
Potiús quam litis sécter aut quam te aúdiam,
Itidem út cognata sí sit, id quod léx iubet
Dotís dare, abduc hánc, minas quinque áccipe.
Ph. Hahahaé, homo suauis. De. Quíd est? num iniquom póstulo?
An ne hóc quidem ego adipíscar, quod ius públicumst?
Ph. Itan tándem, quaeso, item út meretricem ubi abúsus sis,
Mercédem dare lex iúbet eï atque amíttere?
An, ut né quid turpe cíuis in se admítteret
Proptér egestatem, próxumo iussást dari,
Vt cum úno aetatem dégeret? quod tú uetas.
De. Ita, próxumo quidem; át nos unde? aut quam ób rem? Ph. Ohe,
'Actum' áiunt 'ne agas.' De. Nón agam? immo haud désinam,

Donéc perfecero hóc. Ph. Ineptis. De. Síne modo.
Ph. Postrémo tecum níl rei nobis, Démipho, est:
Tuos ést damnatus gnátus, non tu; nám tua
Praetérierat iam ad dúcendum aetas. De. Ómnia haec
Illúm putato, quae égo nunc dico, dícere;
Aut quídem cum uxore hac ípsum prohibebó domo.
Ge. Irátus est. Ph. Tu té idem melius féceris.
De. Itan és paratus fácere me aduorsum ómnia,
Infélix? Ph. Metuit híc nos, tam etsi sédulo
Dissímulat. Ge. Bene habent tíbi principia. Ph. Quín quod est
Ferúndum fers? tuis dígnum factis féceris,
Vt amíci inter nos símus. De. Egon tuam éxpetam
Amícitiam? aut te uísum aut auditúm uelim?
Ph. Si cóncordabis cum ílla, habebis quaé tuam
Senectútem oblectet: réspice aetatém tuam.
De. Te obléctet, tibi habe. Ph. Mínue uero iram. De. Hóc age:
Satis iám uerborumst: nísi tu properas múlierem
Abdúcere, ego illam eïciam. dixi, Phórmio.
Ph. Si tu íllam attigeris sécus quam dignumst líberam,
Dicám tibi inpingam grándem. dixi, Démipho.
Si quíd opus fuerit, heús, domo me. Ge. Intéllego.

Demipho Geta Hegio Cratinvs Crito
SENEX SERVOS ADVOCATI III

II,4 De. Quantá me cura et sóllicitudine ádficit
Gnatús, qui me et se hisce ínpediuit núptiis!
Neque mi ín conspectum pródit, ut saltém sciam,
Quid de eá re dicat quídue sit senténtiae.
Abi, uíse redieritne iam an non dúm domum.
Ge. Eó. — De. Videtis quo ín loco res haéc siet:
Quid ágo? dic, Hegio. He. Égo? Cratinum cénseo,
Si tíbi uidetur. De. Díc, Cratine. Cra. Méne uis?

De. Te. Cra. Ego quae ín rem tuam sint éa uelim faciás. mihi
Sic hóc uidetur: quód te absente hic filius
Egít, restitui in íntegrum aequomst ét bonum,
Et id ímpetrabis. díxi. De. Dic nunc, Hégio.
He. Ego sédulo hunc dixísse credo; uérum itast,
Quod hómines tot senténtiae: suos quoíque mos.
Mihi nón uidetur quód sit factum légibus,
Rescíndi posse; et túrpe inceptust. De. Díc, Crito.
Cri. Ego ámplius delíberandum cénseo:
Res mágnast. He. Num quid nós uis? De. Fecistís probe:
Incértior sum múlto quam dudúm. — Ge. Negant
Redísse. De. Frater ést expectandús mihi:
Is quód mihi dederit de hác re consilium, íd sequar.
Percóntatum ibo ad pórtum, quoad se récipiat.
Ge. At ego Ántiphonem quaéram, ut quae acta hic sínt sciat.
Sed eccum ípsum uideo in témpore huc se récipere.

Antipho Geta
adulescens servos

An. Énim uero, Antiphó, multimodis cum ístoc animo es uítuperandus:
Ítane te hinc abísse et uitam tuám tutandam aliís dedisse!
Álios tuam rem crédidisti mágis quam tete animum áduorsuros?
Nam út ut erant alia, ílli certe quaé nunc tibi domíst consuleres,
Né quid propter tuám fidem decépta poteretúr mali;
Quoí nunc miserae spés opesque súnt in te uno omnés sitae.
Ge. Et quídem, ere, nos iam dúdum hic te absentem íncusamus, qui ábieris.
An. Te ipsúm quaerebam. Ge. Séd ea causa níhilo magis defécimus.

An. Loquere óbsecro, quo nam ín loco sunt rés et fortunaé meae?
Num quíd patri subolét? Ge. Nil etiam. An. Ecquíd spei porrost? Ge. Néscio. An. Ah.
Ge. Nisi Phaédria haud cessáuit pro te eníti. An. Nil fecít noui.
Ge. Tum Phórmio itidem in hác re ut [in] aliis strénuom hominem praébuit.
An. Quid is fécit? Ge. Confutáuit uerbis ádmodum iratúm senem.
An. Eu, Phórmio. Ge. Ego quod pótui porro. An. Mí Geta, omnis uós amo.
Ge. Síc habent princípia sese ut díxi: adhuc tranquílla res est,
Mánsurusque pátruom pater est, dum húc adueniat. An. Quíd eum? Ge. Vt aibat
De eíus consilio sése uelle fácere quod ad hanc rem áttinet.
An. Quántum metu*i*st míhi, uidere huc sáluom nunc patruóm, Geta!
Nam pér eius unam, ut aúdio, aut uiuam aút moriar senténtiam.
Ge. Phaédria tibi adést. An. Vbi nam? Ge. Eccum ab suá palaestra exít foras.

Phaedria Dorio Antipho Geta
ADVLESCENS LENO ADVLESCENS SERVOS

III, 2 Ph. Dório,
Audi óbsecro. Do. Non aúdio. Ph. Parúmper. Do. Quin omítte me.
Ph. Aúdi quod dicam. Do. Át enim taedet iam aúdire eadem míliens.
Ph. Át nunc dicam quód lubenter aúdias. Do. Loquere, aúdio.
Ph. Nón queo te exoráre ut maneas tríduom hoc? quo núnc abis?
Do. Mirábar si tu míhi quicquam adferrés noui. An. Ei,

Metuó lenonem né quid . . *Ge.* Suo suát capiti? idem ego uéreor.
Ph. Non dúm mihi credis? Do. Háriolare. Ph. Sín fidem do? Do. Fábulae.
Ph. Faéneratum istúc beneficium púlchre tibi dicés. Do. Logi.
Ph. Créde mihi, gaudébis facto: uérum hercle hoc est. Do. Sómnia.
Ph. Experire: nón est longum. Do. Cántilenam eandém canis.
Ph. Tu míhi cognatus, tú parens, tu amícus, tu . . Do. Garrí modo.
Ph. Ádeon ingenio ésse duro te átque inexorábili,
Vt neque misericórdia neque précibus molliri queas!
Do. Ádeon te esse incógitantem atque ínpudentem, Phaédria,
Vt phaleratis dúcas dictis me ét meam ductes grátiis!
An. Míseritumst. Ph. Ei, uérbis uincor! Ge. Quám uterque est similís sui!
Ph. *At*que Ántipho alia quom óccupatus ésset sollicitúdine,
Tum hoc ésse mi obiectúm malum! An. Quid istúc est autem, Phaédria?
Ph. Ó fortunatíssume Antipho. An. Egone? Ph. Quoi quod amás domist,
Néque cum huius modi umquam úsus uenit út conflictarés malo.
An. Míhin domist? immo, íd quod aiunt, aúribus teneó lupum:
[Nam neque quo pacto a me amittam neque uti retineam scio.]
Do. Ípsum istuc mi in hóc est. An. Heia, né parum lenó sies.
Núm quid hic confécit? Ph. Hicine? quód homo inhumaníssumus:
Pámphilam meam uéndidit. An. Quid? uéndidit? Ge. Ain? uéndidit?

Ph. Véndidit. Do. Quam indígnum facinus, áncillam aere emptám meo!
Ph. Néqueo exorare út me maneat ét cum illo ut mutét fidem
Tríduom hoc, dum id quód est promissum ab amícis argentum aúfero.
Sí non tum dedero, únam praeterea hóram ne oppertús sies.
Do. Óbtundes? An. Haud lóngumst id quod órat: exorét sine.
Ídem hic tibi, quod bóni promeritus fúeris, conduplicáuerit.
Do. Vérba istaec sunt. An. Pámphilamne hac úrbe priuarí sines?
Túm praeterea horúnc amorem dístrahi poterín pati?
Do. Néque ego neque tu. Ge. Dí tibi omnes íd quod es dignús duint!
Do. Égo te complurís aduorsum ingénium meum mensís tuli,
Póllicitantem et níl ferentem, fléntem; nunc contra ómnia haec:
Répperi qui dét neque lacrumet: dá locum melióribus.
An. Cérte hercle, ego si sátis commemini, tíbi quidemst olím dies,
Quam ád dares huic, praéstituta. Ph. Fáctum. Do. Num ego istúc nego?
An. Iam éa praeteriit? Do. Nón, uerum haec eï ántecessit. An. Nón pudet
Vánitatis? Do. Mínume, dum ob rem. Ge. Stérculinum. Ph. Dório,
Ítane tandem fácere oportet? Do. Síc sum: si placeo, útere.
An. Síc hunc decipís? Do. Immo enim uero, Ántipho, hic me décipit:
Nam híc me huius modi scíbat esse, ego húnc esse aliter crédidi;
Íste me feféllit, ego isti nílo sum aliter ác fui.
Séd ut ut haec sunt, támen hoc faciam: crás mane argentúm mihi

Míles dare se díxit: si mihi príor tu attuleris, Phaédria,
Meá lege utar, út potior sit, quí prior ad dandúmst. uale.

III, 3

Phaedria **Antipho** **Geta**
ADVLESCENTES II SERVOS

Ph. Quíd faciam? unde ego núnc tum subito huic árgentum inueniám miser,
Quoí minus níhilost? quód, hic si pote fuísset exorárier
Tríduom hoc, promíssum fuerat. An. Ítane hunc patiemúr, Geta,
Fíeri miserum, quí me dudum, ut díxti, adiuerit cómiter?
Quín quom opust, beneficium rursum eï éxperiemur réddere?
Ge. Scío equidem hoc esse aéquom. An. Age ergo, sólus seruare húnc potes.
Ge. Quíd faciam? An. Inueniás argentum. Ge. Cúpio; sed id unde, édoce.
An. Páter adest hic. Ge. Scío; sed quid tum? An. Ah, díctum sapientí sat est.
Ge. Ítane? An. Ita. Ge. Sane hércle pulchre suádes: etiam tu hínc abis?
Nón triumpho, ex núptiis tuis sí nil nanciscór mali,
Ni étiam nunc me huius caúsa quaerere ín malo iubeás crucem?
An. Vérum hic dicit. Ph. Quíd? ego uobis, Géta, alienus sum? Ge. Haúd puto;
Séd parumne est, quod ómnibus nunc nóbis suscensét senex,
Ni ínstigemus étiam, ut nullus lócus relinquatúr preci?
Ph. Álius ab oculís meis illam in ígnotum abducét locum? hem:
Tum ígitur, dum licét dumque adsum, lóquimini mecum, Ántipho,

Cóntemplamini me. AN. Quam ob rem? aut quíd nam facturú's? cedo.
PH. Quóquo hinc asportábitur terrárum, certumst pérsequi
Aút perire. GE. Dí bene uortant quód agas! pedetemptím tamen.
AN. Víde si quid opis pótes adferre huic. GE. 'Sí quid'? quid? AN. Quaere óbsecro.
Né quid plus minúsue faxit, quód nos post pigeát, Geta.
GE. Quaéro: saluos ést, ut opinor; uérum enim metuó malum.
AN. Nóli metuere: úna tecum bóna mala tolerábimus.
GE. Quántum opus est tibi argénti, loquere. PH. Sólae trigintá minae.
GE. Tríginta? hui, percárast, Phaedria. PH. Ístaec uero uílis est.
GE. Áge age, inuentas réddam. PH. O lepidum! GE. Aufér te hinc. PH. Iam opust. GE. Iám feres:
Séd opus est mihi Phórmionem ad hánc rem adiutorém dari.
AN. Praéstost: audacissume oneris quíduis inpone, écferet;
Sólus est homo amíco amicus. GE. Eámus ergo ad eum ócius.
AN. Núm quid est quod operá mea uobis ópus sit? GE. Nil; uerum ábi domum
Ét illam miseram, quam égo nunc intus scío esse exanimatám metu,
Cónsolare. céssas? AN. Nihil est aéque quod faciám lubens.
PH. Quá uia istuc fácies? GE. Dicam in ítinere: hinc modo te ámoue.

ACTVS IV.

DEMIPHO CHREMES
SENES II

DE. Quid? quá profectus caúsa hinc es Lemnúm, Chremes,
Addúxtin tecum filiam? CH. Non. DE. Quíd ita non?
CH. Postquám uidet me eius máter esse hic diutius,
Simul aútem non manébat aetas uírginis
Meam néclegentiam: ípsam cum omni fámilia
Ad mé profectam esse aíbant. DE. Quid illi tám diu
Quaeso ígitur commorábare, ubi id audíeras?
CH. Pol mé detinuit mórbus. DE. Vnde? aut quí? CH. Rogas?
Senéctus ipsast mórbus. sed uenísse eas
Saluás audiui ex naúta qui illas uéxerat.
DE. Quid gnáto obtigerit me ábsente, audistí, Chremes?
CH. Quod quídem me factum cónsili incertúm facit.
Nam hanc cóndicionem sí quoi tulero extrário,
Quo pácto aut unde míhi sit dicundum órdine est.
Te míhi fidelem esse aéque atque egomet súm mihi
Scibam. ílle si me aliénus adfiném uolet,
Tacébit, dum intercédet familiáritas;
Sin spréuerit me, plús quam opus est scitó sciet.
Vereórque ne uxor áliqua hoc resciscát mea:
Quod sí fit, ut me excútiam atque egrediár domo,
Id réstat; nam ego meórum solus súm meus.
DE. Scio ita ésse, et istaec míhi res sollicitúdinist,
Neque défetiscar úsque adeo experírier,
Donéc tibi id quod póllicitus sum effécero.

GETA DEMIPHO CHREMES
SERVOS SENES II

IV,2 Ego hóminem callidiórem uidi néminem
Quam Phórmionem. uénio ad hominem, ut dícerem
Argéntum opus esse et íd quo pacto fieret.
Vix dúm dimidium díxeram, intelléxerat:
Gaudébat, me laudábat, quaerebát senem.
Dis grátias agébat, tempus síbi dari,
Vbi Phaédriae *es*se osténderet niló minus
Amícum *se*se quam Ántiphoni. hominem ád forum
Iussi ópperiri: eo me ésse adducturúm senem.
Sed eccum ípsum. quis est ultérior? attat, Phaédriae
Pater uénit. sed quid pértimui autem bélua?
An quía quos fallam pro úno duo sunt mí dati?
Commódius esse opínor duplici spe útier.
Petam hínc unde a primo ínstit*i*: is si dát, sat est;
Si ab eó nil fiet, tum húnc adoriar hóspitem.

ANTIPHO GETA CHREMES DEMIPHO
ADVLESCENS SERVOS SENES II

IV,3 AN. Expécto quam mox récipiat sesé Geta.
Sed pátruom uideo cúm patre astantem. eí mihi,
Quam tímeo, aduentus húius quo inpellát patrem!
GE. Adíbo [hosce]: o salue, nóster Chremes. CH. Salué, Geta.
GE. Veníre saluom uólup est. CH. Credo. GE. Quíd agitur?
Multa áduenienti, ut fít, noua hic? CH. Complúria.
GE. Ita. de Ántiphone audístin quae facta? CH. Ómnia.
GE. Tun díxeras huic? fácinus indignúm, Chremes,
Sic círcumiri! CH. Id cum hóc agebam cómmodum.
GE. Nam hercle égo quoque id quidem ágitans mecum sédulo
Inuéni, opinor, rémedium huic rei. CH. Quíd, Geta?
DE. Quod rémedium? GE. Vt abii ábs te, fit forte óbuiam

Mihi Phórmio. Ch. Qui Phórmio? De. Is qui istánc. Ch. Scio.
Ge. Visúmst mi, ut eius témptarem senténtiam.
Prendo hóminem solum: 'quór non' inquam, 'Phórmio,
Vidés, inter nos síc haec potius cúm bona
Vt cómponamus grátia quam cúm mala?
Erus líberalis ést et fugitans lítium;
Nam céteri quidem hércle amici omnés modo
Vno óre auctores fuére, ut praecipitem hánc daret.'
An. Quid hic coéptat aut quo euádet hodie? Ge. 'An légibus
Datúrum poenas díces, si illam eiécerit?
Iam id éxploratumst: heía, sudabís satis,
Si cum íllo inceptas hómine: ea eloquéntiast.
Verúm pono esse uíctum eum; at tandém tamen
Non cápitis ei res ágitur, sed pecúniae.'
Postquam hóminem his uerbis séntio mollírier,
'Solí sumus nunc hic' ínquam: 'eho, dic quid uís dari
Tibi ín manum, ut erus hís desistat lítibus,
Haec hínc facessat, tú molestus né sies?'
An. Satin ílli di sunt própitii? Ge. 'Nam sát scio,
Si tu áliquam partem aequí bonique díxeris,
Vt est ílle bonus uir, tría non commutábitis
Verba hódie inter uos.' De. Quís te istaec iussít loqui?
Ch. Immó non potuit mélius peruenírier
Eo quó nos uolumus. An. Óccidi! De. Perge éloqui.
Ge. A prímo homo insaníbat. Ch. Cedo quid póstulat?
Ge. Quid? nímium quantum. Ch. *Quántum?* dic. Ge. Si quís daret
Taléntum magnum. De. Immó malum hercle: ut níl pudet!
Ge. Quod díxi adeo eï: 'quaéso, quid si fíliam
Suam únicam locáret? parui ré tulit
Non súscepisse: inuéntast quae dotém petat.'
Vt ad paúca redeam ac míttam illius inéptias,

Haec dénique eius fuít postrema orátio:
'Ego' ínquit 'a princípio amici filiam,
Ita ut aéquom fuerat, uólui uxorem dúcere;
Nam míhi uenibat ín mentem eius incómmodum,
In séruitutem paúperem ad ditém dari.
Sed mi ópus erat, ut apérte tibi nunc fábuler,
Aliquántulum quae adférret, qui dissóluerem
Quae débeo: et etiám nunc, si uolt Démipho
Dare quántum ab hac accípio, quae sponsást mihi,
Nullám mihi malim quam ístanc uxorém dari.'
AN. Vtrúm stultitia fácere ego hunc an málitia
Dicám, scientem an ínprudentem, incértus sum.
DE. Quid si ánimam debet? GE. 'Áger oppositus pígnori
Ob décem minas est.' DE. Áge age, iam ducát: dabo.
GE. 'Aedículae item sunt ób decem alias.' DE. Oíeï,
Nimiúmst. CH. Ne clama: *ré*petito hasce a mé decem.
GE. 'Vxóri emunda ancíllulast; tum plúscula
Supelléctile opus est; ópus est sumptu ad núptias:
His rébus *porro* sáne pone' inquít 'decem [minas].'
DE. Sescéntas proinde scríbito iam míhi dicas:
Nil do. ínpuratus me ílle ut etiam inrídeat?
CH. Quaeso, égo dabo, quiésce: tu modo filium
Fac ut íllam ducat, nós quam uolumus. AN. Eí mihi!
Geta, óccidisti mé tuis falláciis.
CH. Mea caúsa eïcitur: mé hoc est aequom amíttere.
GE. 'Quantúm potest me cértiorem' inquít 'face,
Si illám dant, hanc ut míttam, ne incertús siem;
Nam illí mihi dotem iám constituerúnt dare.'
CH. Iam accípiat: illis répudium renúntiet;
Hanc dúcat. DE. Quae quidem ílli res uortát male!
CH. Oppórtune adeo argéntum nunc mecum áttuli,
Fructúm quem Lemni uxóris reddunt praédia:
Inde súmam; uxori tíbi opus esse díxero.

ANTIPHO GETA
ADVLESCENS SERVOS

AN. Geta. GE. Hém. AN. Quid egisti? GE. Émunxi argentó senes. IV, 4
AN. Satin ést id? GE. Nescio hércle: tantum iússus sum.
AN. Eho, uérbero, aliud míhi respondes ác rogo?
GE. Quid érgo narras? AN. Quíd ego narrem? operá tua
Ad réstim mihi quidém res redit planíssume.
Vt té quidem omnes dí deae, superi ínferi
Malís exemplis pérdant! em, si quíd uelis,
Huic mándes, qui te ad scópulum e tranquillo aúferat.
Quid mínus utibile fuít quam hoc ulcus tángere
Aut nóminare uxórem? iniectast spés patri
Posse íllam extrudi. cédo nunc porro: Phórmio
Dotém si accipiet, úxor ducendást domum:
Quid fiet? GE. Non enim dúcet. AN. Noui. céterum
Quom argéntum repetent, nóstra causa scílicet
In néruom potius íbit. GE. Nil est, Ántipho,
Quin mále narrando póssit deprauárier:
Tu id quód bonist excérpis, dicis quód malist.
Audí nunc contra: iám si argentum accéperit,
Ducéndast uxor, út aïs, concedó tibi:
Spatiúm quidem tandem ádparandi núptias,
Vocándi, sacruficándi dabitur paúlulum.
Intérea amici quód polliciti súnt dabunt:
Inde íste reddet. AN. Quam ób rem? aut quid dicét? GE. Rogas?
'Quod rés postilla mónstra euenerúnt mihi!
Intro íit in aedis áter alienús canis;
Anguís per inpluuium décidit de tégulis;
Gallína cecinit; ínterdixit háriolus:
Harúspex uetuit; ánte brumam autém noui
Negóti incipere * * * * *
* * * ': quaé causast iustíssuma.

Haec fient. AN. Vt modo fiant! GE. Fient: mé uide.
Pater éxit: abi, dic ésse argentum Phaédriae.

DEMIPHO CHREMES GETA
SENES II SERVOS

IV,5 DE. Quiétus esto, inquam: égo curabo né quid uerborúm duit.
Hoc témere numquam amíttam ego a me, quín mihi testis ádhibeam:
Quoi dem ét quam ob rem dem, cómmemorabo. GE. Vt caútus est, ubi níl opust.
CH. Atque íta opus factost: ét matura, dúm lubido eadem haéc manet;
Nam si áltera illaec mágis instabit, fórsitan nos réiciat.
GE. Rem ipsám putasti. DE. Dúc me ad eum ergo. GE. Nón moror. CH. Vbi hoc égeris,
Transíto ad uxorém meam, ut conuéniat hanc prius quam hínc abit.
Dicát eam dare nos Phórmioni núptum, ne suscénseat;
Et mágis esse illum idóneum, qui ipsí sit familiárior;
Nos nóstro officio nón digressos ésse: quantum is uóluerit,
Datum ésse dotis. DE. Quíd tua malum id ré fert? CH. Magni, Démipho.
Non sátis est tuom te officium fecisse, íd si non fama ádprobat:
Volo ipsíus quoque uoluntáte haec fieri, né se eiectam praédicet.
DE. Idem égo istuc facere póssum. CH. Mulier múlieri magis cónuenit.
DE. Rogábo. CH. Vbi illas núnc ego reperíre possim, cógito.

SOPHRONA CHREMES
NVTRIX SENEX

So. Quíd agam? quem mi amícum inueniam misera? aut quo consília haec referam? V,1
Aút unde auxiliúm petam?
Nám uereor, era ne ób meum suasum indígna iniuria ádficiatur:
Íta patrem adulescéntis facta haec tólerare audió uiolenter.
Ch. Nám quae haec anus est, éxanimata a frátre quae egressást meo?
So. Quod ut fácerem egestas me ínpulit, quom scírem infirmas núptias
Hasce ésse, ut id consúlerem, interea uíta ut in tutó foret.
Ch. Cérte edepol, nisi me ánimus fallit aút parum prospíciunt oculi,
Meaé nutricem gnátae uideo. So. Néque ille inuestigátur, Ch. Quid ago?
So. Qui ést eius pater. Ch. Ádeo, maneo, dum haéc quae loquitur mágis cognosco?
So. Quód si eum nunc reperíre possim, níhil est quod uereár. Ch. East ipsa:
Cónloquar. So. Quis hic lóquitur? Ch. Sophrona. So. Ét meum nomen nóminat?
Ch. Réspice ad me. So. Di óbsecro uos, éstne hic Stil*po*? Ch. Nón. So. Negas?
Ch. Cóncede hinc a fóribus paulum istórsum sodes, Sóphrona.
Ne me ístoc posthac nómine appellássis. So. Quid? non óbsecro es
Quem sémper te esse díctitasti? Ch. St′. So. Quid has metuís fores?
Ch. Conclúsam hic habeo uxórem saeuam. uérum istoc me nómine
Eo pérperam olim díxi, ne uos fórte inprudentés foris
Effúttiretis átque id porro aliqua úxor mea rescísceret.

So. Istóc pol nos te hic ínuenire míserae numquam pótuimus.
Ch. Eho díc mihi, quid reí tibist cum fámilia hac unde éxis?
Vbi illaé sunt? So. Miseram me. Ch. Hém, quid est? uiuóntne? So. Viuit gnáta.
Matrem ípsam ex aegritúdine hac miserám mors consecútast.
Ch. Male fáctum. So. Ego autem, quae éssem anus desérta egens ignóta,
Vt pótui nuptum uírginem locáui huic adulescénti,
Harúm qui est dominus aédium. Ch. Antiphónin? So. Em, istic ípsi.
Ch. Quid? duásne uxores hábet? So. Au, obsecro, únam ille quidem hanc sólam.
Ch. Quid illam álteram quae dícitur cognáta? So. Haec ergost. Ch. Quíd aïs?
So. Compósito factumst, quó modo hanc amáns habere pósset
Sine dóte. Ch. Di uostrám fidem, quam saépe forte témere
Euéniunt quae non aúdeas optáre! offendi aduéniens
Quocúm uolebam et út uolebam cónlocatam *gnátam*:
Quod nós ambo opere máxumo dabámus operam ut fieret,
Sine nóstra cura, máxuma sua cúra hic solus fécit.
So. Nunc quíd opus facto sít uide: pater ádulescentis uénit
Eumque ánimo iniquo hoc óppido ferre áiunt. Ch. Nil períclist.
Sed pér deos atque hominés meam esse hanc cáue resciscat quísquam.
So. Nemo é me scibit. Ch. Séquere me: intus cétera audié*tis*.

ACTVS V.

DEMIPHO SENEX GETA SERVOS

DE. Nostrápte culpa fácimus ut malís expediat ésse, V,2
Dum nímium dici nós bonos studémus et benígnos.
Ita fúgias ne praetér casam, quod áiunt. nonne id sát erat,
Accípere ab illo iniúriam? etiam argéntumst ultro obiéctum,
Vt sít qui uiuat, dum áliud aliquid flágiti conficiat.
GE. Planíssume. DE. Eis nunc praémiumst, qui récta praua fáciunt.
GE. Veríssume. DE. Vt stultíssume quidem illí rem gesserímus.
GE. Modo ut hóc consilio póssiet discédi, ut istam dúcat.
DE. Etiámne id dubiumst? GE. Haúd scio hercle, ut homóst, an mutet ánimum.
DE. Hem, mútet autem? GE. Néscio; uerúm, si forte, díco.
DE. Ita fáciam, ut frater cénsuit, ut uxórem eius huc addúcam,
Cum ista út loquatur. tú, Geta, abi prae, núntia hanc uentúram. —
GE. Argéntum inuentumst Phaédriae; de iúrgio silétur;
Prouísumst, ne in praeséntia haec hinc ábeat: quid nunc pórro?
Quid fiet? in eodém luto haesitás; uorsuram sólues,
Geta: praésens quod fuerát malum, in diem ábiit: plagae créscunt,
Nisi próspicis. nunc hínc domum ibo ac Phánium edocébo,
Ne quíd uereatur Phórmionem aut *hu*ius oratiónem.

DEMIPHO NAVSISTRATA
SENEX MVLIER

V,3 De. Age dum, út soles, Nausístrata, fac illa út placetur nóbis,
Vt suá uoluntate íd quod est faciúndum faciat. Na. Fáciam.
De. Paritér nunc opera me ádiuues, ac ré dudum opituláta es.
Na. Factúm uolo. ac pol mínus queo uiri cúlpa, quam me dígnumst.
De. Quid aútem? Na. Quia pol meí patris bene párta indiligénter
Tutátur; nam ex eis praédiis talénta argenti bína
Statím capiebat: uír uiro quid praéstat! De. Binan quaéso?
Na. Ac rébus uilióribus multó talenta bína. De. Hui.
Na. Quid haéc uidentur? De. Scílicet. Na. Virúm me natum uéllem:
Ego osténderem, De. Certó scio. Na. quo pácto .. De. Parce sódes,
Vt póssis cum illa, né te adulescens múlier defetíget.
Na. Faciam út iubes. sed meúm uirum abs te exíre uideo.

NAVSISTRATA CHREMES DEMIPHO
MVLIER SENES II

Ch. Ehem, Démipho,
Iam illí datumst argéntum? De. Curaui ílico. Ch. Nollém datum.
Ei, uídeo uxorem: paéne plus quam sát erat. De. Quor nollés, Chremes?
Ch. Iam récte. De. Quid tu? ecquíd locutu's cum ístac quam ob rem hanc dúcimus?
Ch. Transégi. De. Quid aït tándem? Ch. Abduci nón potest. De. Qui nón potest?

Ch. Quia utérque utriquest córdi. De. Quid istuc nóstra? Ch. Magni. praéterhac
Cognátam comperi ésse nobis. De. Quíd? deliras. Ch. Síc erit.
Non témere dico: rédii mecum in mémoriam. De. Satin sánus es?
Na. Au, óbsecro, uide ne ín cognatam pécces. De. Non est. Ch. Né nega:
Patris nómen aliud díctumst: hoc tu errásti. De. Non norát patrem?
Ch. Norát. De. Quor aliud díxit? Ch. Numquamne hódie concedés mihi
Neque intélleges? De. Si tú nil narras? Ch. Pérdis. Na. Miror quíd siet.
De. Equidem hércle nesció. Ch. Vin scire? at íta me seruet Iúppiter,
Vt própior illi, quám ego sum ac tu, [homo] némost. De. Di uostrám fidem,
Eámus ad ipsam: una ómnis nos aut scíre aut nescire hóc uolo. Ch. Ah.
De. Quid ést? Ch. Itan paruam míhi fidem esse apúd te! De. Vin me crédere?
Vin sátis quaesitum mi ístuc esse? age, fíat. quid? illa fília
Amíci nostri quíd futurumst? Ch. Récte. De. Hanc igitur míttimus?
Ch. Quid ni? De. Ílla maneat? Ch. Síc. De. Ire igitur tíbi licet, Nausístrata.
Na. Sic pól commodius ésse in omnis árbitror, quam ut coéperas,
Manére hanc; nam perlíberalis uísast, quom uidí, mihi. —
De. Quid istúc negotist? Ch. Iámne operuit óstium? De. Iam. Ch. O Iúppiter,
Di nós respiciunt: gnátam inueni núptam cum tuo fílio. De. Hem,
Quo pácto [id] potuit? Ch. Nón satis tutus ést ad narrandum híc locus.
De. At tu íntro abi. Ch. Heus, ne fílii quidem hoc nóstri resciscánt uolo.

ANTIPHO
ADVLESCENS

V, 4 Laetús sum, ut meae res sése habent, fratri óbtigisse quód uolt.
Quam scítumst, eius modi ín animo paráre cupiditátes,
Quas, quóm res aduorsaé sient, pauló mederi póssis!
Hic símul argentum répperit, curá sese expedíuit;
Ego núllo possum rémedio me euóluere ex his túrbis,
Quin, si hóc celetur, ín metu, sin pátefit, in probró sim.
Neque mé domum nunc réciperem, ni mi ésset spes osténta
Huiúsce habendae. séd ubi nam Getam ínuenire póssim?
[Vt rogem, quod tempus conueniundi patris me capere suadeat.]

PHORMIO ANTIPHO
PARASITVS ADVLESCENS

V, 5 PH. Argéntum accepi, trádidi lenóni: abduxi múlierem,
Curáui propria ut Phaédria poterétur; nam emissást manu.
Nunc úna mihi res étiam restat quae ést conficiunda, ótium
Ab sénibus ad potándum ut habeam; nam áliquod hos sumám dies.
AN. Sed Phórmiost. quid aïs? PH. Quid? AN. Quid nam núnc facturust Phaédria?
Quo pácto satietátem amoris aít se uelle absúmere?
PH. Vicíssim partis tuás acturus ést. AN. Quas? PH. Vt fugitét patrem.
Te suás rogauit rúrsum ut ageres, caúsam ut pro se díceres;

Nam pótaturus ést apud me. ego me íre senibus Súnium
Dicam ád mercatum, ancíllulam emptum dúdum quam dixít Geta:
Ne quom híc non uideant, mé conficere crédant argentúm suom.
Sed óstium concrépuit abs te. An. Víde quis egreditúr. Ph. Getast.

Geta Antipho Phormio
servos adulescens parasitus

Ge. Ó Fortuna, o Fórs Fortuna, quántis commoditátibus, V,6
Quám subito meo ero Ántiphoni ope uóstra hunc onerastís diem!
An. Quíd nam hic sibi uolt? Ge. nósque amicos eíus exonerastís metu!
Séd ego nunc mihi césso, qui non úmerum hunc onero pállio
Átque hominem propero ínuenire, ut haéc quae contigerínt sciat.
An. Núm tu intellegís, quid hic narret? Ph. Núm tu? An. Nil. Ph. Tantúndem ego.
Ge. Ád lenonem hinc íre pergam: ibi núnc sunt. An. Heus, Geta! Ge. Ém tibi:
Núm mirum aut nouómst reuocari, cúrsum quom institerís? An. Geta.
Ge. Pérgit hercle. númquam tu odio tuó me uinces. An. Nón manes?
Ge. Vápula. An. Id quidem tíbi iam fiet, nísi resistis, uérbero.
Ge. Fámiliariórem oportet ésse hunc: minitatúr malum.
Séd isne est quem quaero án non? ipsust. cóngredere actutúm. An. Quid est?
Ge. O ómnium, quantúmst qui uiuont, hómo hominum ornatíssume!
Nám sine controuórsia ab dis sólus diligere, Ántipho.

AN. Íta uelim; sed quí istuc credam ita ésse mihi dicí uelim.
GE. Sátine est si te délibutum gaúdio reddo? AN. Énicas.
PH. Quín tu hinc pollicitátiones aúfer et quod férs cedo. GE. Oh,
Tú quoque aderas, Phórmio? PH. Aderam. séd tu cessas? GE. Áccipe, em:
Ýt modo argentúm tibi dedimus ápud forum, rectá domum
Súmus profecti; intérea mittit érus me ad uxorém tuam.
AN. Quam ób rem? GE. Omitto próloqui; nam níl ad hanc rem est, Ántipho.
Ýbi in gynaeceum íre occipio, púer ad me adcurrít Mida,
Póne *p*rendit pállio, resupínat: respició, rogo
Quam ób rem retineát me: ait esse uétitum intro ad eram accédere.
'Sóphrona modo frátrem huc' inquit 'sénis introduxít Chremem';
Eúmque nunc esse íntus cum illis. hóc ubi ego audiui, ád fores
Súspenso gradú placide ire pérrexi, accessi, ástiti,
Ánimam compressi, aúrem admoui: ita ánimum coepi atténdere,
Hóc modo sermónem captans. PH. Eú, Geta. GE. Hic pulchérrimum
Fácinus audiui: ítaque paene hercle éxclamaui gaúdio.
AN. Quód? GE. Quod nam arbitráre? AN. Nescio. GE. Átqui mirificíssumum:
Pátruos tuos est páter inuentus Phánio uxorí tuae. AN. [Hem,]
Quíd aïs? GE. Cum eius consuéuit olim mátre in Lemno clánculum.
PH. Sómnium: utine haec ígnoraret suóm patrem? GE. Aliquid crédito,
Phórmio, esse caúsae. sed me cénsen potuisse ómnia

Íntellegere extra óstium, intus quae ínter sese ipsi égerint?
AN. Átque ego quoque inaúdiui illam fábulam. GE. Immo etiám dabo
Quó magis credas: pátruos interea índe huc egreditúr foras:
Haúd multo post cúm patre idem récipit se intro dénuo:
Áït uterque tíbi potestatem éius adhibendaé dari.
Dénique ego sum míssus, te ut requírerem atque addúcerem.
AN. Quín ergo rape mé: quid cessas? GE. Fécero. AN. O mi Phórmio,
Vále. PH. Vale, Antiphó. bene, ita me dí ament, factum: gaúdeo.

PHORMIO
PARASITVS

Tantám fortunam de ínprouiso esse hís datam! V,7
Summa éludendi occásiost mihi núnc senes
Et Phaédriae curam ádimere argentáriam,
Ne quoíquam suorum aequálium suppléx siet.
Nam idem hóc argentum, ita út datumst, ingrátiis
Ei dátum erit: hoc qui cógam, re ipsa répperi.
Nunc géstus mihi uoltúsque est capiundús nouos.
Sed hínc concedam in ángiportum hoc próxumum,
Inde hísce ostendam me, úbi erunt egressí foras.
Quo me ádsimularam ire ád mercatum, nón eo.

DEMIPHO CHREMES PHORMIO
SENES II PARASITVS

DE. Dis mágnas merito grátias habeo átque ago, V,8
Quando éuenere haec nóbis, frater, próspere.
CH. Estne íta uti dixi líberalis? DE. Óppido. (12)
Quantúm potest, nunc cónueniundust Phórmio,
Prius quám dilapidat nóstras trigintá minas
Vt aúferamus. PH. Démiphonem sí domist
Visam, út quod . . DE. At nos ád te ibamus, Phórmio.

Ph. De eadem hác fortasse caúsa? De. Ita hercle. Ph. Crédidi:
Quid ád me ibatis? De. Rídiculum. Ph. An *r*ebámini
Me nón id facer*e*, quód recepissém semel?
Heus, quánta quanta haec méa paupertas ést, tamen
Adhúc curaui unum hóc quidem, ut mi essét fides.
Idque ádeo uenio núntiatum, Démipho,
Parátum me esse: ubi uóltis, uxorém date.
Nam omnís posthabui míhi res, ita uti pár fuit,
Postquam íd tanto opere uós uelle animum aduórteram.
De. At híc dehortatus ést me, ne illam tíbi darem:
'Nam quí erit rumor pópuli', inquit, 'si id féceris?
Olím quom honeste pótuit, tum non ést data:
Nunc uíduam extrudi túrpest'. ferme eadem ómnia,
Quae túte dudum córam me incusáueras.
Ph. Satís superbe inlúditis me. De. Quí? Ph. Rogas?
Quia ne álteram quidem íllam potero dúcere;
Nam quó redibo ore ád eam quam contémpserim?
Ch. 'Tum autem Ántiphonem uídeo ab sese amíttere
Inuítum eam' inque. De. Tum aútem uideo filium
Inuítum sane múlierem ab se amíttere.
Sed tránsi sodes ád forum atque illúd mihi
Argéntum rursum iúbe rescribi, Phórmio.
Ph. Quodne égo discripsi pórro illis quibus débui?
De. Quid ígitur fiet? Ph. Sí uis mi uxorém dare,
Quam déspondisti, dúcam; sin est út uelis
Manére illam apud te, dós hic maneat, Démipho.
Nam nón est aequom mé propter uos décipi,
Quom ego uóstri honoris caúsa repudium álterae
Remíserim, quae dótis tantundém dabat.
De. In' ín malam rem hinc cum ístac magnificéntia,
Fugitíue? etiam nunc crédis te ignorárier
Aut túa facta adeo? Ph. Inrítor! De. Tune hanc dúceres,
Si tíbi daretur? Ph. Fác periclum. De. Vt filius
Cum illa hábitet apud te: hoc uóstrum consiliúm fuit.

Ph. Quaesó quid narras? De. Quín tu mi argentúm cedo.
Ph. Immo uéro uxorem tú cedo. De. In ius ámbula.
Ph. Enim uéro si porro ésse odiosi pérgitis . .
De. Quid fácies? Ph. Egone? uós me indotatís modo
Patrócinari fórtasse arbitrámini:
Etiám dotatis sóleo. Ch. Quid id nostrá? Ph. Nihil.
Hic quándam noram, quoíus uir uxorem Ch. Hém. De. Quid est?
Ph. Lemni hábuit aliam: Ch. Núllus sum. Ph. ex qua filiam
Suscépit, et eam clam éducat. Ch. Sepúltus sum.
Ph. Haec ádeo ego illi iám denarrabo. Ch. Óbsecro,
Ne fácias. Ph. Oh, tune ís eras? De. Vt ludós facit!
Ch. Missúm te facimus. Ph. Fábulae. Ch. Quid uís tibi?
Argéntum quod habes cóndonamus te. Ph. Aúdio.
Quid uós malum ergo mé sic ludificámini
Inépti uostra púerili *inconstá*ntia?
Noló uolo; uolo nólo rursum; cápe cedo;
Quod díctum, indictumst; quód modo erat ratum, ínritumst.
Ch. Quo pácto aut unde hic haéc resciuit? De. Néscio;
Nisi mé dixisse némini certó scio.
Ch. Monstri, íta me di ament, símile. Ph. Inieci scrúpulum. De. Hem,
Hicíne ut a nobis hóc tantum argenti aúferat
Tam apérte inridens? émori hercle sátius est.
Animó uirili praésentique ut sís para.
Vidés tuom peccátum esse elatúm foras
Neque iam íd celare pósse te uxorém tuam:
Nunc quód ipsa ex aliis aúditura sít, Chremes,
Id nósmet indicáre placabílius est.
Tum hunc ínpuratum póterimus nostró modo
Vlcísci. Ph. Attat, nísi mi prospicio, haéreo.
Hi gládiatorio ánimo ad me adfectánt uiam.
Ch. At uéreor ut placári possit. De. Bóno animo es:
Ego rédigam uos in grátiam, hoc fretús, Chremes,

Quom e médio excessit únde haec susceptást tibi.
PH. Itan ágitis mecum? sátis astute adgrédimini.
Non hércle ex re istius me ínstigasti, Démipho.
Ain tu? úbi quae lubitum fúerit peregre féceris
Neque huíus sis ueritus féminae primáriae,
Quin nóuo modo eï fáceres contuméliam,
Veniás nunc precibus laútum peccatúm tuom?
Hisce égo illam dictis íta tibi incensám dabo,
Vt né restinguas, lácrumis si extilláueris.
DE. [Malum quod isti di deaeque omnes duint.]
Tantáne adfectum quémquam esse hominem audácia!
Non hóc publicitus scélus hinc asportárier
In sólas terras! CH. Ín id redactus súm loci,
Vt quíd agam cum illo nésciam prorsum. DE. Égo scio:
In iús eamus. PH. Ín ius? huc, si quíd lubet.
CH. Adséquere, retine, dúm ego huc seruos éuoco.
DE. Enim néqueo solus: ádcurre. PH. Vna iniúriast
Tecúm. DE. Lege agito ergo. PH. Álterast tecúm, Chremes.
CH. Rape húnc. PH. Sic agitis? énim uero uocést opus:
Nausístrata, exi. CH. Os ópprime inpurúm: uide
Quantúm ualet. PH. Nausístrata, inquam. DE. Nón taces?
PH. Taceám? DE. Nisi sequitur, púgnos in uentrem íngere.
PH. Vel óculum exculpe: est úbi uos ulciscár probe.

NAVSISTRATA CHREMES DEMIPHO PHORMIO
MVLIER SENES II PARASITVS

V, 9 NA. Qui nóminat me? hem, quíd istuc turbaest, óbsecro,
Mi uír? PH. Ehem, quid nunc óbstipuisti? NA. Quís hic homost?
Non míhi respondes? PH. Hícine ut tibi respóndeat,

Qui hercle úbi sit nescit? Ch. Cáue isti quicquam créd*u*as.
Ph. Abi, tánge: si non tótus friget, me énica.
Ch. Nil ést. Na. Quid ergo? quíd istic narrat? Ph. Iám scies:
Auscúlta. Ch. Pergin crédere? Na. Quid ego óbsecro
Huic crédam, qui nil díxit? Ph. Delirát miser
Timóre. Na. Non pol témerest, quod tu tám times.
Ch. Egon tímeo? Ph. Recte sáne: quando níl times,
Et hoc níl est quod ego díco, tu narrá. De. Scelus,
Tibi nárret? Ph. Ohe tu, fáctumst abs te sédulo
Pro frátre. Na. Mi uir, nón mihi dices? Ch. Át.. Na. Quid 'at'?
Ch. Non ópus est dicto. Ph. Tíbi quidem; at scito huíc opust.
In Lémno *Na.* Hem, quid aïs? Ch. Nón taces? Ph. clam te Ch. Eí mihi!
Ph. Vxórem duxit. Na. Mí homo, di meliús duint!
Ph. Sic fáctumst. Na. Perii mísera! Ph. Et inde filiam
Suscépit iam unam, dúm tu dormis. Ch. Quíd agimus?
Na. Pro di ínmortales, fácinus miserandum ét malum!
Ph. Hoc áctumst. Na. An quicquam hódiest factum indígnius?
Qui mi, úbi ad uxores uéntumst, tum fiúnt senes.
Démipho, te appéllo: nam cum hoc ípso distaedét loqui:
Haécine erant itiónes crebrae et mánsiones díutinae
Lémni? haecine erat éa quae nostros mínuit fructus uílitas?
De. Égo, Nausistrata, ésse in hac re cúlpam meritum nón nego;
Séd ea quin sit ígnoscenda. Ph. Vérba fiunt mórtuo.
De. Nám neque neclegéntia tua néque odio id fecít tuo.

Vínolentus fére abhinc annos quíndecim muliérculam
Eám compressit, únde haec natast; néque postilla umquam áttigit.
Éa mortem obiit, é medio abiit, quí fuit in re hac scrúpulus.
Quam ób rem te oro, ut ália facta túa sunt, aequo animo hóc feras.

NA. Quíd ego aequo animo? cúpio misera in hác re iam defúngier;
Séd qui *id* sperem? aetáte porro mínus peccaturúm putem?
Iám tum erat senéx, senectus sí uerecundós facit.
Án mea forma atque aétas nunc magis éxpetendast, Démipho?
Quíd mi hic adfers, quam ób rem expectem aut spérem porro nón fore?

PH. Éxsequias Chreméti quibus est cómmodum ire, em témpus est.
Síc dabo: age nunc, Phórmionem quí uolet lacéssito:
Fáxo tali sít mactatus átque hic est infortúnio.

DE. *   *   *   *   *   *

PH. Rédeat sane in grátiam iam: súpplici satis ést mihi.
Hábet haec eï quód, dum uiuat, úsque ad aurem obgánniat.

NA. Át meo merito crédo. quid ego núnc commemorem, Démipho,
Síngulatim, quális ego in hunc fúerim? DE. Noui aeque ómnia
Técum. NA. Merito hoc meó uidetur fáctum? DE. Minume géntium.
Vérum iam quando áccusando fíeri infectum nón potest,
Ígnosce: orat cónfitetur púrgat: quid uis ámplius?

PH. Enim uero prius quam haéc dat ueniam, míhi prospiciam et Phaédriae.
Heús Nausistratá, prius quam huic respóndes temere, audí. NA. Quid est?

Ph. Ego minas trigínta per falláciam ab illoc ábstuli:
Eás dedi tuo gnáto: is pro sua amíca lenoní dedit.
Ch. Hém, quid aïs? Na. Adeóne indignum hoc tíbi uidetur, fílius
Hómo adulescens sí habet unam amícam, tu uxorés duas?
Níl pudere? quo óre illum obiurgábis? respondé mihi.
De. Fáciet ut uolés. Na. Immo ut meam iám scias senténtiam,
Néque ego ignosco néque promitto quícquam neque respóndeo
Príus quam gnatum uídero: eius iudício permitto ómnia.
Quód is iubebit fáciam. Ph. Mulier sápiens es, Nausístrata.
Na. Sátin tibist? *De. Ita. Ch.* Ímmo uero púlchre discedo ét probe
Ét praeter spem. Na. Tú tuom nomen díc mihi quid s*i*t. Ph. Phórmio:
Vóstrae familiae hércle amicus ét tuo summus Phaédriae.
Na. Phórmio, at ego ecástor posthac tíbi quod potero, quód uoles
Fáciamque et dicám. Ph. Benigne dícis. Na. Pol meritúmst tuom.
Ph. Vín primum hodie fácere quod ego gaúdeam, Nausístrata,
Ét quod tuo uiro óculi doleant? Na. Cúpio. Ph. Me ad cenám uoca.
Na. Pól uero uoco. De. Eámus intro hinc. Na. Fíat. sed ubist Phaédria
Iúdex noster? Ph. Iam híc faxo aderit. *Cantor.* Vós ualete et plaúdite.

HECYRA.

INCIPIT TERENTI HECYRA
ACTA LVDIS MEGALENSIB·
S·IVLIO CAESARE CN·CORNELIO DOLABELLA
AEDILIB· CVRVLIB·
EGIT L·AMBIVIVS TVRPIO
MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI
TIBIS PARIBVS TOTA
GRAECA *APOLLODORV*
FACTA V·
[ACTA PRIMO SINE PROLOGO DATA SECVNDO]
CN·OCTAVIO T·MANLIO COS·
RELATA EST L·AEMELIO PAVLO
LVDIS FVNERALIB·
NON EST PLACITA TERTIO RELATA EST
Q·FVLVIO L·MARCIO AEDILIB· CVRVLIB·

G. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA.

Vxórem ducit Pámphilus Philúmenam,
Cui quóndam ignorans uírgini uitíum óbtulit,
Cuiúsque per uim quém detraxit ánulum
Dederát amicae Bácchidi meretrículae.
Proféctus dein in Ímbrum est: nuptam haud áttigit.
Hanc máter ut e*o ex uíti*o grauidam cómperit,
Vt aégram ad sese tránsfert. reuenit Pámphilus,
Depréndit partum, célat; uxorém tamen
Recípere non uolt. páter incusat Bácchidis
Amórem. dum se púrgat Bacchis, ánulum
Matér uitiatae fórte adgnoscit Mýrrina.
Vxórem recipit Pámphilus cum fílio.

PERSONAE.

[*PROLOGVS*]
PHILOTIS MERETRIX
SYRA ANVS
PARMENO SERVOS
LACHES SENEX
SOSTRATA MATRONA
PHIDIPPVS SENEX
PAMPHILVS ADVLESCENS
SOSIA SERVOS
MYRRINA MATRONA
BACCHIS MERETRIX
CANTOR

PROLOGVS (I).

Hecyraést huic nomen fábulae. Hec*yra* quóm datast
Noua, *eí* nouom interuénit uitium et cálamitas,
Vt néque spectari néque cognosci pótuerit:
Ita pópulus studio stúpidus in funámbulo
Animum óccuparat. núnc haec planest pró noua,
Et ís qui scripsit hánc ob eam rem nóluit
Iterúm referre, ut íterum posset uéndere.
* * * * * *
7a Nouam ésse ostendi et quae ésset: nunc qui scrípserit
7b Et quóia Graeca sít, ni partem máxumam
7c Exístumarem scíre uostrum, id dícerem.
* * * * * *
8 Aliás cognostis éius: quaeso hanc nóscite.

PROLOGVS (II).

L. AMBIVIVS

Orátor ad uos uénio ornatu prólogi:
Sinite éxorator sim, eódem ut iure utí senem
Liceát, quo iure sum úsus adulescéntior,
Nouás qui exactas féci ut inueteráscerent,
Ne cúm poëta scriptura euanésceret.
In eís, quas primum Caécili didicí nouas,
Partím sum earum exáctus, partim uíx steti.
Quia scíbam dubiam fórtunam esse scaénicam,
Spe incérta certum míhi laborem sústuli,
Easdem ágere coepi, ut áb eodem alias díscerem
Nouás, studiose, né illum ab studio abdúcerem.
Perféci ut spectaréntur: ubi sunt cógnitae,
Placitaé sunt. ita poëtam restitui ín locum
Prope iám remotum iniúria aduorsárium
Ab stúdio atque ab labóre atque arte música.

Quod sí scripturam spréuissem in praeséntia
Et in déterrendo uóluissem operam súmere,
Vt in ótio esset pótius quam in negótio:
Detérruissem fácile, ne alias scríberet.
Nunc quíd petam, mea caúsa aequo animo atténdite.
Hecyram ád uos refero, quám mihi per siléntium
Numquam ágere licitumst: íta eam oppressit cálamitas.
Eam cálamitatem uóstra intellegéntia
Sedábit, si erit adiútrix nostrae indústriae.
Quom prímum eam agere coépi, pugilum glória,
[Funambuli eodem accessit expectatio]
Comitúm conuentus, strépitus, clamor múlierum
Fecére ut ante témpus exirém foras.
Vetere ín noua coepi úti consuetúdine,
In éxperiundo ut éssem: refero dénuo.
Primo áctu placeo. quom ínterea rumór uenit
Datum íri gladiatóres, populus cónuolat,
Tumúltuantur clámant pugnant dé loco:
Ego intérea meum non pótui tutarí locum.
Nunc túrba non est: ótium et siléntiumst:
Agéndi tempus míhi datumst; uobís datur
Potéstas condecorándi ludos scaénicos.
Nolíte sinere pér uos artem músicam
Recídere ad paucos: fácite ut uostra auctóritas
Meae auctóritati faútrix adiutríxque sit.
[Si numquam auare pretium statui arti meae
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume seruire uostris commodis:]
Sinite ímpetrare mé, qui in tutellám meam
Studiúm suom et se in uóstram commisít fidem,
Ne eum círcumuentum iníque iniqui inrídeant.
Mea caúsa causam accípite et date siléntium,
Vt lúbeat scribere áliis mihique ut díscere
Nouás expediat pósthac pretio emptás meo.

ACTVS I.

PHILOTIS — SYRA
MERETRIX — ANVS

I, 1 PH. Per pól quam paucos réperias meretrícibus
Fidélis euenire amatorés, Syra.
Vel hic Pámphilus iurábat quotiens Bácchidi,
Quam sáncte, ut quiuis fácile posset crédere,
Numquam ílla uiua dúcturum uxorém domum!
Em, dúxit. SY. Ergo própterea te sédulo
Et móneo et hortor, né quoiusquam mísereat,
Quin spólies mutiles láceres, quemque nácta sis.
PH. Vtíne eximium néminem habeam? SY. Néminem:
Nam némo illorum quísquam, scito, ad té uenit,
Quin íta paret sese, ábs te ut blanditiís suis
Quam mínumo pretio suám uoluptatem éxpleat.
Hiscíne tu amabo nón contra insidiábere?
PH. Tamén pol eandem iniúriumst esse ómnibus.
SY. Iniúrium autem est úlcisci aduorsários?
Aut quá uia te cáptent, eadem ipsós capi?
Eheú me miseram, quór non aut istaéc mihi
Aetás et formast aút tibi haec senténtia!

PARMENO — PHILOTIS — SYRA
SERVOS — MERETRIX — ANVS

I, 2 PA. Senéx si quaeret mé, modo isse dícito
Ad pórtum percontátum aduentum Pámphili.
Audín quid dicam, Scírte? si quaerét me, uti
Tum dícas; si non quaéret, nullus díxeris,
Aliás ut uti póssim causa hac íntegra.
Sed uídeon ego Philótium? unde haec áduenit?
Philótis, salue múltum. PH. O salue, Pármeno.

Sy. Salué mecastor, Pármeno. Pa. Et tu edepól, Syra.
Dic mi, úbi, Philotis, te óblectasti tám diu?
Ph. Minume équidem me oblectáui, quae cum mílite
Corínthum hinc sum profécta inhumaníssumo:
Biénnium ibi perpétuom misera illúm tuli.
Pa. Edepól te desidérium Athenarum árbitror,
Philótium, cepísse saepe et té tuom
Consílium contempsísse. Ph. Non dicí potest,
Quam cúpida eram huc redeúndi, abeundi a mílite
Vosque híc uidendi, antíqua ut consuetúdine
Agitárem inter uos líbere conuíuium.
Nam illi haúd licebat nísi praefinitó loqui
Quae illí placerent. Pa. Haúd opinor cómmode
Finém statuisse orátioni mílitem.
Ph. Sed quíd hoc negotist, módo quod narrauít mihi
Hic íntus Bacchis? quód ego numquam crédidi
Fore, ut ílle hac uiua pósset animum indúcere
Vxórem habere. Pa. Habére autem? Ph. Eho tu, an nón habet?
Pa. Habét, sed firmae haec uéreor ut sint núptiae.
Ph. Ita dí deaeque fáxint, si in rem est Bácchidis.
Sed quí istuc credam ita ésse, dic mihi, Pármeno.
Pa. Non ést opus proláto: hoc percontárier
Desíste. Ph. Nempe ea caúsa, ut ne id fiát palam?
Ita mé di amabunt, haúd propterea té rogo,
Vt hoc próferam, sed ut tácita mecum gaúdeam.
Pa. Numquám tam dices cómmode, ut tergúm meum
Tuam ín fidem commíttam. Ph. Ah noli, Pármeno:
Quasi tú non multo mális narrare hóc mihi
Quam ego quaé percontor scíre. Pa. Vera haec praédicat,
Et illúd mihi uitiumst máxumum. si míhi fidem
Das té tacituram, dícam. Ph. Ad ingeniúm redis.
Fidém do: loquere. Pa. Auscúlta. Ph. Istic sum. Pa. Hanc Bácchidem

Amábat, ut quom máxume, tum Pámphilus,
Quom páter uxorem ut dúcat orare óccipit
Et haéc communia ómnium quae súnt patrum,
Sesé senem esse dícere, illum autem únicum:
Praesídium uelle sé senectutí suae.
Ille prímo se negáre; sed postquam ácrius
Pater ínstat, fecit ánimi ut incertús foret,
Pudórin anne amóri obsequeretúr magis.
Tundéndo atque odio dénique effecít senex:
Despóndit ei gnatam huíus uicini próxumi.
Vsque íllud uisumst Pámphilo ne utiquám graue,
Donéc iam in ipsis núptiis, postquám uidet
Parátas nec moram úllam quin ducát dari,
Ibi démum ita aegre túlit, ut ipsam Bácchidem,
Si adésset, credo ibi éius commiserésceret.
Vbi quómque datum erat spátium solitúdinis,
Vt cónloqui mecum úna posset: 'Pármeno,
Perii, quid ego egi! in quód me conieci malum!
Non pótero ferre hoc, Pármeno: perií miser.'
Ph. At té di deaeque pérdant cum isto odió, Laches!
Pa. Vt ad paúca redeam, uxórem deducít domum.
Nocte ílla prima uírginem non áttigit;
Quae cónsecutast nóx eam, nihiló magis.
Ph. Quid aïs? cum uirgine úna adulescens cúbuerit
Plus pótus, sese illa ábstinere ut pótuerit?
Non uéri simile dícis nec uerum árbitror.
Pa. Credo íta uideri tíbi. nam nemo ad té uenit
Nisi cúpiens tui; ille inuítus illam dúxerat.
Ph. Quid deínde fit? Pa. Diébus sane paúculis
Post Pámphilus me sólum seducít foras
Narrátque, ut uirgo ab se íntegra etiam túm siet,
Seque ánte quam eam uxórem duxissét domum,
Sperásse eas toleráre posse núptias.
'Sed quám decrerim mé non posse díutius
Habére, eam ludíbrio haberi, Pármeno,
Neque honéstum mihi neque útile ipsi uírginist,
Quin íntegram itidem réddam, ut accepi á suis'.
Ph. Pium ác pudicum ingénium narras Pámphili.
Pa. 'Hoc égo proferre incómmodum mi esse árbitror;
Reddí patri autem, quoi tu nil dicás uiti,

Supérbumst. sed illam spéro, ubi hoc cognóuerit
Non pósse se mecum ésse, abituram dénique.'
PH. Quid? intérea ibatne ad Bácchidem? PA. Cottídie.
Sed út fit, postquam hunc álienum ab sesé uidet,
Malígna multo et mágis procax facta ílico est.
PH. Non édepol mirum. PA. Atque éa res multo máxume
Diiúnxit illum ab ílla, postquam et ípse se
Et íllam et hanc quae dómi erat cognouít satis.
[Ad exemplum ambarum mores earum existimans.]
Haec, íta uti liberáli esse ingenió decet,
Pudéns modesta, incómmoda atque iniúrias
Viri ómnis ferre et tégere contumélias.
Hic ánim*i* partim uxóris misericórdia
Deuínctus, partim uíctus huius iniúriis
Paulátim elapsust Bácchidi atque huc tránstulit
Amórem, postquam pár ingenium náctus est.
Intérea in Imbro móritur cognatús senex
Horúnc: ea ad hos redíbat lege heréditas.
Eo amántem inuitum Pámphilum extrudít pater.
Relínquit cum matre híc uxorem; nám senex
Rus ábdidit se, huc ráro in urbem cómmeat.
PH. Quid adhúc habent infírmitatis núptiae?
PA. Nunc aúdies. primós dies complúsculos
Bene cónuen*i*bat sáne inter eas. ínterim
Mirís modis odísse coepit Sóstratam:
Neque lítes ullae intér eas, postulátio
Numquám. PH. Quid igitur? PA. Sí quando ad eam accésserat
Confábulatum, fúgere e conspectu ílico,
Vidére nolle: dénique ubi non quít pati,
Simulát se ad matrem accérsi ad rem diuínam, abit.
Vbi illíc dies est complúris, accersí iubet:
Dixére causam néscio quam tum. iterúm iubet:
Nemó remisit. póstquam accersunt saépius,
Aegram ésse simulant múlierem. nostra ílico
It uísere ad eam: admísit nemo. hoc úbi senex
Resciuit, heri ea caúsa rure huc áduenit,

Patrém continuo cónuenit Philúmenae.
Quid égerint intér se, non dum etiám scio;
Nisi sáne curaest, quórsum euenturum hóc siet.
Habés omnem rem: pérgam quo coepi hóc iter.
PH. Et quídem ego; nam constítui cum quodam hóspite
Me esse íllum conuentúram. PA. Di uortánt bene
Quod agás! PH. Vale. PA. Et tu béne uale, Philótium.

ACTVS II.

LACHES SENEX SOSTRATA MVLIER

II,1 LA. Pro deum átque hominum fidém, quod hoc genus est, quae haéc est coniurátio!
Vtin ómnes mulierés eadem aeque stúdeant nolintque ómnia
Neque déclinatam quícquam ab aliarum íngenio ullam réperias!
[Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus.]
Viris ésse aduorsas aéque studiumst, símilis pertináciast,
In eódemque omnes míhi uidentur lúdo doctae ad málitiam:
Ei lúdo, si ullus ést, magistram hanc ésse satis certó scio.
SO. Me míseram, quae nunc quam ób rem accuser néscio. LA. Hem,
Tu néscis? SO. N*escio,* íta me di ament, mí Laches,
Itaque úna inter nos ágere aetatem líceat. LA. Di mala próhibeant.
SO. Meque ábs te inmerito esse áccusatam póst modo resciscés, scio.

La. Te inmérito? an quicquam pro ístis factis dígnum te dicí potest?
Quae me ét te et familiám dedecoras, fílio luctúm paras;
Tum autem éx amicis ínimici ut sint nóbis adfinés facis,
Qui illúm decrerunt dígnum, suos quoi líberos commítterent.
Tu sóla exorere, quaé perturbes haéc tua inpudéntia.
So. Egon? La. Tu ínquam, mulier, quaé me omnino lápidem, non hominém putas.
An, quía ruri crebro ésse soleo, néscire arbitrámini,
Quo quísque pacto hic uítam uostrarum éxigat?
Múlto melius híc quae fiunt quam ílli ubi sum adsidué scio.
[Ideo quia, ut domi mihi uos eritis, proinde ego ero fama foris.]
Iám pridem equidem audíui cepisse ódium tui Philúmenam,
Mínumeque adeo est mírum, et ni id fecísset, magis mirúm foret;
Séd non credidi ádeo, ut etiam tótam hanc odissét domum:
Quód si scissem, illa híc maneret pótius, tu hinc issés foras.
Át uide, quam inmerito aégritudo haec mi ábs te oriatur, Sóstrata:
Rús habitatum abií, concedens uóbis et rei séruiens,
Súmptus uostros ótiumque ut nóstra res possét pati,
Meó labori haud párcens praeter aéquom atque aetatém meam.
Nón te pro his curásse rebus, né quid aegre essét mihi!
So. Nón mea opera néque pol culpa euénit. La. Immo máxume:

Sóla hic fuisti: in te ómnis haeret cúlpa sola, Sóstrata.
Quae híc erant curáres, quom ego uos cúris solui céteris.
Cúm puella anúm suscepisse ínimicitias nón pudet?
Íllius dices cúlpa factum? So. Haud équidem dico, mí Laches.
La. Gaúdeo, ita me dí ament, gnati caúsa; nam de té quidem
Sátis scio peccándo detriménti nil fieri potest.
So. Quí scis an ea caúsa, mi uir, me ódisse adsimuláuerit,
Vt cum matre plús una esset? La. Quíd aïs? non signi hóc sat est,
Quód heri nemo uóluit uisentem ád eam te intro admíttere?
So. Énim lassam oppidó tum esse aibant: eo ád eam non admíssa sum.
La. Tuós esse ego illi móres morbum mágis quam ullam aliam rem árbitror,
Ét merito adeo; nám uostrarum núllast, quin gnatúm uelit
Dúcere uxorem; ét quae uobis plácitast condició datur:
Vbi duxere inpúlsu uostro, uóstro inpulsu easdem éxigunt.

Phidippvs Laches Sostrata
SENES II MVLIER

II,2 Ph. Etsí scio ego, Philúmena, meum iús esse, ut te cógam
Quae ego ímperem facere, égo tamen patrio ánimo uictus fáciam,
Vt tíbi concedam, néque tuae lubídini aduorsábor.
La. Atque éccum Phidippum óptume uideo: hínc iam scibo hoc quíd sit.
Phidíppe, [etsi] ego me meis ómnibus scio esse ádprime obsequéntem,

Sed nón adeo ut mea fácilitas corrúmpat illorum ánimos:
Quod tú si idem facerés, magis in rem et uóstram et nostram id ésset.
Nunc uídeo in illarum ésse te potéstate. Ph. Heia uéro.
La. Adií te heri de filia: ut ueni, ítidem incertum amísti.
Haud íta decet, si pérpetuam uis ésse adfinitátem hanc,
Celáre te iras. sí quid est peccátum a nobis, prófer:
Aut éa refellendo aút purgando uóbis corrigémus
Te iúdice ipso. sín east causá retinendi apúd uos,
Quia aégrast: te mi iniúriam facere árbitror, Phidíppe,
Si métuis satis ut meaé domi curétur diligénter.
At íta me di ament, haúd tibi hoc concédo, etsi illi páter es,
Vt tú illam saluam mágis uelis quam ego: id ádeo gnati caúsa,
Quem ego íntellexi illam haúd minus quam se ípsum magnificáre.
Neque ádeo clam me est, quam ésse eum grauitér laturum crédam,
Hoc sí rescierit: eó domum studeo haéc prius quam ille ut rédeat.
Ph. Lachés, et diligéntiam uostram ét benignitátem
Noui ét quae dicis ómnia esse ut dícis animum indúco,
Et te hóc mihi cupio crédere: illam ad uós redire stúdeo,
Si fácere possim ulló modo. La. Quae rés te facere id próhibet?
Eho, núm quid nam accusát uirum? Ph. Minumé. nam postquam atténdi
Magis ét ui coepi cógere ut redíret, sancte adiúrat

Non pósse apud uos Pámphilo se absénte perduráre.
Aliúd fortasse aliís uiti est: ego sum ánimo leni nátus:
Non póssum aduorsarí meis. La. Em, Sóstrata. So. Heu me míseram!
La. Certúmne est istuc? Ph. Núnc quidem ut uidétur. sed num quíd uis?
Nam est quód me transire ád forum iam opórtet. La. Eo tecum úna.

Sostrata
MVLIER

II,3 So. Édepol ne nos súmus inique aeque ómnes inuisaé uiris
Própter paucas, quae ómnes faciunt dígnae ut uideamúr malo.
Nam íta me di ament, quód me accusat núnc uir, sum extra nóxiam.
Séd non facilest éxpurgatu: ita ánimum induxerúnt socrus
Ómnis esse iníquas: haud pol mé quidem; nam numquám secus
Hábui illam ac si ex mé esset nata, néc qui hoc mi eueniát scio;
Nísi pol filiúm multimodis iam éxpecto ut redeát domum.

ACTVS III.

Pamphilvs Parmeno (Myrrina)
ADVLESCENS SERVOS MVLIER

III,1 Pam. Némini ego plura éx amore acérba credo [esse] homini úmquam oblata
Quám mi. heu me infelícem, hancinc ego uítam parsi pérdere!

Hácine causa ego erám tanto opere cúpidus redeundí domum! *h*ui,
Quánto fuerat praéstabilius úbiuis gentium ágere aetatem
Quam húc redire atque haéc ita esse míserum me rescíscere!
Nám nos omnes quíbus est alicunde áliquis obiectús labos,
Ómne quod est intérea tempus príus quam id rescitúmst lucrost.
PAR. Át sic citius quí te expedias hís*ce* aerumnis réperias:
Sí non rediissés, hae*c* irae fáctae essent multo ámpliores.
Séd nunc aduentúm tuom ambas, Pámphile, scio réuerituras:
Rém cognosces, íram expedies, rúrsum in gratiám restitues.
Léuia sunt, quae tú pergrauia esse ín animum induxtí tuom.
PAM. Quid cónsolare me? án quisquam usquam géntiumst aequé miser?
Prius quam hánc uxorem dúxi, habebam alibi ánimum amori déditum:
Tamén numquam ausus súm recusare eám quam mi obtrudít pater:
Iam in hác re, ut taceam, quoíuis facile scítu est quam fuerím miser.
Vix me ílli*m* abstraxi atque ínpeditum in ea éxpediui animúm meum,
Vixque húc contuleram: em, nóua res ortast, pórro ab hac quae me ábstrahat.
Tum mátrem ex ea re me aút uxorem in cúlpa inuenturum árbitror:
Quod quom íta esse inueneró, quid restat nísi porro ut fiám miser?
Nam mátris ferre iniúrias me, Pármeno, pietás iubet;
Tum uxóri obnoxiús sum: ita olim suó me ingenio pértulit,

Tot meás iniuriás quae numquam in úllo patefecít loco.
Sed mágnum nescio quíd necessest éuenisse, Pármeno,
Vnde íra inter eas íntercessit, quaé tam permansít diu.
Par. *A*ut quídem hercle paruom! sí uis uero uéram rationem éxsequi,
Non máxumae sunt máxuma*s* quae intérdum ira*s* iniúria*e*
Faciúnt; nam saepe est, quíbus in rebus álius ne iratús quidem est,
Quom de eádem causast íracundus fáctus inimicíssumus.
Pueri ínter sese quám pro leuibus nóxiis irás gerunt!
Quaprópter? quia enim qui eós gubernat ánimus eum infirmúm gerunt.
Itidem íllae mulierés sunt ferme ut púeri leui senténtia:
Fortásse unum aliquod uérbum inter eas íram hanc conciuísse, *ere*.
Pam. Abi, Pármeno, intro ac mé uenisse núntia. Par. Hem, quid hoc ést? Pam. Tace.
Trepidári sentio ét cursari rúrsum prorsum. Par. Age dum, ád fores
Accédo propius. ém, sensistin? Pam. Nóli fabulárier.
Pro Iúppiter, clamórem audiui. Par. Túte loquer*e*, mé uetas.
(My.) Tace óbsecro, mea gnáta. Pam. Matris uóx uisast Philúmenae.
Nullús sum. Par. Qui dum? Pam. Périi. Par. Quam ob rem? Pam. Néscio quod magnúm malum
Profécto, Parmenó, me celas. Par. Ýxorem Philúmenam
Pauitáre nescio quíd dixerunt: íd si forte est, néscio.

PAM. Intérii: quor id míhi non dixti? PAR. Quía non poteram una ómnia.
PAM. Quid mórbi est? PAR. Nesció. PAM. Quid? nemon médicum adduxit? PAR. Néscio.
PAM. Cesso hínc ire intro, ut hóc quam primum, quídquid est, certó sciam?
Quo nám modo, Philúmena mea, núnc te offendam adféctam?
Nam sí periclum ullum ín te inest, perísse me una haud dúbiumst. —
PAR. Non úsus factost míhi nunc hunc intró sequi;
Nam inuísos omnis nós esse illis séntio:
Heri némo uoluit Sóstratam intro admíttere.
Si fórte morbus ámplior factús siet,
Quod sáne nolim, máxume eri causá mei:
Seruom ílico intro íisse dicent Sóstratae,
Aliquíd tulisse cómminiscentúr mali
Capiti átque aetati illórum, morbus qui aúctus sit:
Era in crímen ueniet, égo uero in magnúm malum.

SOSTRATA MVLIER — PARMENO SERVOS — PAMPHILVS ADVLESCENS

So. Nescío quid iam dudum aúdio hic tumúltuari misera: III, 2
Male métuo ne Philúmenae magis mórbus adgrauéscat:
Quod te, Aésculapi, et té, Salus, ne quíd sit huius óro.
Nunc ád eam uisam. PAR. Heus, Sóstrata. So. Hem. PAR. Iterum ístinc excludére.
So. Ehem Pármeno, tun híc eras? perií, quid faciam mísera?
Non uísam uxorem Pámphili, quom in próxumo hic sit aégra?
PAR. Non uísas? ne mittás quidem uiséndi causa quémquam.
Nam quí amat quoi odio ípsus est, bis fácere stulte dúco:

Labórem inanem ipsús capit et illí molestiam ádfert.
Tum filius tuos íntro iit uidére, ut uenit, quíd agat.
So. Quid aís? an uenit Pámphilus? Par. Venít. So. Dis gratiam hábeo.
Hem, istóc uerbo animus míhi redit et cúra ex corde excéssit.
Par. Iam eá te causa máxume nunc hóc intro ire nólo;
Nam sí remittent quídpiam Philúmenae dolóres,
Omném rem narrabít, scio, contínuo sola sóli,
Quae intér uos interuénerit, unde órtumst initium írae.
Atque éccum uideo ipsum égredi: quam trístist! So. O mi gnáte!
Pam. Mea máter, salue. So. Gaúdeo uenísse saluom. sáluan
Philúmenast? Pam. Meliúsculast. So. Vtinam ístuc ita di fáxint!
Quid tu ígitur lacrumas? aút quid es tam trístis? Pam. Recte, máter.
So. Quid fuít tumulti? díc mihi: an dolór repente inuásit?
Pam. Ita fáctumst. So. Quid morbi ést? Pam. Febris. So. Cottídiana? Pam. Ita áiunt.
I sódes intro, cónsequar iam té, mea mater. So. Fíat.
Pam. Tu púeris curre, Pármeno, obuiam átque eis onera adiúta.
Par. Quid? nón sciunt ipsí uiam, domúm qua ueniant? Pam. Céssas?

Pamphilvs
ADVLESCENS

III,3 Néqueo mearum rérum initium ullum ínuenire idóneum,
Vnde exordiár narrare, quaé necopinanti áccidunt;

Pártim quae perspéxi hisce oculis, pártim percepi aúribus:
Quá me propter éxanimatum cítius eduxí foras.
Nám modo intro ut mé corripui tímidus, alio súspicans
Mórbo me uisúrum adfectam ac sénsi esse uxorem (eí mihi):
Póstquam me aspexére ancillae aduénisse, omnes ílico
Laétae exclamant 'uénit', id quod mé repente aspéxerant.
Séd continuo uóltum earum sénsi inmutari ómnium,
Quía tam incommode íllis fors obtúlerat aduentúm meum.
Ýna illarum intérea propere praécucurrit núntians
Mé uenisse: ego eíus uidendi cúpidus recta cónsequor.
Póstquam intro adueni, éxtemplo eius mórbum cognouí miser;
Nám neque ut celári posset témpus spatium ullúm dabat,
Néque uoce alia ac rés monebat ípsa poterat cónqueri.
Póstquam aspexi, 'o fácinus indignum' ínquam et corripui ílico
Me índe lacrumans, íncredibili re átque atroci pércitus.
Máter consequitúr: iam ut limen éxi*eram*, ad genua áccidit
Lácrumans misera: míseritumst. profécto hoc sic est, út puto:
Ómnibus nobis út res dant sese, íta magni atque humilés sumus.
Hánc habere orátionem mécum principio ínstitit:
'Ó mi Pamphile, ábs te quam ob rem haec ábierit causám uides;
Nám uitiumst oblátum uirgini ólim ab nescio quo ínprobo.
Núnc huc confugít, te atque alios pártum ut celarét suom.'

Séd quom orata huiús reminiscor, néqueo quin lacrumém miser.
'Quaéque fors fortúnast' inquit, 'nóbis quae te hodie óbtulit,
Pér eam te obsecrámus ambae, sí ius, si fas ést, uti
Áduorsa eius pér te tecta tácitaque apud omnís sient.
Si úmquam erga te animo ésse amico sénsisti eam, mi Pámphile,
Síne labore hanc grátiam te ut síbi des pro illa núnc rogat.
Céterum de rédducenda id fácias, quod in rem sít tuam.
Párturire eám nec grauidam esse éx te solus cónsciu's:
[Nam aiunt tecum post duobus concubuisse mensibus.
Tum, postquam ad te uenit, mensis agitur hic iam septumus:]
Quód te scire ipsa índicat res. núnc si potis est, Pámphile,
Máxume uoló doque operam, ut clam éueniat partús patrem
Átque adeo omnis. séd si id fieri nón potest quin séntiant,
Dícam abortum essé: scio nemini áliter suspectúm fore,
Quín, quod ueri símilest, ex te récte eum natúm putent.
Cóntinuo exponétur: hic tibi níl est quicquam incómmodi,
Ét illi miserae indígne factam iniúriam contéxeris.'
Póllicitus sum et séruare in eo cértumst quod dixí fidem.
Nám de redducénda, id uero ne útiquam honestum esse árbitror,
Néc faciam, etsi amór me grauiter cónsuetudoque eíus tenet.
Lácrumo, quae posthác futurast uíta quom in mentém uenit

Sólitudoque. ó fortuna, ut númquam perpetuo és bona!
Séd iam prior amór me ad hanc rem exércitatum réddidit,
Quém ego tum consílio missum féci: idem hunc operám dabo.
Adest Pármeno cum púeris: hunc minumést opus
In hác re adesse; nam ólim soli crédidi,
Eá me abstinuisse ín principio, quóm datast.
Vereór, si clamorem éius hic crebro aúdiat,
Ne párturire intéllegat. aliquó mihist
Hinc áblegandus, dúm parit Philúmena.

PARMENO SOSIA PAMPHILVS
SERVI II ADVLESCENS

PAR. Ain tú tibi hoc incómmodum euenísse iter? III,4
So. Non hércle uerbis, Pármeno, dicí potest
Tantúm, quam re ipsa náuigare incómmodumst.
PAR. Itan ést? So. O fortunáte, nescis quíd mali
Praetérieris, qui númquam es ingressús mare.
Nam aliás ut mittam míserias, unam hánc uide:
Diés triginta aut plús eo in nauí fui,
Quom intérea semper mórtem expectabám miser;
Ita úsque aduorsa témpestate usí sumus.
PAR. Odiósum. So. Haud clam me est. dénique hercle aufúgerim
Potiús quam redeam, si eó mihi redeundúm sciam.
PAR. Olím quidem te caúsae impellebánt leues,
Quod núnc minitare fácere, ut faceres, Sósia.
Sed Pámphilum ipsum uídeo stare ante óstium:
Ite íntro; ego hunc adíbo, si quid mé uelit. —
Ere, étiam tu hic stas? PAM. Et quidem te ex-pectó. PAR. Quid est?
PAM. In árcem transcurso ópus est. PAR. Quoi ho-miní? PAM. Tibi.
PAR. In árcem? quid eo? PAM. Cállidemidem hóspitem
Mycónium, qui mecum úna uectust, cónueni.
PAR. Perií. uouisse hunc dícam, si saluós domum
Redísset umquam, ut me ámbulando rúmperet?

PAM. Quid céssas? PAR. Quid uis dícam? an conueniám modo?
PAM. Immo quód constitui me hódie conuentúrum eum,
Non pósse, ne me frústra illi expectét. uola.
PAR. At nón noui hominis fáciem. PAM. At faciam ut nóueris:
Magnús, rubicundus, críspus, crassus, caésius,
Cadáuerosa fácie. PAR. Di illum pérduint!
Quid, sí non ueniet? máneamne usque ad uésperum?
PAM. Manéto: curre. PAR. Nón queo: ita deféssus sum. —
PAM. Ille ábiit. quid agam infélix? prorsus néscio
Quo pácto hoc celem, quód me orauit Mýrrina,
Suae gnátae partum; nám me miseret múlieris.
Quod pótero faciam, támen ut pietatém colam;
Nam mé parenti pótius quam amori óbsequi
Opórtet. attat éccum Phidippum ét patrem
Video: hórsum pergunt. quíd dicam hisce, incértus sum.

LACHES PHIDIPPVS PAMPHILVS
SENES II ADVLESCENS

III,5 LA. Díxtin dudum illám dixisse, se éxpectare filium?
PH. Fáctum. LA. Venisse áiunt: redeat. PA. Quám causam dicám patri,
Quam ób rem non reddúcam? *LA.* Nescio quém ego hic audiuí loqui.
PA. Cértum offirmare ést uiam me quám decreui pérsequi.
LA. Ípsus est de quo hóc agebam técum. PA. Salue, mí pater.
LA. Gnáte mi, salué. PH. Bene factum te áduenisse, Pámphile;
Átque adeo, [id] quod máxumumst, saluom átque ualidum. PA. Créditur.
LA. Áduenis modo? PA. Ádmodum. LA. Cedo, quíd reliquit Phánia
Cónsobrinus nóster? PA. Sane hercle hómo uoluptati óbsequens

Fúit, dum uixit; ét qui sic sunt, haúd multum heredém iuuant,
Síbi uero hanc laudém relinquont 'uíxit, dum uixít, bene.'
LA. Túm tu igitur nil áttulisti plús una hac senténtia?
PA. Quídquid est id, quód reliquit, prófuit. LA. Immo óbfuit;
Nám illum uiuom et sáluom uellem. PH. Inpúne optare istúc licet:
Ílle reuiuiscét iam numquam; et támen utrum malís scio.
LA. Héri Philumenam ád se accersi hic iússit. dic iussísse te.
PH. Nóli fodere. iússi. LA. Sed eam iám remittet. PH. Scílicet.
PA. Ómnem rem scio út sit gesta: aduéniens audiuí modo.
LA. Át istos inuidós di perdant, qui haéc lubenter núntiant.
PA. Égo me scio cauísse, ne ulla mérito contumélia
Fíeri a uobis pósset; idque sí nunc memorare híc uelim,
Quám fideli animo ét benigno in íllam et clementí fui,
Vére possum, ní te ex ipsa haec mágis uelim resciscere;
Námque eo pacto máxume apud te méo erit ingenió fides,
Quóm illa, quae nunc ín me iniquast, aéqua de me díxerit.
Néque mea culpa hóc discidium euénisse, id testór deos.
Séd quando sese ésse indignam députat, matrí meae
Quaé concedat éiusque mores tóleret sua modéstia,
Néque alio pactó componi pótest inter eas grátia:
Ségreganda aut máter a me est, Phídippe, aut Philúmena.

Núnc me pietas mátris potius cómmodum suadét sequi.
La. Pámphile, haud inuíto ad auris sérmo mi accessít tuos,
Quóm te postputásse omnis res praé parente intéllego;
Vérum uide ne inpúlsus ira práue insistas, Pámphile.
Pa. Quibus íris nunc inpúlsus in illam iníquos sim?
Quae númquam quicquam ergá me commeritást, pater,
Quod nóllem, et saepe quód uellem meritám scio;
Amóque et laudo et uémenter desídero.
Nam fuísse erga me míro ingenio expértus sum,
Illíque exopto ut rélicuam uitam éxigat
Cum eó uiro, me quí sit fortunátior,
Quandóquidem illam a me dístrahit necéssitas.
Ph. Tibi id ín manust ne fiat. La. Si sanús sies:
Iube illám redire. Pa. Nón est consiliúm, pater:
Matrís seruibo cómmodis. La. Quo abís? ades:
Mane, ínquam: quo abis? — Ph. Quae haéc est pertinácia?
La. Dixín, Phidippe, hanc rem aégre laturum ésse eum?
Quam ob rém te orabam, filiam ut remítteres.
Ph. Non crédidi edepol ádeo inhumanúm fore.
Ita núnc is sibi me súpplicaturúm putat?
Si est út uelit reddúcere uxorém, licet;
Sin áliost animo, rénumeret dotem húc, eat.
La. Ecce aútem tu quoque próterue iracúndus es!
Ph. Percóntumax redísti huc nobis, Pámphile!
La. Decédet iam ira haec, étsi merito irátus est.
Ph. Quia paúlum uobis áccessit pecúniae,
Subláti animi sunt. La. Étiam mecum lítigas?
Ph. Delíberet renúntietque hodié mihi,
Velítne an non: ut álii, si huic non ést, siet.
La. Phidíppe, ades, audi paúcis. — abiit. quíd mea?
Postrémo inter se tránsigant ipsi, út lubet,
Quandó nec gnatus néque hic mi quicquam obtémperant,

Quae díco parui péndunt. porto hoc iúrgium
Ad uxórem, quoius haec fiunt consilio ómnia,
Atque ín eam hoc omne quód mihi aegrest éuomam.

MYRRINA PHIDIPPVS
MVLIER SENEX

MY. Périi, quid agam? quó me uortam? quíd uiro meo réspondebo IV, 1
Mísera? nam audiuísse uocem púeri uisust uágientis:
Íta corripuit dérepente tácitus sese ad filiam.
Quód si rescierít peperisse eam, íd qua causa clám me habuisse
Dícam, non edepól scio.
Sed óstium concrépuit. credo ipsum éxire ad me: núlla sum.
PH. Ýxor ubi me ad filiam ire sénsit, se duxít foras:
Atque éccam [uideo]. quid aïs, Mýrrina? heus tibi díco. MY. Mihine, mí uir?
PH. Vír ego tuos sim? tú uirum me aut hóminem deputás adeo esse?
Nám si utrumuis hórum, mulier, úmquam tibi uisús forem,
Nón sic ludibrió tuis factis hábitus essem. MY. Quíbus? PH. At rogitas?
Péperit filia: hém, taces? ex quo? MY. Istúc patrem rogáre est aequom?
Périi! ex quo censés nisi ex illo quoí datast nuptum óbsecro?
PH. Crédo: neque adeo árbitrari pátris est aliter. séd demiror,
Quíd sit quam ob rem tánto opere omnis nós celare uólueris
Pártum, praesertím quom et recte et témpore suo pépererit.
Ádeon peruicáci esse animo, ut púerum praeoptarés perire,
Éx quo firmiórem inter nos fóre amicitiam pósthac scires,

Pótius quam aduorsús lubidinem ánimi tui esset cum íllo nupta!
Égo etiam illorum ésse hanc culpam crédidi, quae te ést penes.
MY. Mísera sum. PH. Vtinam scíam ita esse istuc! séd nunc mi in mentém uenit
De hác re quod locúta es olim, quom íllum generum cépimus:
Nám negabas núptam posse fíliam tuam té pati
Cúm eo qui meretrícem amaret, quí pernoctarét foris.
MY. Quámuis causam hunc súspicari quam ípsam ueram máuolo.
PH. Múlto prius sciuí quam tu illum habére amicam, Mýrrina;
Vérum id uitium númquam decreui ésse ego adulescéntiae;
Nám id innatumst. át pol iam aderit, sé quoque etiam quom óderit.
Sed ut ólim te ostendísti, eadem esse níl cessauisti úsque adhuc,
Vt fíliam ab eo abdúceres neu quód ego egissem essét ratum.
Id núnc res indicium haéc facit, quo pácto factum uólueris.
MY. Ádeon me esse péruicacem cénses, quoi matér siem,
V́t eo essem animo, si éx usu esset nóstro hoc matrimónium?
PH. Tún prospicere aut iúdicare nóstram in rem quod sít potes?
Aúdisti ex aliquó fortasse, quí uidisse eum díceret
Exeuntem aut íntro euntem ad amícam. quid tum póstea?
Sí modeste ac ráro fecit [haec], nónne ea dissimuláre nos
Mágis humanumst quám dare operam id scíre, qui nos óderit?
Nám si is posset áb ea sese dérepente auéllere,
Quácum tot consuésset annos, nón eum hominem dúcerem

Néc uirum satis firmum gnatae. My. Mítte adulescentem óbsecro
Ét quae me peccásse aïs. abi, sólus solum cónueni,
Róga uelitne an nón uxorem: si ést ut dicat uélle se,
Rédde; sin est aútem ut nolit, récte ego consului meae.
Ph. Síquidem ille ipse nón uolt et tu sénsti in eo esse, Mýrrina,
Péccatum: aderam, quoíus consilio pár fuerat ea próspici.
Quam ób rem incendor íra, esse ausam fácere haec te iniussú meo.
Ínterdico ne éxtulisse extra aédis puerum usquám uelis.
Séd ego stultiór, meis dictis quí parere hanc postulem.
Íbo intro atque edícam seruis, né quoquam ecferrí sinant. —
My. Nullám pol credo múlierem me míseriorem uíuere:
Nam ut híc laturus hóc siet, si ipsám rem ut sit rescíuerit,
Non édepol clam me est, quom hóc quod leuiust tám animo irató tulit;
Nec quá uia senténtia eius póssit mutarí scio.
Hoc mi únum ex plurimís miseriis rélicuom fuerát malum,
Si púerum ut tollam cógit, quoius nos quí sit nescimús pater.
Nam quóm compressast gnáta, forma in ténebris nosci nón quitast,
Neque détractum eï est quícquam, qui post póssit nosci quí siet;
Ipse éripuit ui, in dígito quem habuit, uírgini abiens ánulum.
Simul uéreor Pamphilúm ne orata nóstra nequeat diútius
Celáre, quom sciét alienum púerum tolli pró suo.

ACTVS IV.

Sostrata Pamphilvs (Laches)
mvlier advlescens senex

IV,2 So. Non clám me est, gnate mí, tibi me esse súspectam, uxorém tuam
Proptér meos mores hínc abisse, etsi éa dissimulas sédulo.
Verum íta me di ament ítaque obtingant éx te quae exoptó mihi,
Vt númquam sciens commérui, merito ut cáperet odium illám mei.
Teque ánte quod me amáre rebar, eí rei firmastí fidem;
Nam mi íntus tuos patér narrauit módo, quo pacto me hábueris
Praepósitam amori tuó: nunc tibi me cértumst contra grátiam
Reférre, ut apud me praémium esse pósitum pietatí scias.
Mi Pámphile, hoc et uóbis et meae cómmodum famae árbitror:
Ego rús abituram hinc cúm tuo me esse cérto decreuí patre,
Ne méa praesentia óbstet neu causa úlla restet rélicua,
Quin túa Philumena ád te redeat. Pa. Quaéso quid istuc cónsilist?
Illíus stultitia uícta ex urbe tú rus habitatúm migres?
Haud fácies, neque sinam út qui nobis, máter, male dictúm uelit,
Mea pértinacia ésse dicat fáctum, haud tua modéstia.
Tum tuás amicas te ét cognatas déserere et festós dies

Mea caúsa nolo. So. Níl [pol] iam istae res míhi uoluptatís ferunt:
Dum aetátis tempus túlit, perfuncta sátis sum: satias iám tenet
Studiórum istorum. haec míhi nunc curast máxuma, ut ne quoí mea
Longínquitas aetátis obstet mórtemue expectét meam.
Hic uídeo me esse inuísam inmerito: témpust me concédere.
Sic óptume, ut ego opínor, omnis caúsas praecidam ómnibus:
Et me hác suspicióne exsoluam et íllis morem géssero.
Sine me óbsecro hoc ecfúgere, uolgus quód male audit múlierum.
PA. Quam fórtunatus céteris sum rébus, absque una hác foret,
Hanc mátrem habens talem, íllam autem uxorem! So. Óbsecro, mi Pámphile,
Non túte incommodám rem, ut quaeque est, ín animum inducés pati?
Si cétera ita sunt út uis itaque uti ésse ego illa existumo,
Mi gnáte, da ueniam hánc mihi, redduc íllam. PA. Vae miseró mihi!
So. Et míhi quidem; nam haec rés non minus me mále habet quam te, gnáte mi.

LACHES SOSTRATA PAMPHILVS
SENEX MVLIER ADVLESCENS

LA. Quem cum ístoc sermonem hábueris, procul hínc stans accepi, úxor. IV,3
Ístuc sapere est, qui úbi quomque opus sit ánimum possit fléctere.
[Quod faciendum sit post fortasse, idem hoc nunc si feceris.]
So. Fórs fuat pol. LA. Ábi rus ergo hinc: íbi ego te et tu mé feres.

So. Speró mecastor. La. Í ergo intro et compóne quae tecúm simul
Ferántur: dixi. So. Ita út iubes faciám.—Pa. Pater.
La. Quíd uis, Pamphile? Pa. Hínc abire mátrem? minume. La. Quíd ita *tu* istuc [uis]?
Pa. Quía de uxore incértus sum etiam quíd sim facturús. La. Quid est?
Quíd uis facere nísi redducere? Pa. Équidem cupio et uíx contineor;
Séd non minuam meúm consilium: ex úsu quod est, id pérsequar:
Non crédo ea gratiá concordes mágis, si redducám, fore.
La. Néscio: uerúm tua re fert níl, utrum illaec fécerint,
Quándo haec aberit. ódiosa haec est aétas adulescéntulis.
É medio aequom excédere est: postrémo nos iam fábul*a*
Sumus, Pámphile, 'senex átque anus.'
Sed uídeo Phidippum égredi per témpus: accedámus.

Phidippvs Laches Pamphilvs
senes II advlescens

IV, 4 Ph. Tibí quoque edepol sum íratus, Philúmena,
Grauitér quidem; nam hercle fáctumst abs te túrpiter.
Etsí tibi causast de hác re: mater te ínpulit.
Huic uéro nullast. La. Ópportune té mihi,
Phidíppe, in ipso témpore ostendís. Ph. Quid est?
Pa. Quid réspondebo his? aút quo pacto hoc óperiam?
La. Dic fíliae rus cóncessuram hinc Sóstratam:
Ne réuereatur, mínus iam quo redeát domum. Ph. Ah,
Nullám de his rebus cúlpam commeruít tua:
A Mýrrina haec sunt méa uxore exorta ómnia.

Pa. Mutátio fit. *Ph.* Éa nos perturbát, Laches.
Pa. Dum né redducam, túrbent porro quám uelint.
Ph. Ego, Pámphile, esse intér nos, si fierí potest,
Adfinitatem hanc sáne perpetuám uolo;
Sin ést ut aliter túa *ista sit* senténtia,
Accípias puerum. Pa. Sénsit peperisse: óccidi.
La. Puerúm? quem puerum? Ph. Nátus est nobís nepos.
Nam abdúcta a uobis praégnas fuerat filia,
Neque fuísse praegnatem úmquam ante hunc sciuí diem.
La. Bene, íta me di ament, núntias, et gaúdeo
Natum íllum et tibi illam sáluam. sed quid múlieris
Vxórem habes aut quíbus moratam móribus?
Nosne hóc celatos tám diu! nequeó satis,
Quam hoc míhi uidetur fáctum praue, próloqui.
Ph. Non tíbi illud factum mínus placet quam míhi, Laches.
Pa. Etiám si dudum fúerat ambiguom hóc mihi,
Nunc nón est, quom eam séquitur alienús puer.
La. Nullá tibi, Pamphile, híc iam consultátiost.
Pa. Perii. La. Húnc uidere saépe optabamús diem,
Quom ex te ésset aliquis, quí te appellarét patrem.
Euénit: habeo grátiam dis. Pa. Núllus sum.
La. Reddúc*e* uxorem ac nóli aduorsarí mihi.
Pa. Patér, si ex me illa líberos uellét sibi
Aut sé esse mecum núptam, satis certó scio,
Non clám me haberet quód celasse intéllego.
Nunc quom éius alienum á me esse animum séntiam
(Nec cónuenturum intér nos posthac árbitror),
Quam ob rém redducam? La. Máter quod suasít sua,
Aduléscens mulier fécit. mirandúmne id est?
Censén te posse réperire ullam múlierem,
Quae cáreat culpa? an quí non delincúnt uiri?
Ph. Vosmét uidete iám, Laches et tu Pámphile,
Remíssan opus sit uóbis, redductán domum:
Neutra ín re uobis dífficultas á me erit.

Vxór quid faciat, ín manu non ést mea.
Sed quíd faciemus púero? La. Ridiculé rogas:
Quidquíd futurumst, huíc suom reddas scílicet,
Vt alámus nostrum. Pa. Quem ípse neclexít pater,
Ego alám? La. Quid dixti? eho an nón alemus, Pámphile?
Prodémus quaeso pótius? quae haec améntiast?
Enim uéro prorsus iám tacere nón queo;
Nam cógis ea quae nólo ut praesente hóc loquar.
Ignárum censes tuárum lacrumarum ésse me?
Aut quíd sit id quod sóllicitere ad húnc modum?
Primum hánc ubi dixti caúsam, te proptér tuam
Matrém non posse habére hanc uxorém domi,
Pollícitast ea se cóncessuram ex aédibus.
Nunc póstquam ademptam hanc quóque tibi causám uides,
Puér quia clam te est nátus, nactus álteram es.
Errás, tui animi sí me esse ignarúm putas.
Aliquándo tandem huc ánimum ut adiungás tuom,
Quam lóngum spatium amándi amicam tíbi dedi!
Sumptús quos fecisti ín eam quam animo aequó tuli!
Egi átque oraui técum uxorem ut dúceres,
Tempús dixi esse: inpúlsu duxistí meo.
[Quae tum obsecutus mihi fecisti ut decuerat.]
Nunc ánimum rursum ad méretricem *ad*duxtí tuom:
[Cui tu obsecutus facis huic adeo iniuriam.]
Nam in eándem uitam té reuolutum dénuo
Video ésse. Pa. Mene? La. Te ípsum: et facis iniúriam:
Confíngis falsas caúsas ad discórdiam,
Vt cum ílla uiuas, téstem hanc quom abs te amóueris.
Sensítque adeo uxor; nam eí causa alia quaé fuit,
Quam ob rem ábs te abiret? Ph. Pláne hic diuinát: nam id est.
Pa. Dabo iús iurandum níl esse istorúm mihi. La. Ah,
Reddúce uxorem, aut quam ób rem non opus sít cedo.

PA. Non ést nunc tempus. LA. Púerum accipias; nam ís quidem
In cúlpa non est: póst de matre uídero.
PA. Omníbus modis misér sum nec quid agám scio:
Tot mé nunc rebus míserum concludít pater.
Abíbo hinc, praesens quándo promoueó parum.
Nam púerum iniussu crédo non tollént meo,
Praesértim in ea re quóm sit mi adiutríx socrus.
LA. Fugis? hém, nec quicquam cérti respondés mihi? —
Num tíbi uidetur ésse apud sesé? sine:
Puerúm, Phidippe, míhi cedo: ego alam. PH. Máxume.
Non mírum fecit mea úxor, si hoc aegré tulit:
Amárae mulierés sunt, non facile haéc ferunt.
Proptérea haec irast; nam ípsa narrauít mihi.
Id ego hóc praesente tíbi nolueram dícere,
Neque illí credebam prímo: nunc uerúm palamst.
Nam omníno abhorrere ánimum huic uideo a núptiis.
LA. Quid érgo agam, Phidíppe? quid das cónsili?
PH. Quid agás? meretricem hanc prímum adeundam cénseo:
Orémus, accusémus, grauius dénique
Minitémur, si cum illo hábuerit rem póstea.
LA. Faciam út mones. eho púer*e*, curre ad Bácchidem hanc
Vicínam nostram: huc éuoca uerbís meis.
At te óro porro in hác re adiutor sís mihi. PH. Ah,
Iam dúdum dixi idémque nunc dicó, Laches:
Manére adfinitátem hanc inter nós uolo,
Si ulló modo est ut póssit: quod speró fore.
Sed uín adesse me úna, dum istam cónuenis?
LA. Immo uéro abi, aliquam púero nutricém para.

BACCHIS MERETRIX LACHES SENEX

BA. Non hóc de nihilost, quód Laches me núnc conuentam esse éxpetit; V, 1
Nec pól me multum fállit, quin quod súspicor sit quód uelit.

La. Vidéndumst ne minus própter iram h*in*c ímpetrem quam póssiem,
Aut né quid faciam plús, quod post me mínus fecisse sátius sit.
Adgrédiar. Bacchis, sálue.
Ba. Salué, Laches. La. Credo édepol te non níl mirari, Bácchis,
Quid sít quapropter te húc foras puerum éuocare iússi.
Ba. Ego pól quoque etiam tímida sum, quom uénit [mi] in mentem quaé sim,
Ne nómen mihi quaesti óbs*i*et; nam móres facile tútor.
La. Si uéra dicis, níl tibi est a mé pericli, múlier;
Nam ea aetáte iam sum, ut nón siet peccáto mi ignosci aéquom:
Quo mágis omnis res caútius ne témere faciam adcúro.
Nam sí facis factúraue es, bonás quod par est fácere:
Inscítum offerre iniúriam tibi ínmerenti iníquom est.
Ba. Est mágna*m* ecastor grátia*m* de istác re qu*od* tibi hábeam;
Nam quí post factam iniúriam se expúrget, parum mi prósit.
Séd quid istuc est? La. Meúm receptas filium ad te Pámphilum.
Ba. Áh. La. Sine dicam: [uxorem] hanc príus quam duxit, uóstrum amorem pértuli.
Máne: non dum etiam díxi id quod *te* uólui. hic nunc uxórem habet:
Quaére alium tibi firmiorem amícum, dum tibi témpus [consulendi] est;
Nám neque ille hoc animo érit aetatem néque pol [tu eadem] ista aetás *tibi.*
Ba. Quís id aït? La. Socrus. Ba. Méne? La. Te ipsam: et filiam abduxít suam,
Púerumque ob eam rém clam uoluit, nátus qui est, extínguere.

Ba. Si áliud scirem quí firmare méam apud uos possém fidem,
Sánctius quam iús iurandum, id póllicerer tíbi, Laches,
Ségregatum habuísse, uxorem ut dúxit, a me Pámphilum.
La. Lépida es. sed scin, quíd uolo potius sódes facias? Ba. Quíd? cedo.
La. Eás ad mulierés huc intro atque ístuc ius iurándum item
Pólliceare illís. exple animum eis téque hoc crimine éxpedi.
Ba. Fáciam, quod pol, si ésset alia ex hóc quaestu, haud facerét, scio,
Vt de tali caúsa nuptae múlieri se osténderet.
Séd nolo esse fálsa fama gnátum suspectúm tuom,
Néc leuiorem uóbis, quibus est mínume aequom, eum uidérier
Ínmerito; nam méritus de me est, quód queam illi ut cómmodem.
La. Fácilem beniuolúmque lingua túa iam tibi me réddidit:
Nám non sunt solae árbitratae haec; égo quoque etiam crédidi.
Núnc quam ego te esse praéter nostram opínionem cómperi,
Fác eadem ut sis pórro: nostra utére amicitia, út uoles.
Áliter si faciés . . reprimam me, ne aégre quicquam ex me aúdias.
Vérum hoc te moneo únum, amicus quális sim aut quid póssiem
Pótius quam inimicús, periclum fácias.

Phidippvs Laches Bacchis
senes ii meretrix

Ph. Nil apud mé tibi V, 3
Deféeri patiar, quín benigne quód opust praebeátur.
Sed quóm tu satura atque ébria eris, ut púer satur sit fácito.

LA. Nostér socer, uideó, uenit: pueró nutricem addúcit.
Phidíppe, Bacchis déierat persáncte. PH. Haecine east? LA. Haéc est.
PH. Nec pól istae metuont deós neque has respícere deos opínor.
BA. Ancíllas dedo: quólubet cruciátu per me exquíre.
Haec rés hic agitur: Pámphilo me fácere ut redeat úxor
Opórtet: quod si pérficio, non paénitet me fámae,
Solám fecisse id quód aliae meretríces facere fúgitant.
LA. Phidíppe, nostras múlieres suspéctas fuisse fálso
Nobís in re ipsa inuénimus: porro hánc nunc experiámur.
Nam sí compererit crímini tua [se uxor] fálso credidísse,
Missam íram faciet; sín, *ut* est, ob eám rem iratus gnátus*t*,
Quod péperit uxor clam, íd leuest: cito áb eo haec ira abscédet.
Profécto in hac re níl malist, quod sít discidio dígnum.
PH. Velím quidem hercle. LA. Exquíre: adest: quod sátis sit, faciet ípsa.
PH. Quid mi ístaec narras? án quia non tu ípse dudum audísti,
De hac re ánimus meus ut sít, Laches? illís modo explete ánimum. —
LA. Quaeso édepol, Bacchis, quód mihi es pollícita tute ut sérues.
BA. Ob eám rem uin ergo íntro eam? LA. I, [atque] exple ánimum eis, coge ut crédant.
BA. Eo, etsí scio pol eís fore meum cónspectum inuisum hódie.
[Nam nupta meretrici hostis est, a uiro ubi segregatast.
LA. At haec amicae erunt, ubi quam ob rem adueneris resciscent:]

La. At eásdem amicas fóre tibi promítto, rem ubi cognórint;
Nam illás errore et té simul suspícione exsólues.
Ba. Perií, pudet Philúmenae. me séquimini intro huc ámbae. —
La. Quid est quód mihi malim quám quod huic intéllego eueníre,
Vt grátiam ineat síne suo dispéndio et mihi prósit?
Nam si ést ut haec nunc Pámphilum uere áb se segregárit,
[Scit sibi nobilitatem ex eo et rem natam et gloriam esse:]
Referét gratum eï unáque nos sibi ópera amicos iúnget.

ACTVS V.

Parmeno Bacchis
servos meretrix

Pa. Édepol ne meam érus esse operam députat paruí preti, V,3
Qui ób rem nullam mísit, frustra ubi tótum desedí diem,
Mýconium hospitém dum expecto in árce Callidémidem.
Ítaque ineptus hódie dum illi sédeo, ut quisque uénerat,
Áccedebam: ‘aduléscens, dic dum *mí* quaeso, es tu Mýconius?’
“Nón sum.” ‘at Callidémides?’ “non.” ‘hóspitem ecquem Pámphilum
Híc habes?’ omnés negabant: néque eum quemquam esse árbitror.
Dénique hercle iám pudebat: ábii. sed quid Bácchidem

Áb nostro adfine éxeuntem uídeo? quid huic hic ést reï?
Ba. Pármeno, opportúne te offers: própere curre ad Pámphilum.
Pa. Quíd eo? **Ba.** Dic me oráre ut ueniat. **Pa.** Ád te? **Ba.** Immo ad Philúmenam.
Pa. Quíd reï est? **Ba.** Tua quód nil re fert, pércontari désinas.
Pa. Níl aliud dicam? **Ba.** Étiam: cognosse ánulum illum Mýrrinam
Gnátae suae fuísse, quem ipsus ólim mi dederát. **Pa.** Scio.
Tántumne est? **Ba.** Tantum: áderit continuo, hóc ubi ex te audíerit.
Séd cessas? **Pa.** Minume équidem; nam hodie míhi potestas haúd datast:
Íta cursando atque ámbulando tótum hunc contriuí diem.

Bacchis
MERETRIX

Ba. Quantam óbtuli aduentú meo laetítiam Pamphilo hódie!
Quod cómmodas res áttuli! quod aútem ademi cúras!
Gnatum eí restituo, quí paene harunc ípsiusque opera périit;
Vxórem, quam numquam ést ratus posthác se habiturum, réddo;
Qua ré suspectus suó patri et Phidíppo fuit, exsólui:
Hic ádeo his rebus ánulus fuit ínitium inueniúndis.
Nam mémini abhinc mensís decem fere ád me nocte príma
Confúgere anhelantém domum sine cómite, uini plénum,
Cum hoc ánulo: extimui ílico: 'mi Pámphile,' inquam 'amábo,
Quid éxanimatus óbsecro es? [aut] unde ánulum istum náctu's?

Dic mi.' ílle alias res ágere se simuláre. postquam id uídeo,
Nescío quid suspicárier, magis coépi instare ut dícat.
Homo sé fatetur ui ín uia nescío quam compressísse,
Dicítque sese illi ánulum, dum lúctat, detraxísse.
Eum haéc cognouit Mýrrina in dígito modo me habénte.
Rogat únde sit: narro ómnia haec: inde ést cognitio fácta,
Philúmenam compréssam esse ab eo et fílium inde hunc nátum.
Haec tót propter me gaúdia illi cóntigisse laétor:
Etsi hóc meretrices áliae nolunt; néque enim est in rem nóstram,
Vt quísquam amator núptiis laetétur. uerum ecástor
Numquam ánimum quaesti grátia ad malás adducam pártis.
Ego dum íllo licitumst úsa sum benígno et lepido et cómi.
Incómmode mihi núptiis euénit, factum fáteor:
At pól me fecisse árbitror, ne id mérito mi eueníret.
Multa éx quo fuerint cómmoda, eius incómmoda aequomst férre.

PAMPHILVS ADVLESCENS — PARMENO SERVOS — BACCHIS MERETRIX

PAM. Víde, mi Parmeno, étiam sodes, út mi haec certa et clára attuleris, V,4
Né me in breue con*l*ícias tempus gaúdio hoc falsó frui.
PAR. Vísumst. PAM. Certen? PAR. Cérte. PAM. Deus sum, si hóc itast. PAR. Verum réperies.
PAM. Máne dum sodes: tímeo ne aliud crédam atque aliud núnties.
PAR. Máneo. PAM. Sic te díxe opinor, ínuenisse Mýrrinam

Bácchidem anulúm suom habere. Par. Fáctum. Pam. Eum quem olim eí dedi:
Éaque hoc te mihi núntiare iússit. itane est fáctum? Par. Ita, inquam.
Pam. Quís me est fortunátior uenustátisque adeo plénior?
Égone te pro hoc núntio quid dónem? quid? quid? néscio.
Par. Át ego scio. Pam. Quid? Par. Nil enim;
Nám neque in nuntió neque in me ipso tíbi boni quid sít scio.
Pam. Egon qui ab orco mórtuom me réducem in lucem féceris,
Sinám sine munere á me abire? ah, nímium me ingratúm putas.
Sed Bácchidem eccam uídeo stare ante óstium:
Me expéctat credo: adíbo. Ba. Salue, Pámphile.
Pam. O Bácchis, o mea Bácchis, seruatríx mea!
Ba. Bene fáctum et uolup est. Pam. Fáctis ut credám facis;
Antíquamque adeo tuám uenustatem óbtines,
Vt uóluptati obitus, sérmo, aduentus túos, quo quomque aduéneris,
Sempér sit. Ba. At tu ecástor morem antíquom atque ingenium óbtines,
Vt únus omnium hómo te uiuat númquam quisquam blándior.
Pam. Hahahaé, tun mi istuc? Ba. Récte amasti, Pámphile, uxorém tuam;
Nam númquam ante hunc diém meis oculis eám, quod nossem, uíderam:
Perlíberalis uísast. Pam. Dic uerum. Ba. Íta me di ament, Pámphile.
Pam. Dic mi, hárum rerum núm quid dixti meó patri? Ba. Nil. Pam. Néque opus est
Adeó muttito. plácet non fieri hoc ítidem ut in comoédiis,
Omnia ómnes ubi rescíscunt. hic quos fúerat par rescíscere,
Sciúnt; quos non autem aéquomst scire, néque resciscent néque scient.

Ba. Ímmo etiam qui hoc óccultari fácilius credás dabo.
Mýrrina ita Phidíppo dixit iúre iurandó meo
Sé fidem habuisse ét propterea té sibi purgatum. Pam. Óptumest:
Spéroque hanc rem esse éuenturam nóbis ex senténtia. —
Par. Ére, licetne scíre ex te hodie, quíd sit quod feci boni?
Aút quid istuc est quód uos agitis? Pam. Nón licet. Par. Tamen súspicor:
Ego hunc ab orco mórtuom quo pácto . .! Pam. Nescis, Pármeno,
Quántum hodie profúeris mihi et ex quánta aerumna extráxeris.
Par. Ímmo [uero] scio, neque hóc inprudens féci. Pam. Ego istuc sátis scio. Par. A*h*,
Témere quicquam Pármeno praetéreat quod facto úsus sit?
Pam. Séquere me intro, Pármeno. Par. Sequor. équidem plus hodié boni
Féci inprudens quám sciens ante húnc diem umquam. *Cantor.* Plaúdite!

ADELPHOE.

INCIPIT TERENTI ADELPHOE
ACTA LVDIS FVNERALIB·
L·AEMELIO PAVLO [QVOS] FECERE
Q·FABIVS MAXVMVS P·CORNELIVS AFRICANVS
EG*IT* L·AMBIVIVS TVRPIO
[L·HATILIVS PRAENESTINVS]
MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI
TIBIS SARRANIS TOTA
GRAECA MENANDRV
FACTA VI·
M·CORNELIO CETHEGO L·ANICIO GALLO COS·

G. SVLPICI APOLLINARIS PERIOCHA.

Duós cum haberet Démea adulescéntulos,
Dat Mícioni frátri adoptandum Aéschinum,
Sed Ctésiphonem rétinet. hunc citharístriae
Lepóre captum súb duro ac tristí patre
Fratér celabat Aéschinus; famám reï,
Amórem in sese tránsferebat; dénique
Fidícinam lenoni éripit. uitiáuerat
Idem Aéschinus ciuem Átticam paupérculam
Fidémque dederat hánc sibi uxorém fore.
Deméa iurgare, gráuiter ferre; móx tamen
Vt uéritas patefáctast, ducit Aéschinus
Vitiátam, potitur Ctésipho citharístriam.

PERSONAE.

[PROLOGVS]
MICIO SENEX
DEMEA SENEX
SANNIO LENO
AESCHINVS ADVLESCENS
(MERETRIX [BACCHIS?])
(PARMENO SERVOS)
SYRVS SERVOS
CTESIPHO ADVLESCENS
SOSTRATA MATRONA
CANTHARA ANVS
GETA SERVOS
HEGIO SENEX
(PAMPHILA VIRGO)
DROMO PVER
CANTOR

PROLOGVS.

Postquám poëta sénsit scripturám suam
Ab iníquis obseruári et aduorsários
Rapere ín peiorem pártem quam acturí sumus
* * * * * * :
Indício de se ipse érit, uos eritis iúdices,
Laudín an uitio dúci id factum opórteat.
Synápothnescontes Díphili comoédiast:
Eam Cómmorientis Plaútus fecit fábulam.
In Graéca adulescens ést, qui lenoni éripit
Meretrícem in prima fábula: eum Plautús locum
Relíquit integrum. eum híc locum sumpsít sibi
In Adélphos, uerbum dé uerbo expressum éxtulit.
Eam nós acturi súmus nouam: pernóscite
Furtúmne factum exístumetis án locum
Reprénsum, qui praetéritus neclegéntiast.
Nam quód isti dicunt máliuoli, homines nóbilis
Hunc ádiutare adsídueque una scríbere:
Quod illí maledictum uéhemens esse exístumant,
Eam laúdem hic ducit máxumam, quom illís placet,
Qui uóbis uniuórsis et populó placent,
Quorum ópera in bello, in ótio, in negótio
Suo quísque tempore úsust sine supérbia.
Dehinc ne éxpectetis árgumentum fábulae:
Senés qui primi uénient, ei partem áperient,
In agéndo partem osténdent. facite aequánimitas
* * * * * *
Poëtae ad scribendum aúgeat indústriam.

ACTVS I.

Micio
SENEX

Storáx! — non rediit hác nocte a cena Aéschinus
Neque séruolorum quísquam, qui aduorsum íerant.
Profécto hoc uere dícunt: si absis úspiam
Atque íbi si cesses, éuenire ea sátius est,
Quae in te úxor dicit ét quae in animo cógitat
Iráta, quam illa quaé parentes própitii.
Vxór, si cesses, aút te amare cógitat
†Aut téte amari aut† pótare atque animo óbsequi.
[Et tibi bene esse soli, sibi quom sit male.]
Ego quía non rediit fílius quae cógito!
Quibus núnc sollicitor rébus! ne aut ille álserit
Aut úspiam cecíderit a*c* praefrégerit
Aliquíd. uah, quemquamne hóminem in animo instítuere
Paráre quod sit cárius quam ipse ést sibi!
Atque éx me hic natus nón est, sed ex fratre *ést* meo.
Dissímili is studiost iam índe ab adulescéntia:
Ego hánc clementem uítam urbanam atque ótium
Secútus sum et, quod fórtunatum istí putant,
Vxórem numquam habui. ílle contra haec ómnia:
Ruri ágere uitam; sémper parce ac dúriter
Se habére; uxorem dúxit; nati fílii
Duo: índe ego hunc maiórem adoptauí mihi;
Edúxi a paruolo, hábui, amaui pró meo;
In eó me oblecto, sólum id est carúm mihi.
Ille út item contra me hábeat facio sédulo:
Do, praétermitto, nón necesse habeo ómnia

Pro meó iure agere; póstremo, alii clánculum
Patrés quae faciunt, quaé fert adulescéntia,
Ea né me celet cónsuefeci filium.
Nam quí mentiri aut fállere insuerít patrem,
†Aut audebit† tanto mágis audebit céteros.
Pudóre et liberálitate líberos
Retinére satius ésse credo quám metu.
Haec frátri mecum nón conueniunt néque placent.
Venit ád me saepe clámans 'quid agis, Mício?
Quor pérdis adulescéntem nobis? quór amat?
Quor pótat? quor tu his rébus sumptum súggeris,
Vestítu nimio indúlges? nimium inéptus es.'
Nimium ípse est durus praéter aequomque ét bonum,
Et érrat longe meá quidem senténtia,
Qui impérium credat gráuius esse aut stábilius,
Vi quód fit, quam illud quód amicitia adiúngitur.
Mea síc est ratio et síc animum inducó meum:
Maló coactus quí suom officiúm facit,
Dum id réscitum iri crédit, tantispér pauet;
Si spérat fore clam, rúrsum ad ingeniúm redit.
Ille quém beneficio adiúngas ex animó facit,
Studet pár referre, praésens absensque ídem erit.
Hoc pátriumst, potius cónsuefacere filium
Sua spónte recte fácere quam alienó metu:
Hoc páter ac dominus ínterest. hoc quí nequit,
Fateátur nescire ímperare líberis.
Sed éstne hic ipsus, dé quo agebam? et cérte is est.
Nescío quid tristem uídeo: credo, iam út solet
Iurgábit. saluom te áduenire, Démea,
Gaudémus.

DEMEA MICIO
SENES II

I, 2 DE. Ehem, opportúne: te ipsum quaérito.
MI. Quid trístis es? DE. Rogás me? ubi nobis Aéschinus*t*?
Sciét quid tristis égo sim? MI. Dixin hóc fore?

Quid fécit? De. Quid ille fécerit? quem néque pudet
Quicquám nec metuit quémquam neque legém putat
Tenére se ullam. nam ílla quae antehac fácta sunt
Omítto: modo quid dissignauit? Mi. Quíd nam id est?
De. Forés ecfregit átque in aedis ínruit
Aliénas; ipsum dóminum atque omnem fámiliam
Mulcáuit usque ad mórtem; eripuit múlierem
Quam amábat: clamant ómnes indigníssume
Factum ésse. hoc adueniénti quod mihi, Mício,
Dixére! in orest ómni populo. dénique,
Si cónferendum exémplumst, non fratrém uidet
Rei dáre operam, ruri ésse parcum ac sóbrium?
Nullum húius simile fáctum. haec quom illi, Mício,
Dicó, tibi dico: tú illum corrumpí sinis.
Mi. Homine ímperito númquam quicquam iniústiust,
Qui nísi quod ipse fécit nil rectúm putat.
De. Quorsum ístuc? Mi. Quia tu, Démea, haec male iúdicas.
Non ést flagitium, míhi crede, adulescéntulum
Scortári, neque potáre: non est; néque fores
Ecfríngere. haec si néque ego neque tu fécimus,
Non síit egestas fácere nos. tu núnc tibi
Id laúdi ducis, quód tum fecisti ínopia?
Iniúriumst; nam si ésset unde id fíeret,
Facerémus. et tu illúm tuom, si essés homo,
Sinerés nunc facere, dúm per aetatém licet,
Potiús quam, ubi te expectátum eiecissét foras,
Aliéniore aetáte post facerét tamen.
De. Pro Iúppiter, tu homo ádigis me ad insániam!
Non ést flagitium fácere haec adulescéntulum? Mi. Ah,
Auscúlta, ne me optúndas de hac re saépius:
Tuom fílium dedísti adoptandúm mihi;
Is méus est factus: sí quid peccat, Démea,
Mihi péccat; ego illi máxumam partém fero.

Obsónat, potat, ólet unguenta: dé meo;
Amat: dábitur a me argéntum, dum erit cómmodum;
Vbi nón erit, fortásse excludetúr foras.
Forés ecfregit: réstituentur; díscidit
Vestém: resarciétur; et, dis grátia,
Est únde haec fiant, ét adhuc non molésta sunt.
Postrémo aut desine aút cedo quemuis árbitrum:
Te plúra in hac re péccare ostendam. De. Eí mihi,
Pater ésse disce ab íllis, qui ueré sciunt.
Mi. Natúra tu illi páter es, consiliís ego.
De. Tun cónsiliis quicquam? Mi. Áh, si pergis, ábiero.
De. Sicíne agis? Mi. An ego tótiens de eadem re aúdiam?
De. Curaést mihi. Mi. Et mihi cúraest. uerum, Démea,
Curémus aequam utérque partem: tu álterum,
Ego item álterum; nam ambós curare própemodum
Repóscere illum est quém dedisti. De. Ah, Mício!
Mi. Mihi síc uidetur. De. Quíd istic? si tibi istúc placet,
Profúndat perdat péreat, nil ad me áttinet.
Iam sí uerbum ullum pósthac . . Mi. Rursum, Démea,
Iráscere? De. An non crédis? repeton quém dedi?
Aegrést; alienus nón sum; si obsto . . em, désino.
Vnúm uis curem: cúro; et est dis grátia,
Quom ita út uolo est. isté tuos ipse séntiet
Postérius . . nolo in íllum grauius dícere. —
Mi. Nec níl neque omnia haéc sunt quae dicít tamen:
Non níl molesta haec súnt mihi, sed osténdere
Me aegré pati illi nólui. nam itást homo:
Quom pláco, aduorsor sédulo et detérreo,
Tamen uíx humane pátitur; uerum si aúgeam
Aut étiam adiutor sim éius iracúndiae,
Insániam profécto cum illo. etsi Aéschinus

Non núllam in hac re nóbis facit iniúriam.
Quam hic nón amauit méretricem? aut quoi nón dedit
Aliquíd? postremo núper (credo iam ómnium
Taedébat) dixit uélle uxorem dúcere.
Sperábam iam deféruisse adulescéntiam:
Gaudébam. ecce autem de íntegro! nisi quídquid est,
Volo scíre atque hominem cónuenire, si ápud forumst.

ACTVS II.

SANNIO AESCHINVS (PARMENO) [BACCHIS?]
LENO ADVLESCENS SERVOS (MERETRIX)

SA. Óbsecro, populáres, ferte mísero atque innocénti auxilium: II,1
Súbuenite inopi. AE. Ótiose: núnciam ilico híc consiste.
Quíd respectas? níl periclist: númquam, dum ego adero, híc te tanget.
SA. Égo istam inuitis ómnibus . .!
AE. Quamquámst scelestus, nón committet hódie umquam iterum ut uápulet.
SA. Aéschine, audi, né te ignarum fuísse dicas meórum morum:
Léno ego sum. AE. Scio. SA. Át ita, ut usquam fuít fide quisquam óptuma.
Tú quod te postérius purges, hánc iniuriám mihi nolle
Fáctam esse, huius non fáciam. crede hoc, égo meum ius pérsequar,
Néque tu uerbis sólues umquam, quód mihi re male féceris.
Nóui ego uostra haec 'nóllem factum: dábitur ius iurándum, indignum

Te ésse iniuria hác', indignis quom égomet sim acceptús modis.
Ae. Ábi prae strenue ác fores aperi. Sa. Céterum hoc nilí facis?
Ae. I íntro nunciám tu. Sa. Enim non sinam. Ae. Áccede illuc, Pármeno;
Nímium istuc abísti: hic propter húnc adsiste: em, síc uolo.
Caue núnciam oculos á meis oculis quóquam demoueás tuos,
Ne móra sit, si innuerím, quin pugnus cóntinuo in mala haéreat.
Sa. Istúc uolo ergo ipsum éxperiri. Ae. Em, sérua. omitte múlierem.
Sa. O indígnum facinus! Ae. Nísi caues, geminábit. Sa. Ei miseró mihi!
Ae. Non ínnueram; uerum ín istam partem pótius peccató tamen.
I núnciam. — Sa. Quid hóc reist? regnumne, Aéschine, hic tu póssides?
Ae. Si póssiderem, ornátus esses éx tuis uirtútibus.
Sa. Quid tíbi rei mecumst? Ae. Níl. Sa. Quid? nostin quí sim? Ae. Non desídero.
Sa. Tetigín tui quicquam? Ae. Si áttigisses, férres infortúnium.
Sa. Qui tíbi magis licét meam habere, pró qua ego argentúm dedi?
Respónde. Ae. Ante aedis nón fecisse erit mélius hic conuícium;
Nam sí molestus pérgis esse, iam íntro abripiere átque ibi
Vsque ád necem operiére loris. Sa. Lóris liber? Ae. Síc erit.
Sa. O hóminem inpurum! hicíne libertatem áiunt esse aequam ómnibus?
Ae. Si sátis iam debacchátus es, leno, aúdi si uis núnciam.
Sa. Egon débacchatus sum aútem an tu in me? Ae. Mitte ista atque ad rém redi.

Sa. Quam rém? quo redeam? Ae. Iámne me uis dícere id quod ad te áttinet?
Sa. Cupio, aéqui modo aliquíd. Ae. Vah, leno iníqua me non uólt loqui.
Sa. Lenó sum, perniciés communis, fáteor, adulescéntium,
Periúrus, pestis; támen tibi a me núlla ortast iniúria.
Ae. Nam hercle étiam hoc restat. Sa. Ílluc quaeso rédi, quo coepisti, Aéschine.
Ae. Minís uiginti tú illam emisti (quaé res tibi uortát male!):
Argénti tantum dábitur. Sa. Quid? si ego tíbi illam nolo uéndere,
Cogés me? Ae. Minume. Sa. Námque id metui. Ae. Néque uendundam cénseo,
Quae líberast; nam ego líberali illam ádsero causá manu.
Nunc uíde utrum uis, argéntum accipere an caúsam meditarí tuam.
Delíbera hoc, dum ego rédeo, leno. — Sa. Pró supreme Iúppiter,
Mínume miror qui ínsanire occípiunt ex iniúria.
Dómo me eripuit, uérberauit; me ínuito abduxít meam;
Hómini misero plús quingentos cólaphos infregít mihi.
Ób malefacta haec tántidem emptam póstulat sibi trádier.
Vérum enim quando béne promeruit, fíat: suom ius póstulat.
Áge iam cupio, sí modo argentum réddat. sed ego hoc háriolor:
Ýbi me dixeró dare tanti, téstis faciet ílico,
Véndidisse mé; de argento sómnium: 'mox; crás redi.'
Íd quoque possum férre, modo si réddat, quamquam iniúriumst.
Vérum cogito íd quod res est: quándo eum quaestum occéperis,

Áccipiunda et mússitanda iniúria adulescéntiumst.
Séd nemo dabít: frustra egomet mécum has rationés puto.

SYRVS SANNIO
SERVOS LENO

II, 2 SY. Tace, égomet conueniam ípsum: cupide accípiat faxo atque étiam
Bene dícat secum esse áctum. quid istuc, Sánnio, est, quod te aúdio
Nescío quid concertásse cum ero? SA. Númquam uidi iníquius
Certátionem cómparatam, quam haéc hodie inter nós fuit:
Ego uápulando, ille uérberando, usque ámbo defessí sumus.
SY. Tua cúlpa. SA. Quid facerem? SY. Ádulescenti mórem gestum opórtuit.
SA. Qui pótui melius, quí hodie usque os praébui? SY. Age, scis quíd loquar?
Pecúniam in locó neclegere máxumum interdúmst lucrum. hui,
Metuísti, si nunc dé tuo iure cóncessisses paúlulum,
Aduléscenti esses mórigeratus, hóminum homo stultíssume,
Ne nón tibi istuc faéneraret. SA. Égo spem pretio nón emo.
SY. Numquám rem facies: ábi, inescare néscis homines, Sánnio.
SA. Credo ístuc melius ésse; uerum ego númquam adeo astutús fui,
Quin quídquid possem mállem auferre pótius in praeséntia.
SY. Age nóui tuom animúm: quasi iam usquam tíbi sint uigintí minae,
Dum † huic óbsequare † praéterea autem te áiunt proficiscí Cyprum, SA. Hem.
SY. Coemísse hinc quae illuc uéheres multa, náuem conductam: hóc scio

Animús tibi pendet. úbi illinc spero rédieris tamen, hóc ages.
Sa. Nusquám pedem. perii hércle: hac illi spe hóc inceperúnt. Sy. Timet:
Iniéci scrupulum hómini. Sa. O scelera: illúd uide,
Vt in ípso articulo oppréssit. emptae múlieres
Complúres et item hinc ália quae portó Cyprum.
Nisi eo ád mercatum uénio, damnum máxumumst.
Nunc si hóc omitto ac túm agam ubi illinc rédiero,
Nil ést: refrixerít res: 'nunc demúm uenis?
Quor pássu's? ubi eras?' út sit satius pérdere
Quam aut núnc manere tám diu aut tum pérsequi.
Sy. Iamne énumerasti id quód ad te rediturúm putes?
Sa. Hocine íllo dignumst? hócine incipere Aéschinum,
Per oppréssionem ut hánc mi eripere póstulet?
Sy. Labáscit. unum hoc hábeo: uide si sátis placet:
Potiús quam uenias ín periclum, Sánnio,
Seruésne an perdas tótum, diuiduóm face;
Minás decem conrádet alicunde. Sa. Eí mihi,
Etiám de sorte núnc uenio in dubiúm miser?
Pudét nil? omnis déntis labefecít mihi,
Praetérea colaphis túber est totúm caput:
Etiam ínsuper defraúdat? nusquam abeo. Sy. Vt lubet:
Num quíd uis quin abeam? Sa. Ímmo hercle hoc quaesó, Syre:
Vt ut haéc sunt acta, pótius quam litís sequar,
Meum míhi reddatur, sáltem quanti emptást, Syre.
Scio té non usum antehác amicitiá mea:
Memorém me dices ésse et gratum. Sy. Sédulo
Faciám. sed Ctesiphónem uideo: laétus est
De amíca. Sa. Quid quod te óro? Sy. Paulispér mane.

CTESIPHO ADVLESCENS SANNIO LENO SYRVS SERVOS

II,3 CT. Abs quíuis homine, quóm est opus, beneficium accipere gaúdeas;
Verum énim uero id demúm iuuat, si quem aéquomst facere is béne facit.
O fráter frater, quíd ego nunc te laúdem? satis certó scio:
Numquam íta magnifice quícquam dicam, id uírtus quin superét tua.
Itaque únam hanc rem me habére praeter álios praecipuam árbitror,
Fratrem hómini nemini ésse primarum ártium magis príncipem.
SY. O Ctésipho. CT. O Syre, Aéschinus ubist? SY. Éllum, te expectát domi. CT. Hem.
SY. Quid est? CT. Quíd sit? illius ópera, Syre, nunc uíuo. festiuóm caput,
Qui *quom* ómnia sibi póst putavit ésse prae meo cómmodo,
Maledícta, famam, meúm laborem et péccatum in se tránstulit.
Nil póte supra. quid nám foris crepuit? SY. Máne, mane: ipse exít foras.

AESCHINVS CTESIPHO ADVLESCENTES II SYRVS SERVOS SANNIO LENO

II,4 AE. Vbist ílle sacrilegús? SA. Me quaerit. núm quid nam ecfert? óccidi:
Nil uídeo. AE. Ehem opportúne: te ipsum quaéro: quid fit, Ctésipho?
In tútost omnis rés: omitte uéro tristitiém tuam.
CT. Ego illam hércle uero omítto, qui quidem te hábeam fratrem: o mi Aéschine,
O mí germane! ah, uéreor coram in ós te laudare ámplius,
Ne id ádsentandi mágis quam quo habeam grátum facere exístumes.

Ae. Age inépte, quasi nunc nón norimus nós inter nos, Ctésipho.
Hoc míhi dolet, nos séro *re*scisse ét *rem* paene in eúm locum
Redísse, ut si omnes cúperent tibi nil póssent auxiliárier.
Ct. Pudébat. Ae. Ah, stultítiast istaec, nón pudor. tam ob páruolam
Rem paéne e patria! túrpe dictu. deós quaeso ut istaec próhibeant.
Ct. Peccáui. Ae. Quid aït tándem nobis Sánnio? Sy. Iam mítis est.
Ae. Ego ád forum ibo, ut húnc absoluam; tu *i* íntro ad illam, Ctésipho.
Sa. Syre, ínsta. Sy. Eamus; námque hic properat ín Cyprum. Sa. N*on* tám quidem,
Quam uís: etiam maneo ótiosus híc. Sy. Reddetur: né time.
Sa. At ut ómne reddat. Sy. Ómne reddet; táce modo ac sequere hác. Sa. Sequor. —
Ct. Heus heús, Syre. Sy. Quid est? Ct. Óbsecro te hercle, hóminem istum inpuríssumum
Quam prímum absoluitóte, ne, si mágis inritatús siet,
Aliqua ád patrem hoc permánet atque ego túm perpetuo périerim.
Sy. Non fiet, bono animo és: tu cum illa te íntus oblecta ínterim
Et léctulos iube stérni nobis ét parari cétera.
Ego iám transacta ré conuortam mé domum cum obsónio.
Ct. Ita quaéso. quando hoc béne successit, hílarem hunc sumamús diem.

ACTVS III.

SOSTRATA CANTHARA
MVLIER ANVS

III,1 So. Óbsecro, mea nútrix, quid nunc fíet? Ca. Quid fiát rogas?
Recte édepol spero. módo dolores, méa tu, occipiunt prímulum:
Iam núnc times, quasi númquam adfueris, númquam tute pépereris?
So. Miserám me, neminem hábeo, solae súmus; Geta autem hic nón adest;
Néc quem ad obstetrícem mittam, néc qui accersat Aéschinum.
Ca. Pól is quidem iam hic áderit; nam numquam únum intermittít diem,
Quin sémper ueniat. So. Sólus mearum míseriarumst rémedium.
Ca. É re nata mélius fieri haud pótuit quam factúmst, era,
Quándo uitium oblátumst, quod ad illum áttinet potíssumum,
Tálem, tali *ingénio* atque animo, nátum ex tanta fámilia.
So. Íta pol est ut dícis: saluos nóbis deos quaeso út siet.

GETA SOSTRATA CANTHARA
SERVOS MVLIER ANVS

III,2 Ge. Nunc íllud est, quom, si ómnia omnes súa consilia cónferant
Atque huíc malo salútem quaerant, aúxili nil ádferant,
Quod míhique eraeque filiaeque erílist. uae miseró mihi!

Tot rés repente círcumuallant se, únde emergi nón potest:
Vís egestas íniustitia sólitudo infámia.
Hócine saeclum! o scélera, o genera sácrilega, o hominem ínpium!
So. Me míseram, quid nam est quód sic uideo tímidum et properantém Getam?
Ge. Quem néque fides neque iús iurandum néque illum misericórdia
Représsit neque refléxit neque quod pártus instabát prope,
Quoi míserae indigne pér uim uitium obtúlerat. So. Non intéllego
Sátis quae loquitur. Ca. Própius obsecro áccedamus, Sóstrata. Ge. Ah,
Me míserum, uix sum cómpos animi, ita árdeo iracúndia.
Nil ést quod malim quam íllam totam fámiliam dari mi óbuiam,
Vt ego hánc iram in eos éuomam omnem, dum aégritudo haec ést recens.
[Satis mihi id habeam supplici, dum illos ulciscar modo.]
Seni ánimam primum extínguerem ipsi, qui íllud produxít scelus;
Tum autém Syrum inpulsórem, uah, quibus íllum lacerarém modis!
Sublíme*n* medium arríperem et capite pr*ón*um in terra státuerem,
Vt cérebro dispergát uiam.
Ádulescenti ipsi ériperem oculos, póst haec praecipitém darem.
Céteros ruerem ágerem raperem, túnderem et prostérnerem.
Sed césso eram hoc malo ínpertire própere? So. Reuocemús: Geta. Ge. Hem,
Quísquis es, sine me. So. Égo sum Sostrata. Ge. Vbi east? te ipsam quaérito,
Te éxpecto; oppido ópportune te óbtulisti mi óbuiam.

Éra . . So. Quid est? quid trépidas? Ge. Ei mi! Ca. Quíd festinas, mí Geta?
Ánimam recipe. Ge. prórsus . . So. Quíd istuc 'prórsus' ergost? Ge. périimus.
Áctumst. So. Eloquere, óbsecro te, quíd *fit*? Ge. Iam . . So. Quid 'iám', Geta?
Ge. Aéschinus . . So. Quid is érgo? Ge. alienus ést ab nostra fámilia. So. Hem,
Périi. qua re? Ge. Amáre occepit áliam. So. Vae miseraé mihi!
Ge. Néque id occulte fért, a lenone ípsus eripuít palam.
So. Sátine hoc certumst? Ge. Cértum. hisce oculis égomet uidi, Sóstrata. So. Ah,
Me míseram! quid iam crédas? aut quoi crédas? nostrumne Aéschinum,
Nostrám uitam omnium, ín quo nostrae spés opesque omnés sitae
Erant? quí sine hac iurábat se unum númquam uicturúm diem?
Qui se ín sui gremió positurum púerum dicebát patris,
Ita óbsecraturum, út liceret hánc sibi uxorem dúcere?
Ge. Era, lácrumas mitte ac pótius quod ad hanc rem ópus est porro próspice:
Patiámurne an narrémus quoipiam? Ca. Aú au, mi homo, sánun es?
An hoc próferendum tíbi uidetur úsquam? Ge. Mi quidem nón placet.
Iam prímum illum alieno ánimo a nobis ésse res ipsa índicat.
Nunc si hóc palam proférimus, ille infítias ibit, sát scio:
Tua fáma et gnatae uíta in dubium uéniet. tum si máxume
Fateátur, quom amet áliam, non est útile hanc illí dari.
Quaprópter quoquo pácto tacitost ópus. So. Ah, minume géntium:

Non fáciam. Ge. Quid ages? So. Próferam. Ca. Hem, mea Sóstrata, uide quám rem agas.
So. Peióre res locó non potis est ésse quam in quo núnc sitast.
Primum índotatast; túm praeterea, quaé secunda ei dós erat,
Periít: pro uirginé dari nuptum nón potest. hoc rélicuomst:
Si infitias ibit, téstis mecum est ánulus quem amíserat.
Postrémo quando ego cónscia mihi sum á me culpam esse hánc procul
Neque prétium neque rem ullam íntercessisse ílla aut me indignám, Geta,
Expériar. Ge. Quid istic? cédo, ut melius dícis. So. Tu quantúm potest
Abi atque Hégioni cógnato eius rem énarrato omnem órdine;
Nam is nóstro Simuló fuit summus ét nos coluit máxume.
Ge. Nam hercle álius nemo réspicit nos. So. Própere tu, mea Cánthara,
Curre, óbstetricem accérse, ut quom opus sit ne ín mora nobís siet.

Demea Syrvs
SENEX SERVOS

De. Dispérii! Ctesiphónem audiui fílium III,3
Vná fuisse in ráptione cum Aéschino.
Id mísero restat míhi mali, si illúm potest,
Qui aliquoí reist etiam, eum ád nequitiem addúcere.
Vbi ego íllum quaeram? crédo abductum in gáneum
Aliquó: persuasit ílle inpurus, sát scio.
Sed eccúm Syrum ire uídeo: iam hinc scibo úbi siet.
Atque hércle hic de grege íllost: si me sénserit

Eum quaéritare, númquam dicet cárnufex.
Non óstendam id me uélle. Sy. Omnem rem módo seni
Quo pácto haberet, énarramus órdine:
Nil quícquam uidi laétius. De. Pro Iúppiter,
Hominís stultitiam! Sy. Cónlaudauit filium;
Mihi, qui íd dedissem cónsilium, egit grátias.
De. Disrúmpor! Sy. Argentum ádnumerauit ílico;
Dedít praeterea in súmptum dimidiúm minae;
Id dístributum sáne est ex senténtia. De. Hem,
Huic mándes, si quid récte curatúm uelis.
Sy. Ehem Démea, haud aspéxeram te. quíd agitur?
De. Quid agátur? uostram néqueo mirarí satis
Ratiónem. Sy. Est hercle inépta; ne dicám dolo,
Absúrda. piscis céteros purgá, Dromo;
Gongrum ístum maxumum ín aqua sinito lúdere
Tantísper: ubi ego rédiero, exossábitur;
Prius nólo. De. Haecine flagítia? Sy. Mi quidem nón placent,
Et clámo saepe. sálsamenta haec, Stéphanio,
Fac mácerentur púlchre. De. Di uostrám fidem,
Vtrúm studione id síbi habet an laudí putat
Fore, sí perdiderit gnátum? uae miseró mihi!
Vidére uideor iám diem illum, quom hinc egens
Profúgiet aliquo mílitatum. Sy. O Démea,
Istúc est sapere, nón quod ante pedés modost
Vidére, sed etiam ílla quae futúra sunt
Prospícere. De. Quid? istaec iám penes uos psáltriast?
Sy. Ellam íntus. De. Eho, an domíst habiturus? Sy. Crédo, ut est
Deméntia. De. Haecin fieri! Sy. Inepta lénitas
Patris ét facilitas práua. De. Fratris mé quidem
Pudét pigetque. Sy. Nímium inter uos, Démea,
(Non quía ades praesens díco hoc) pernimium ínterest.
Tu, quántus quantu's, níl nisi sapiéntia es,
Ille sómnium. *num* síneres uero illúm tuom

Facere haéc? De. Sinerem illum? aut nón sex totis ménsibus
Prius ólfecissem, quám ille quicquam coéperet?
Sy. Vigilántiam tuam tú mihi narras? De. Síc siet
Modo ut núnc est, quaeso. Sy. Vt quísque suom uolt ésse, itast.
De. Quid eúm? uidistin hódie? Sy. Tuomne filium?
Abigam húnc rus. iam dudum áliquid ruri agere árbitror.
De. Satin scís ibi esse? Sy. Oh, qui égomet produxi. De. Óptumest:
Metuí ne haereret híc. Sy. Atque iratum ádmodum.
De. Quid aútem? Sy. Adortust iúrgio fratrem ápud forum
De psáltria istac. De. Aín uero? Sy. Ah, nil réticuit.
Nam ut númerabatur fórte argentum, intéruenit
Homo de ínprouiso: coépit clamare 'o Aéschine,
Haecíne flagitia fácere te! haec te admíttere
Indígna genere nóstro!' De. Oh, lacrumo gaúdio!
Sy. 'Non tu hóc argentum pérdis, sed uitám tuam.'
De. Saluós sit! spero, est símilis maiorúm suom. Sy. Hui.
De. Syre, praéceptorum plénust istorum ílle. Sy. Phy.
Domi hábuit unde disceret. De. Fit sédulo:
Nil praétermitto; cónsuefacio; dénique
Inspícere tamquam in spéculum in uitas ómnium
Iubeo átque ex aliis súmere exemplúm sibi:
'Hoc fácito.' Sy. Recte sáne. De. 'Hoc fugito.' Cállide.
De. 'Hoc laúdist.' Sy. Istaec rés est. De. 'Hoc uitió datur.'
Sy. Probíssume. De. Porro aútem.. Sy. Non hercle ótiumst
Nunc mi aúscultandi. píscis ex senténtia
Nactús sum: ei mihi ne córrumpantur caútiost.
Nam id nóbis tam flagítiumst quam illa, Démea,

Non fácere uobis, quaé modo dixti; et quód queo
Conséruis ad eundem ístunc praecipió modum:
'Hoc sálsumst, hoc adústumst, hoc lautúmst parum;
Illúd recte: iterum síc memento'. sédulo
Moneó, quae possum pró mea sapiéntia:
Postrémo tamquam in spéculum in patinas, Démea,
Inspícere iubeo et móneo quid facto úsus sit.
Inépta haec esse, nós quae facimus, séntio;
Verúm quid facias? út homost, ita morém geras.
Num quíd uis? De. Mentem uóbis meliorém dari.
Sy. Tu rús hinc ibis? De. Récta. Sy. Nam quid tu híc agas,
Vbi sí quid bene praecípias, nemo obtémperet? —
De. Ego uéro hinc abeo, quándo is, quam ob rem huc uéneram,
Rus ábiit: illum cúro unum, ille ad me áttinet:
Quando íta uolt frater, de ístoc ipse uíderit.
Sed quís illic est, quem uídeo procul? estne Hégio
Tribúlis noster? sí satis cerno, is est hércle. uah,
Homo amícus nobis iam índe a puero: o dí boni,
Ne illíus modi iam nóbis magna cíuium
Penúriast antíqua uirtute ác fide!
Haud cíto mali quid órtum ex hoc sit públice.
Quam gaúdeo! ubi etiam húius generis réliquias
Restáre uideo, uíuere etiam núnc lubet.
Oppériar hominem hic, út salutem et cónloquar.

HEGIO DEMEA GETA (PAMPHILA)
SENES II SERVOS VIRGO

III,4 He. Pro di ínmortales, fácinus indignúm, Geta,
Quod nárras! Ge. Sic est fáctum. He. Ex illan fámilia
Tam inlíberale fácinus esse ortum! o Aéschine,
Pol haúd paternum istúc dedisti! De. Vídelicet
De psáltria hac audíuit: id illi núnc dolet

Aliéno, pater eius níli pendit. eí mihi,
Vtinam híc prope adesset álicubi atque audíret haec!
He. Nisi fácient quae illos aéquomst, haud sic aúferent.
Ge. In té spes omnis, Hégio, nobís sitast:
Te sólum habemus, tú es patronus, tú pater:
Illé tibi moriens nós commendauít senex:
Si déseris tu, périimus. He. Caue díxeris:
Neque fáciam neque me sátis pie posse árbitror.
De. Adíbo. saluere Hégionem plúrimum
Iubeo. He. Óh, te quaerebam ípsum: salue, Démea.
De. Quid aútem? He. Maior filius tuos Aéschinus,
Quem frátri adoptandúm dedisti, néque boni
Neque líberalis fúnctus officiúmst uiri.
De. Quid istúc est? He. Nostrum amícum noras Símulum
Aequálem? De. Quid ni? He. Fíliam eius uírginem
Vitiáuit. De. Hem. He. Mane: nón dum audisti, Démea,
Quod ést grauissumum. De. Án quicquam est etiam ámplius?
He. Vero ámplius; nam hoc quídem ferundum aliquó modost:
Persuásit nox amór uinum adulescéntia:
Humánumst. ubi scit fáctum, ad matrem uírginis
Venit ípsus ultro lácrumans orans óbsecrans
Fidém dans, iurans se íllam ducturúm domum.
Ignótumst, tacitumst, créditumst. uirgo éx eo
Compréssu grauida fáctast (mensis décumus est):
Ille bónus uir nobis psáltriam, si dís placet,
Paráuit, quicum uíuat; illam déserit.
De. Pro cérton tu istaec dícis? He. Mater uírginis
In médiost, ipsa uírgo, res ipsa, híc Geta
Praetérea, ut captus ést seruorum, nón malus

Neque inérs: alit illas, sólus omnem fámiliam
Susténtat: hunc abdúce, uinci, quaére rem.
GE. Immo hércle extorque, nísi ita factumst, Démea.
Postrémo non negábit: coram ipsúm cedo.
DE. Pudét: nec quid agam né*que* quid huic respóndeam
Sció. (PA.) Miseram me, dífferor dolóribus!
Iunó Lucina, fér opem! serua me óbsecro! HE. Hem,
Num nam ílla quaeso párturit? GE. Certe, Hégio. HE. Em,
Illaéc fidem nunc uóstram inplorat, Démea:
Quod uós ius cogit, íd uoluntate ímpetret.
Haec prímum ut fiant deós quaeso, ut uobís decet.
Sin áliter animus uóster est, ego, Démea,
Summá ui defendam hánc atque illum mórtuom.
Cognátus mihi erat; úna a pueris páruolis
Sumus éducti; una sémper militiae ét domi
Fuimús; paupertatem úna pertulimús grauem.
Quaprópter nitar, fáciam, experiar, dénique
Animám relinquam pótius quam illas déseram.
Quid míhi respondes? DE. Frátrem conueniam, Hégio.
HE. Sed, Démea, hoc tu fácito cum animo cógites:
Quam uós facillume ágitis, quam estis máxume
Poténtes dites fórtunati nóbiles,
Tam máxume uos aéquo animo aequa nóscere
Opórtet, si uos uóltis perhiberí probos.
DE. Redíto: fient quaé fieri aequomst ómnia.
HE. Decét te facere. Géta, duc me intro ad Sóstratam. —
DE. Non me índicente haec fiunt: utinam hic sít modo
Defúnctum! uerum nímia illaec licéntia
Profécto euadet ín aliquod magnúm malum.
Ibo ác requiram frátrem, ut in eum haec éuomam.

HEGIO
SENEX

Bono ánimo fac sis, Sóstrata, et istam quód potes III, 5
Fac cónsolere. ego Mícionem, si ápud forumst,
Conuéniam atque ut res géstast narrabo órdine:
Si est, *is* facturus út sit officiúm suom,
Faciát; sin aliter de hác re est eius senténtia,
Respóndeat mi, ut quíd agam quam primúm sciam.

ACTVS IV.

CTESIPHO SYRVS
ADVLESCENS SERVOS

CT. Aín patrem hinc abísse rus? SY. Iam dúdum. CT. Dic sodés. SY. Apud uillamst: IV, 1
Núnc quom maxume óperis aliquid fácere credo. CT. Vtinám quidem!
Quod cúm salute eius fiat, ita se défetigarít uelim,
Vt tríduo hoc perpétuo prorsum e lécto nequeat súrgere.
SY. Ita fiat, et istoc sí quid potis est réctius. CT. Ita; nam húnc diem
Miseré nimis cupio, ut coépi, perpetuom ín laetitia dégere.
Ét illud rus nulla ália causa tám male odi, nísi quia propest:
Quód si abesset lóngius,
Príus nox oppressísset illi *eum*, quam húc reuorti pósset iterum.
Núnc ubi me illic nón uidebit, iam húc recurret, sát scio:
Rogitábit me, ubi fúerim: 'ego hoc *te* tóto non uidí die'.

Quid dícam? Sy. Nilne in méntemst? Ct. Numquam quícquam. Sy. Tanto néquior.
Cliéns amicus hóspes nemost uóbis? Ct. Sunt: quid póstea?
Sy. Hisce ópera ut data sit? Ct. Quaé non data sit? nón potest fierí. Sy. Potest.
Ct. Intérdius; sed si híc pernocto, caúsae quid dicám, Syre?
Sy. Vah, quám uellem etiam nóctu amicis óperam mos essét dari!
Quin tu ótiosus ésto: ego illius sénsum pulchre cálleo.
Quom féruit maxumé, tam placidum quási ouem reddo. Ct. Quó modo?
Sy. Laudári te lubénter audít: fácio te apud illúm deum?
Virtútes narro. Ct. Meás? Sy. Tuas: homini ílico lacrumaé cadunt
Quasi púero gaudio. ém tibi autem! Ct. Quíd nam est? Sy. Lupus in fábula.
Ct. Pater ést? Sy. *Is* ipsust. Ct. Sýre, quid agimus? Sy. Fúge modo intro, ego uídero.
Ct. Si quíd rogabit, núsquam tu me: audístin? Sy. Potine ut désinas?

DEMEA CTESIPHO SYRVS
SENEX ADVLESCENS SERVOS

IV,2 De. Né ego homo sum infélix: fratrem núsquam inuenio géntium;
Praéterea autem, dum íllum quaero, a uílla mercennárium
Vídi: is filiúm negat esse rúri. nec quid agám scio.
Ct. Sýre. Sy. Quid est? Ct. Men quaérit? Sy. Verum. Ct. Périi. Sy. Quin tu animó bono es.
De. Quíd hoc, malum, infelícitatis? néqueo satis decérnere;

Nísi me credo huic ésse natum reí, ferundis míseriis.
Prímus sentió mala nostra, prímus rescisco ómnia;
Prímus porro obnúntio; aegre sólus, si quid fít, fero.
Sy. Rídeo hunc: primum aít se scire: is sólus nescit ómnia.
De. Núnc redeo: si fórte frater rédierit uisó. Ct. Syre,
Óbsecro, uide ne ílle huc prorsus se ínruat. Sy. Etiám taces?
Égo cauebo. Ct. Númquam hercle hodie ego ístuc committám tibi;
Nám me iam in cellam áliquam cum illa cóncludam: id tutíssumumst.
Sy. Áge, tamen ego hunc ámouebo. — De. Séd eccum sceleratúm Syrum.
Sy. Nón hercle hic qui uólt durare quísquam, si sic fít, potest.
Scíre equidem uoló, quod mihi sint dómini: quae haec est míseria!
De. Quíd ille gannit? quíd uolt? quid aïs, bóne uir? est fratér domi?
Sy. Quíd, malum, 'bone uír' mihi narras? équidem perii. De. Quíd tibist?
Sy. Rógitas? Ctesiphó me pugnis míserum et istam psáltriam
Ýsque occidit. De. Hém, quid narras? Sy. Ém, uide ut discidít labrum.
De. Quam ób rem? Sy. Me inpulsóre hanc emptam esse aít. De. Non tu eum rus hínc modo
Próduxe aibas? Sy. Fáctum; uerum uénit post insániens:
Níl pepercit. nón puduisse uérberare hominém senem!
Quem égo modo puerúm tantillum in mánibus gestauí meis.
De. Laúdo: Ctesiphó, patrissas: ábi, uirum te iúdico.

Sy. Laúdas? ne ille cóntinebit pósthac, si sapiét, manus.
De. Fórtiter. Sy. Perquám, quia miseram múlierem et me séruolum,
Quí referire nón audebam, uícit: hui, perfórtiter.
De. Nón potuit meliús. idem quod ego séntit te esse huic reí caput.
Séd estne frater íntus? Sy. Non est. De. V́bi illum inueniam cógito.
Sy. Scío ubi sit, uerum hódie numquam mónstrabo. De. Hem, quid aïs? Sy. Ita.
De. Dímminuetur tíbi quidem iam cérebrum. Sy. At nomen néscio
Íllius hominis, séd locum noui úbi sit. De. Dic ergó locum.
Sy. Nóstin porticum ápud macellum hac deórsum? De. Quid ni nóuerim?
Sy. Praéterito hac récta platea súrsus: ubi eo uéneris,
Clíuos deorsum uórsus est: hac [te] praécipitato. póstea
Ést ad hanc manúm sacellum: ibi ángiportum própter est.
De. Quód nam? Sy. Illi ubi etiám caprificus mágna est. De. Noui. Sy. Hac pérgito.
De. Íd quidem angipórtum non est péruium. Sy. Verum hércle. uah,
Cénsen hominem me ésse? erraui: in pórticum rursúm redi:
Sáne hac multo própius ibis ét minor est errátio.
Scín Cratini huius dítis aedis? De. Scío. Sy. Vbi eas praetérieris,
Ád sinistram hac récta platea; ubi ád Dianae uéneris,
Íto ad dextram. príus quam ad portam uénias, apud ipsúm lacum
Ést pistrilla et éxaduorsum fábrica: ibist. De. Quid íbi facit?

Sy. Léctulos in sóle ilignis pédibus faciundós dedit.
De. Vbi potetis uós: bene sane. séd cesso ad eum pérgere? —
Sy. Í sane: ego te exércebo hodie, ut dígnus es, silicérnium.
Aéschinus odióse cessat: prándium corrúmpitur;
Ctésipho autem in amórest totus. égo iam prospiciám mihi:
Nám iam adibo atque únum quicquid, quód quidem erit bellíssumum,
Cárpam et cyathos sórbilans paulátim hunc producám diem.

Micio Hegio
SENES II

Mi. Ego in hác re nil repério, quam ob rem laúder tanto opere, Hégio: IV, 3
Meum officium facio: quód peccatum a nóbis ortumst córrigo.
Nisi sí me in illo crédidisti esse hóminum numero, qui íta putant,
Sibi fieri iniuriam últro, si quam fécere ipsi expóstules,
Et últro accusant. íd quia non est á me factum, agis grátias?
He. Ah, mínume: numquam te áliter atque es *ésse* animum induxí meum.
Sed quaéso ut una mécum ad matrem uírginis eas, Mício,
Atque ístaec eadem quaé mihi dixti túte dicas múlieri:
Suspícionem hanc própter fratrem eius ésse et illam psáltriam
* * * * * * * *
[Mi. Si ita aequom censes aut si ita opus est facto, eamus. He. Bene facis:]
Nam et ílli *ita* animum iám releuabis, quaé dolore ac míseria

Tabéscit, et tuo*m* offici*um* fueris fúnctus. sed si alitér putas,
Egomét narrabo quaé mihi dixti. Mi. Ímmo ego ibo. He. Béne facis:
Omnés, quibus res sunt mínus secundae, mágis sunt nescio quó modo
Suspíciosi: ad cóntumeliam ómnia accipiúnt magis:
Proptér suam inpoténtiam se sémper credunt *lú*dier.
Quaprópter te ipsum púrgare ipsi córam placabílius est.
Mi. Et récte et uerum dícis. He. Sequere me érgo hac intro. Mi. Máxume.

Aeschinvs
ADVLESCENS

IV,4 Discrúcior animi:
Hocíne de inprouisó mali mihi óbici tántum,
Vt neque quid mé faciam néc quid agam certúm sit!
Mémbra metu débilia súnt; animus timóre
Óbstipuit; péctore consístere nil cónsili quit.
Vah, quó modo hac me expédiam turba? tánta nunc
Suspício de me íncidit;
Néque ea inmerito: Sóstrata
Crédit mihi me psáltriam hanc*e* emísse; id anus mi indícium fecit.
Nám ut hinc forte ad óbstetricem erat míssa, ubi eam uidi, ílico
Accédo, rogito, Pámphila quid agát, iam partus ádsiet,
Eon óbstetricem accérsat. illa exclámat 'abi, abi: iam, Aéschine,
Satis diú dedisti uérba: sat adhuc túa nos frustratást fides.'
"Hem, quíd istuc obsecro" ínquam "est?" 'ualeas, hábeas illam quaé placet.'

Sensi ílico id illas súspicari, séd me reprehendí tamen,
Ne quíd de fratre gárrulae illi dícerem ac fierét palam.
Núnc quid faciam? dícam fratris ésse hanc? quod minumést opus
Ýsquam ecferri. ac mítto: fieri pótis est ut ne qua éxeat:
Íd ipsum metuo ut crédant. tot concúrrunt ueri símilia:
Égomet rapui ipse; égomet solui argéntum; ad me abductást domum.
Haéc adeo mea cúlpa fateor fíeri. non me hanc rém patri,
Ýt ut erat gesta, índicasse! exórassem ut eam dúcerem.
Céssatum usque adhúc est: nunc porro, Aéschine, expergíscere!
Núnc hoc primumst: ád illas ibo, ut púrgem me. accedam ád fores.
Périi: horresco sémper, ubi pultáre hasce occipió miser.
Heús heus: Aeschinús ego sum. aperite áliquis actutum óstium.
Pródit nescio quís: concedam huc.

MICIO SENEX AESCHINVS ADVLESCENS

MI. Íta uti dixi, Sóstrata, IV,5
Fácite; ego Aeschinúm conueniam, ut quó modo acta haec sínt sciat.
Séd quis ostium hóc pultauit? AE. Páter hercle est: perii. MI. Aéschine,
AE. Quid huic híc negotist? MI. túne has pepulistí fores?
Tacet. quór non ludo hunc áliquantisper? mélius est,
Quandóquidem hoc numquam mi ípse uoluit dícere.

Nil míhi respondes? Ae. Nón equidem istas, quód sciam.
Mi. Ita? nám mirabar, quíd hic negoti essét tibi.
Erúbuit: salua rés est. Ae. Dic sodés, pater,
Tibi uéro quid istic ést reï? Mi. Nil mí quidem.
Amícus quidam me á foro abduxít modo
Huc áduocatum síbi. Ae. Quid? Mi. Ego dicám tibi:
Habitánt hic quaedam múlieres paupérculae;
Vt opínor eas non nósse te, et certó scio;
Nequeením diu huc migrárunt. Ae. Quid tum póstea?
Mi. Virgo ést cum matre. Ae. Pérge. Mi. Haec uirgo orbást patre;
Hic méus amicus ílli genere est próxumus:
Huic léges cogunt núbere hanc. Ae. Perií? Mi. Quid est?
Ae. Nil: récte: perge. Mi. Is uénit ut secum áuehat:
Nam habitát Mileti. Ae. Hem, uírginem ut secum áuehat?
Mi. Sic ést. Ae. Miletum usque óbsecro? Mi. Ita. Ae. Animó malest.
Quid ipsaé? quid aiunt? Mi. Quíd illas censes? níl enim.
Comménta mater ést, esse ex alió uiro
Nescío quo puerum nátum, neque eum nóminat;
Priórem esse illum, nón oportere huíc dari.
Ae. Eho, nónne haec iusta tíbi uidetur pós*cere*?
Mi. Non. Ae. Óbsecro, non? án illam hinc abducét, pater?
Mi. Quid illám ni abducat? Ae. Fáctum a uobis dúriter
Inmísericorditérque atque etiam, si ést, pater,
Dicéndum magis apérte, inliberáliter.
Mi. Quam ob rém? Ae. Rogas me? quíd illi tandem créditis
Fore ánimi misero, qui ílla consueuít prior?
Qui infélix haud scio án illam misere núnc amet,

Quom hanc síbi uidebit praésens praesenti éripi,
Abdúci ab oculis? fácinus indignúm, pater!
Mi. Qua rátione istuc? quís despondit? quís dedit?
Quoi quándo nupsit? aúctor his rebús quis est?
Quor dúxit alienam? Ae. Án sedere opórtuit
Domi uírginem tam grándem, dum cognátus huc
Illínc ueniret, éxpectantem? haec, mí pater,
Te dícere aequom fúit et id deféndere.
Mi. Ridículum: aduorsumne íllum causam dícerem,
Quoi uéneram aduocátus? sed quid ista, Aéschine,
Nostra? aút quid nobis cum íllis? abeamús. quid est?
Quíd lacrumas? Ae. Pater, óbsecro, ausculta. Mi. Aéschine, audiui ómnia
Ét scio; nam té amo: quo magis quaé agis curae súnt mihi.
Ae. Íta uelim me prómerentem amés, dum uiuas, mí pater,
Vt me hoc delictum ádmisisse in me, íd mihi uehementér dolet
Ét me tui pudét. Mi. Credo hercle; nam íngenium noui tuom
Líberale; séd uereor ne indíligens nimiúm sies.
Ín qua ciuitáte tandem te árbitrare uíuere?
Vírginem uitiásti, quam te nón ius fuerat tángere.
Iam íd peccatum prímum magnum, *mágnum*, at humanúm tamen:
Fécere alii saépe item boni. at póstquam id euenít, cedo:
Núm quid circumspéxti? aut num quid túte prospextí tibi,
Quíd fieret? qua fíeret? si te mi ípsum puduit próloqui,
Quá resciscerem? haéc dum dubitas, ménses abierúnt decem.
Pródidisti et te ét illam miseram et gnátum, quod quidem in té fuit.
Quíd? credebas dórmienti haec tíbi confecturós deos?

Ét illam sine tua ópera in cubiculum íri deductúm domum?
Nólim ceterárum rerum té socordem eodém modo.
Bóno animo es, ducés uxorem. Ae. Hem. Mi. Bóno animo es, inquám. Ae. Pater,
Óbsecro, num lúdis [nunc] tu me? Mi. Égo te? quam ob rem? Ae. Néscio:
Quía tam misere hoc ésse cupio uérum, eo uereór magis.
Mi. Ábi domum ac deos cónprecare, ut úxorem accersás: abi.
Ae. Quíd? iam uxorem? Mi. Iám. Ae. Iam? Mi. Iam quantúm potest. Ae. Di mé, pater,
Ómnes oderínt, ni magis te quam óculos nunc ego amó meos.
Mi. Quíd? quam illam? Ae. Aeque. Mi. Pérbenigne. Ae. Quíd? ille ubist Milésius?
Mi. Périit: abiit, náuem ascendit. séd quor cessas? Ae. Ábi, pater:
Tú potius deos cónprecare; nám tibi eos certó scio,
Quó uir melior múlto es quam ego, obtémperaturós magis.
Mi. Égo eo intro, ut quae opus súnt parentur: tú fac ut dixi, sí sapis. —
Ae. Quid hoc ést negoti? hoc ést patrem esse aut hóc est filium ésse?
Si fráter aut sodális esset, quí magis morem géreret?
Hic nón amandus? hícine non gestándus in sinúst? hem.
Itaque ádeo magnam mi ínicit sua cómmoditate cúram,
Ne inprúdens faciam fórte quod nolít: sciens cauébo.
Sed césso ire intro, né morae meis núptiis egomét sim?

DEMEA
SENEX

DE. Deféssus sum ambulándo: ut, Syre, te cúm tua IV,6
Monstrátione mágnus perdat Iúppiter!
Perréptaui usque omne óppidum: ad portam, ád lacum,
Quo nón? neque illi fábrica [ulla] erat nec frátrem homo
Vidísse se aibat quísquam. nunc ueró domi
Certum óbsidere est úsque, donec rédierit.

MICIO DEMEA
SENES II

MI. Ibo, íllis dicam núllam esse in nobís moram. IV,7
DE. Sed eccum ípsum. te iam dúdum quaero, Mício.
MI. Quid nám? DE. Fero alia flágitia ad te ingéntia
Boni íllius adulescéntis. MI. Ecce autém! DE. Noua,
Capitália. MI. Ohe iam! DE. Néscis qui uir sít. MI. Scio.
DE. O stúlte, tu de psáltria me sómnias
Agere: hóc peccatum in uírginemst ciuém. MI. Scio.
DE. Oho, scís et patere? MI. Quíd ni patiar? DE. Díc mihi,
Non clámas? non insánis? MI. Non: malím quidem.
DE. Puer nátust. MI. Di bene uórtant! DE. Virgo níl habet.
MI. Audíui. DE. Et ducenda índotatast. MI. Scílicet.
DE. Quid núnc futurumst? MI. Íd enim quod res ípsa fert:
Illínc huc transferétur uirgo. DE. O Iúppiter,
Istócine pacto opórtet? MI. Quid faciam ámplius?
DE. Quid fácias? si non ípsa re tibi istúc dolet,
Simuláre certe est hóminis. MI. Quin iam uírginem

Despóndi; res compósitast; fiunt núptiae;
Dempsí metum omnem: haec mágis sunt hominis. De. Céterum
Placét tibi factum, Mício? Mi. Non, sí queam
Mutáre. nunc quom nón queo, animo aequó fero.
Ita uítast hominum, quási quom ludas tésseris:
Si illúd quod maxume ópus est iactu nón cadit,
Illúd quod cecidit fórte, id arte ut córrigas.
De. Corréctor! nempe tua árte uigintí minae
Pro psáltria periére: quae quantúm potest
Aliquo ábiciundast, sí non pretio, grátiis.
Mi. Neque ést neque illam sáne studeo uéndere.
De. Quid ígitur facies? Mi. Dómi erit. De. Pro diuóm fidem,
Meretríx et mater fámilias una ín domo?
Mi. Quor nón? De. Sanum te crédis esse? Mi. Equidem árbitror.
De. Ita mé di ament, ut uídeo ego tuam inéptiam,
Factúrum credo, ut hábeas quicum cántites.
Mi. Quor nón? De. Et noua nupta éadem haec discet. Mi. Scílicet.
De. Tu intér eas restim dúctans saltabís. Mi. Probe.
De. Probe? Mi. Ét tu nobiscum úna, si opus sit. De. Eí mihi!
Non te haéc pudent? Mi. Iam uéro omitte, Démea,
Tuam ístanc iracúndiam, atque ita utí decet
Hilarum ác lubentem fác te gnati in núptiis.
Ego hós conuenio: póst huc redeo. — De. O Iúppiter,
Hancíne uitam! hoscin móres! hanc deméntiam!
Vxór sine dote uéniet; intus psáltriast;
Domus súmptuosa; aduléscens luxu pérditus;
Senéx delirans. ípsa si cupiát Salus,
Seruáre prorsus nón potest hanc fámiliam.

Syrvs Demea
SERVOS SENEX

V, 1 Sy. Edepól, Syrisce, té curasti mólliter
Lautéque munus ádministrastí tuom:

Abi. séd postquam intus sum ómnium rerúm satur,
Prodeámbulare huc lúbitumst. De. Illud sís uide:
Exémplum disciplínae! Sy. Ecce autem híc adest
Senex nóster. quid fit? quíd tu es tristis? De. Óh scelus!
Sy. Ohe iám! tu uerba fúndis hic sapiéntia!
De. Tu sí meus esses .. Sy. Dís quidem esses, Démea,
Ac tuám rem constabilísses. De. Exemplo ómnibus
Curárem ut esses. Sy. Quam ób rem? quid fecí? De. Rogas?
In ípsa turba atque ín peccato máxumo,
Quod uíx sedatum sátis est, potastí, scelus,
Quasi ré bene gesta. Sy. Sáne nollem huc éxitum.

DROMO PVER SYRVS SERVOS DEMEA SENEX

Dr. Heus Sýre, rogat te Ctésipho ut redeás. Sy. Abi. — V,2
De. Quid Ctésiphonem hic nárrat? Sy. Nil. De. Eho, cárnufex,
Est Ctésipho intus? Sy. Nón est. De. Quor hic nóminat?
Sy. Est álius quidam, párasitaster paúlulus:
Nostín? De. Iam scibo. Sy. Quíd agis? quo abis? De. Mítte me.
Sy. Noli ínquam. De. Non manum ábstines, mastígia?
An tíbi iam mauis cérebrum dispergam híc? Sy. Abit. —
Edepól comissatórem haud sane cómmodum,
Praesértim Ctesiphóni! quid ego núnc agam?
Nisi, dum haéc silescunt túrbae, interea in ángulum
Aliquo ábeam atque edormíscam hoc uilli: síc agam.

MICIO DEMEA
SENES II

V, 3 MI. Paráta a nobis súnt, ita ut dixi, Sóstrata:
Vbi uís . . quis nam a me pépulit tam grauitér fores?
DE. Ei míhi, quid faciam? quíd agam? quid clamem aút querar?
O caélum, o terra, o mária Neptuni! MI. Ém tibi:
Resciuit omnem rem: íd nunc clamat scílicet.
Parátae lites: súccurrendumst. DE. Éccum adest
Commúnis corruptéla nostrum líberum.
MI. Tandém reprime iracúndiam atque ad té redi.
DE. Représsi, redii, mítto maledicta ómnia:
Rem ipsám putemus. díctum hoc inter nós fuit
(Ex te ádeo est ortum), né tu curarés meum
Neue égo tuom? respónde. MI. Factumst, nón nego.
DE. Quor núnc apud te pótat? quor recipís meum?
Quor émis amicam, Mício? num quí minus
Mihi idém ius aequomst ésse quod mecúmst tibi?
Quando égo tuom non cúro, ne curá meum.
MI. Non aéquom dicis. DE. Nón? MI. Nam uetus uerbum hóc quidemst,
Commúnia esse amícorum inter se ómnia.
DE. Facéte! nunc demum ístaec nata orátiost.
MI. Auscúlta paucis, nísi molestumst, Démea.
Princípio, si id te mórdet, sumptum fílii
Quem fáciunt, quaeso hoc fácito tecum cógites:
Tu illós duo olim pró re tollebás tua,
Quod sátis putabas túa bona ambobús fore,
Et mé tum uxorem crédidisti scílicet
Ductúrum. eandem illam rátionem antiquam óbtine:
Consérua, quaere, párce, fac quam plúrimum
Illís relinquas: glóriam tu istam óbtine.
Mea, quaé praeter spem euénere, utantúr sine.
De súmma nil decédet: quod hinc accésserit,

Id dé lucro putáto esse omne. haec sí uoles
In ánimo uere cógitare, Démea,
Et mi ét tibi et illis démpseris moléstiam.
De. Mittó rem: consuetúdinem amborúm.. Mi. Mane:
Scio: ístuc ibam. múlta in homine, Démea,
Signa ínsunt, ex quibus cóniectura fácile fit,
Duo quóm idem faciunt, saépe ut possis dícere
'Hoc lícet inpune fácere huic, illi nón licet',
Non quó dissimilis rés sit, sed quo is quí facit.
Quae ego inésse in illis uídeo, ut confidám fore
Ita ut uólumus. uideo eos sápere, intellegere, ín loco
Veréri, inter se amáre: *sciris* líberum
Ingénium atque animum: quó uis illos tú die
Reddúcas. at enim métuas, ne ab re sínt tamen
Omíssiores paúlo. o noster Démea,
Ad ómnia alia aetáte sapimus réctius;
Solum únum hoc uitium adfért senectus hóminibus:
Adténtiores súmus ad rem omnes, quám sat est:
Quod illós sat aetas ácuet. De. Ne nimiúm modo
Bonaé tuae istae nós rationes, Mício,
Et túos iste animus aéquos subuortát. Mi. Tace:
Non fíet. mitte iam ístaec; da te hodié mihi:
Expórge frontem. De. Scílicet ita témpus fert:
Faciúndumst. ceterum égo rus cras cum fílio
Cum prímo luci ibo hínc. Mi. De nocte cénseo:
Hodié modo hilarum fác te. De. Et istam psáltriam
Vna ílluc mecum hinc ábstraham. Mi. Pugnáueris:
Eo pácto prorsum illi ádligaris fílium.
Modo fácito ut illam sérues. De. Ego istuc uídero.
Atque íbi fauillae pléna, fumi ac póllinis
Coquéndo sit faxo ét molendo; praéter haec
Merídie ipso fáciam ut stipulam cólligat:
Tam excóctam reddam atque átram quam carbóst. Mi. Placet:

Nunc míhi uidere sápere. atque equidem filium
Tum etiám si nolit cógam ut cum illa uná cubet.
De. Derídes? fortunátu's, qui isto animó sies.
Ego séntio . . Mi. Ah, pergísne? De. Iam iam désino.
Mi. I ergo íntro, et quoi rei est, eí rei hunc sumamús diem.

ACTVS V.

Demea
SENEX

V, 4 Númquam ita quisquam béne subducta rátione ad uitám fuit,
Quín res aetas úsus semper áliquid adportét noui,
Áliquid moneat: út illa quae te scísse credas néscias,
Ét quae tibi putáris prima, in éxperiundo ut répudies.
Quód nunc mi euenít; nam ego uitam dúram, quam uixi úsque adhuc,
Própe iam excurso spátio omitto. id quam ób rem? re ipsa répperi
Fácilitate níl esse homini mélius neque cleméntia.
Íd esse uerum ex me átque ex fratre quoíuis facilest nóscere.
Ílle suam egit sémper uitam in ótio, in conuíuiis,
Clémens, placidus, núlli laedere ós, adridere ómnibus;
Síbi uixit, sibi súmptum fecit: ómnes bene dicúnt, amant.
Égo ille agrestis, saéuos, tristis, párcus, truculentús, tenax

Dúxi uxorem: quam íbi miseriam uídi! nati filii:
Ália cura. heia aútem, dum studeo íllis ut quam plúrimum
Fácerem, contriui ín quaerundo uítam atque aetatém meam:
Núnc exacta aetáte hoc fructi pró labore ab eís fero,
Ódium; ille alter síne labore pátria potitur cómmoda.
Íllum amant, me fúgitant; illi crédunt consilia ómnia,
Íllum diligúnt, apud illum súnt ambo, ego desértus sum;
Íllum ut uiuat óptant, meam autem mórtem expectant scílicet.
Íta eos meo labóre eductos máxumo hic fecít suos
Paúlo sumptu: míseriam omnem ego cápio, hic potitur gaúdia.
Áge age nunciam éxperiamur cóntra, ecquid ego póssiem
Blánde dicere aút benigne fácere, quando hoc próuocat.
Égo quoque a meís me amari et mágni fieri póstulo:
Si íd fit dando atque óbsequendo, nón posteriorés feram.
Déerit: id mea mínume re fert, quí sum natu máxumus.

SYRVS DEMEA
SERVOS SENEX

SY. Heus Démea, orat fráter ne abeas lóngius. V, 5
DE. Quis homo? ó Syre noster, sálue: quid fit? quíd agitur?
SY. Recte. DE. Óptumest. iam núnc haec tria primum áddidi
Praetér naturam: 'o nóster, quid fit? quíd agitur?'

Seruom haúd inliberálem praebes te, ét tibi
Lubéns bene faxim. Sy. Grátiam habeo. De. Atquí, Syre,
Hoc uérumst et ipsa re éxperiere própediem.

Geta Demea
SERVOS SENEX

V,6 Ge. Era, ego húc ad hos prouíso, quam mox uírginem
Accérsant. sed eccum Démeam. saluós sies.
De. O quí uocare? Ge. Géta. De. Geta, hominem máxumi
Pretí te esse hodie iúdicaui animó meo;
Nam is míhi profectost séruos spectatús satis,
Quoi dóminus curaest, íta uti tibi sensí, Geta,
Et tíbi ob eam rem, sí quid usus uénerit,
Lubéns bene faxim. méditor esse adfábilis,
Et béne procedit. Ge. Bónus es, quom haec exístumas.
De. Paulátim plebem prímulum fació meam.

Aeschinvs Demea Syrvs Geta
ADVLESCENS SENEX SERVI II

V,7 Ae. Occídunt me quidem, dúm nimis sanctas núptias
Student fácere: in adparándo consumúnt diem.
De. Quid ágitur, Aeschine? Ae. Éhem, pater mi, tu híc eras?
De. Tuos hércle uero et ánimo et naturá pater,
Qui té amat plús quam hosce óculos. sed quor nón domum
Vxórem accersis? Ae. Cúpio; uerum hoc míhi moraest,
Tibícina et hymenaéum qui cantént. De. Eho,
Vin tu huíc seni auscultáre? Ae. Quid? De. Missa haéc face,
Hymenaéum turbas lámpadas tibícinas,
Atque hánc in horto máceriam iube dírui
Quantúm potest: hac tránsfer; unam fác domum;

Tradúce et matrem et fámiliam omnem ad nós. Ae. Placet,
Patér lepidissume. De. Eúge, iam lepidús uocor.
Fratri aédes fient péruiae, turbám domum
Addúcet, sumptu amíttet multa: quíd mea?
Ego lépidus ineo grátiam. iube núnciam
Dinúmeret ille Bábylo uigintí minas.
Syre, céssas ire ac fácere? Sy. Quid ego? De. Dírue.
Tu illás abi et tradúce. Ge. Di tibi, Démea,
Bene fáciant, quom te uídeo nostrae fámiliae
Tam ex ánimo factum uélle. De. Dignos árbitror. —
Quid tú aïs? Ae. Sic opínor. De. Multo réctiust
Quam illám puerperam húc nunc duci pér uiam
Aegrótam. Ae. Nil enim uídi melius, mí pater.
De. Sic sóleo. sed eccum Mício egreditúr foras.

MICIO DEMEA AESCHINVS
SENES II ADVLESCENS

Mi. Iubet fráter? ubi is est? tún iubes hoc, Démea? V, 8
De. Ego uéro iubeo et hác re et aliis ómnibus
Quam máxume unam fácere nos hanc fámiliam,
Colere ádiuuare adiúngere. Ae. Ita quaesó, pater.
Mi. Haud áliter censeo. De. Immo hercle ita nobís decet.
Primum huíus uxorist máter. Mi. Est. quid póstea?
De. Proba ét modesta. Mi. Ita áiunt. De. Natu grándior.
Mi. Scio. De. Párere iam diu haéc per annos nón potest;
Nec qui eám respiciat quísquam est: solast. Mi. Quam híc rem agit?
De. Hanc te aéquomst ducere, ét te operam ut fiát dare.
Mi. Me dúcere autem? De. Té. Mi. Me? De. Te inquam. Mi. Inéptis. De. Si tu sís homo,

Hic fáciat. Ae. Mi patér! Mi. Quid tu autem huic, ásine, auscultas? De. Níl agis:
Fieri áliter non potést. Mi. Deliras. Ae. Síne te exorem, mí pater.
Mi. Insánis: aufer. De. Áge, da ueniam filio. Mi. Satin sánus es?
Ego nóuos maritus ánno demum quínto et sexagénsumo
Fiam átque anum decrépitam ducam? idne éstis auctorés mihi?
Ae. Fac: prómisi ego illis. Mi. Prómisti autem? dé te largitór, puer.
De. Age, quíd si quid te máius oret? Mi. Quási non hoc sit máxumum.
De. Da uéniam. Ae. Ne grauére. De. Fac, promítte. Mi. Non omíttitis?
Ae. Non, nísi te exorem. Mi. Vís est haec quidem. De. Áge prolixe, Mício.
Mi. Etsi hóc mihi prauom inéptum absurdum atque álienum a uitá mea
Vidétur: si uos tánto opere istuc uóltis, fiat. Ae. Béne facis.
De. Meritó te amo. uerúm .. *Mi.* Quid? *De.* Ego dicam, hóc quom *con*fit quód uolo.
Mi. Quid núnc quod restat? De. Hégio est *hic* hís cognatus próxumus,
Adfínis nobis, paúper: bene nos áliquid facere illí decet.
Mi. Quid fácere? De. Agellist híc sub urbe paúlum quod locitás foras:
Huic démus qui fruátur. Mi. Paulum id aútemst? De. Si multúmst, tamen
Faciúndumst: pro patre huíc est, bonus est, nóster est, recté datur.
Postrémo *nunc* meum íllud uerbum fácio, quod tu, Mício,
Bene ét sapienter díxti dudum: 'uítium commune ómniumst,
Quod nímium ad rem in senécta attenti súmus': hanc maculam nós decet

Ecfúgere. et dictumst uére et re ipsa fieri oportet. Ae. Mí pater!
Mi. Quíd ist*ic*? dabitur quándoquidem hic uolt. *Ae.* Gaúdeo. *De.* – ⏑́ ⏑ –
⏑́ ⏑ nunc tu mi és germanus páriter animo et córpore.
Suó sibi gladio hunc iúgulo.

Syrvs Demea Micio Aeschinvs
SERVOS SENES II ADVLESCENS

Sy. Factumst quód iussisti, Démea. V,9
De. Frúgi homo's. ergo édepol hodie meá quidem senténtia
Iúdico Syrum fieri esse aequom líberum. Mi. Istunc líberum?
Quód nam ob factum? De. Múlta. Sy. O noster Démea, edepol uír bonu's!
Égo istos uobis úsque a pueris cúraui ambos sédulo:
Dócui, monui, béne praecepi sémper quae potui ómnia.
De. Rés apparet. ét quidem porro haec, óbsonare cúm fide,
Scórtum adducere, ádparare dé die conuíuium:
Nón mediocris hóminis haec sunt ófficia. Sy. O lepidúm caput!
De. Póstremo hodie in psáltria ista emúnda hic adiutór fuit,
Hic curauit: pródesse aequomst: álii meliorés erunt.
Dénique hic uolt fieri. Mi. Vin tu hoc fieri? Ae. Cupio. Mi. Sí quidem
Tú uis: Syre, eho accéde huc ad me: líber esto. Sy. Béne facis.
Ómnibus gratiam hábeo, et seorsum tíbi praeterea, Démea.
De. Gaúdeo. Ae. Et ego. Sy. Crédo. utinam hoc perpétuom fiat gaúdium,
Phrýgiam ut uxorém meam una mécum uideam líberam!

De. Óptumam quidem múlierem. Sy. Et quidem tuó nepoti huius filio
Hódie prima mámmam dedit haec. De. Hércle uero sério,
Síquidem prima dédit, haud dubiumst quín emitti aequóm siet.
Mi. Ób eam rem? De. Ob eam. póstremo a me argéntum quantist súmito.
Sy. Dí tibi, Demea, ómnes semper ómnia optata ófferant!
Mi. Sýre, processisti hódie pulchre. De. Síquidem porro, Mício,
Tú tuom officium fácies, atque huic áliquid paulum praé manu
Déderis, unde utátur: reddet tíbi cito. Mi. Istoc uílius.
Ae. Frúgi homost. Sy. Reddam hércle, da modo. Ae. Áge, pater! Mi. Post cónsulam.
De. Fáciet. Sy. O uir óptume! Ae. O patér mi festiuíssume! —
Mi. Quíd istuc? quae res tám repente móres mutauít tuos?
Quód prolubium? quaé istaec subitast lárgitas? De. Dicám tibi:
Ýt id ostenderém, quod te isti fácilem et festiuóm putant,
Íd non fieri ex uéra uita néque adeo ex aequo ét bono,
Séd ex adsentando, índulgendo et lárgiendo, Mício.
Núnc adeo si ob eám rem uobis méa uita inuisa, Aéschine, est,
Quía non iusta iniústa prorsus ómnia omnino óbsequor,
Míssa facio: ecfúndite, emite, fácite quod uobís lubet.
Séd si id uoltis pótius, quae uos própter adulescéntiam
Mínus uidetis, mágis inpense cúpitis, consulitís parum,

Haéc reprehendere ét corrigere me ét secundare ín loco:
Ecce me, qui id fáciam uobis. Ae. Tíbi, pater, permíttimus:
Plús scis quid facto ópus sit. sed de frátre quid fiét? De. Sino:
Hábeat; in istac fínem faciat. Mi. Ístuc recte. *Cantor.* Plaúdite!

CONSPECTUS METRORUM.

I. ANDRIA.

V. 1—174	iambici senarii;	prol.; act. I; II sc. 1. 2 (vul. I sc. 1—3) (in initio II sc. 1 [vul. I sc. 2][1] canticum est mut. mod.)
— 175	iambicus octonarius;	
— 176	iambicus quaternarius;	
— 177	iambicus octonarius;	
— 178. 179	trochaici septenarii;	
— 180. 181	iambici octonarii;	
— 182	trochaicus septenarius;	
— 183—195	iambici octonarii;	
— 196—198	iambici senarii;	
— 199—214	iambici octonarii;	
— 215—226	iambici senarii;	
— 227	iambicus octonarius;	
— 228—233	trochaici septenarii;	act. II sc. 3. 4 (vul. I sc. 4. 5) (in initio sc. 4 [vul. I sc. 5] canticum est mut. mod.)
— 234—239	iambici octonarii;	
— 240	iambicus quaternarius;	
— 241. 242	trochaici septenarii;	
— 243	iambicus octonarius;	
— 244	iambicus quaternarius;	
— 245	trochaicus octonarius;	
— 246	trochaicus quaternarius catal.;	
— 247	trochaicus octonarius;	
— 248—251	trochaici septenarii;	
— 252	iambicus quaternarius;	
— 253	iambicus octonarius;	
— 254—260	trochaici septenarii[2];	
— 261—269	iambici octonarii;	
— 270—298	iambici senarii;	
— 299. 300	iambici septenarii;	
— 301	trochaicus octonarius;	act. III (vul. II) sc. 1—3 (in initio sc. 1 canticum est mut. mod.)
— 302	trochaicus septenarius;	
— 303. 304	iambici octonarii;	
— 305	trochaicus octonarius;	
— 306	trochaicus septenarius;	
— 307	trochaicus octonarius;	
— 308	trochaicus septenarius;	
— 309—316	iambici octonarii;	
— 317	trochaicus septenarius (?);	
— 318	iambicus senarius;	
— 319—383	trochaici septenarii;	
— 384—393	iambici senarii;	
— 394—403	iambici octonarii;	
— 404—480	iambici senarii;	act. III sc. 4—7 (vul. II sc. 4—6; III sc. 1)

1 De primis senariis huius scaenae v. Dz. in Jen. LZ. 1877 p. 59.
2 Versus 254 et 255 iambici octonarii esse possunt.

V. 481—484	bacchiaci tetrametri;	act. III sc. 8 (vul. III sc. 2) (in initio canticum est mut. mod.)
— 485	iambicus quaternarius catal.;	
— 486	iambicus senarius;	
— 487—509	iambici octonarii;	
— 510—523	trochaici septenarii[3];	
— 524—532	iambici senarii;	
— 533—536	iambici octonarii;	act. III sc. 9. 10 (vul. III sc. 3. 4)
— 537	iambicus quaternarius;	
— 538—574	iambici senarii;	
— 575—581	iambici septenarii;	
— 582—604	iambici octonarii;	
— 605	iambicus quaternarius;	
— 606	trochaicus septenarius;	
— 607. 608	trochaici octonarii;	act. III sc. 11 (vul. III sc. 5) (canticum mut. mod.)
— 609	trochaicus septenarius;	
— 610—615	iambici octonarii;	
— 616	trochaicus octonarius (?);	
— 617	trochaicus septenarius (?);	
— 618—620	iambici octonarii;	
— 621—624	trochaici septenarii;	
— 625	dactylicus tetrameter;	act. IV sc. 1 (in initio canticum est mut. mod.)
— 626—634	cretici tetrametri;	
— 635(?).636	iambici quaternarii;	
— 637. 638	bacchiaci tetrametri;	
— 639. 640	trochaici septenarii;	
— 641. 642	iambici octonarii;	
— 643—649	trochaici septenarii;	
— 650—654	iambici octonarii;	
— 655—681	iambici senarii;	
— 682. 683	iambici octonarii;	
— 684—715	iambici septenarii;	act. IV sc. 2
— 716—819	iambici senarii;	act. IV sc. 3—5
— 820—860	trochaici septenarii[4];	act. V sc. 1—6
— 861—865	iambici octonarii;	
— 866—895	iambici senarii;	
— 896—928	trochaici septenarii;	
— 929—957	iambici octonarii;	
— 958—981	trochaici septenarii.	

II. HEAVTON TIMORVMENOS.

V. 1—174	iambici senarii;	prol.; act. I sc. 1
— 175	trochaicus octonarius;	act. I sc. 2. 3; II sc. 1 (vul. I sc. 2; II sc. 1. 2) (in initio I sc. 2 canticum est mut. mod.)
— 176	trochaicus septenarius;	
— 177	trochaicus octonarius;	
— 178	trochaicus quaternarius catal.;	
— 179. 180	trochaici septenarii;	
— 181—186	iambici octonarii;	
— 187	trochaicus septenarius;	
— 188—241	iambici octonarii;	

3 Versus 517 vulgo troch. quaternarius catalecticus est.
4 Versus 860 iambicus octonarius esse potest.

V. 242—256	trochaici septenarii;	
— 257—264	iambici octonarii;	
— 265—311	iambici senarii;	act. II sc. 2 (vul. II sc. 3)
— 312—339	trochaici septenarii;	
— 340—380	iambici senarii;	
— 381—397	trochaici septenarii;	act. II sc. 3 (vul. II sc. 4); III sc. 1. 2.
— 398—404	iambici octonarii;	
— 405—561	iambici senarii;	
— 562. 563	trochaici octonarii;	
— 564	trochaicus septenarius;	
— 565	iambicus octonarius;	
— 566	iambicus quaternarius;	
— 567—569	trochaici octonarii;	
— 570	trochaicus septenarius;	
— 571	iambicus octonarius;	
— 572	trochaicus octonarius;	
— 573	trochaicus septenarius;	act. III sc. 3 (in initio canticum est mut. mod.)
— 574	trochaicus octonarius;	
— 575	trochaicus septenarius;	
— 576—578	iambici octonarii;	
— 579	trochaicus septenarius;	
— 580—582	trochaici octonarii;	
— 583. 584	trochaici septenarii;	
— 585—588	iambici octonarii;	
— 589. 590	iambici senarii;	
— 591—613	trochaici septenarii;	
— 614—622	iambici octonarii;	act. III sc. 4 (vul. IV sc. 1)
— 623—667	trochaici septenarii;	
— 668—678	iambici octonarii;	act. III sc. 5 (vul. IV sc. 2)
— 679—707	iambici septenarii;	
[— 708	iambicus senarius;]	act. III sc. 6 (vul. IV sc. 3)
— 709—722	trochaici septenarii;	
— 723—748	iambici septenarii;	act. III sc. 7 (vul. IV sc. 4)
— 749—873	iambici senarii;	act. IV sc. 1—4 (vul. IV sc. 5—8)
— 874—907	trochaici septenarii;	
— 908—939	iambici senarii;	
— 940—979	trochaici septenarii;	act. V sc. 1. 2
— 980—999	iambici octonarii;	
— 1000—1002	iambici septenarii;	
— 1003	iambicus octonarius;	
— 1004	iambicus quaternarius;	
— 1005	iambicus octonarius;	
— 1006	trochaicus septenarius (?);	act. V sc. 3—5 (in initio sc. 3 canticum est mut. mod.)
— 1007—1012	iambici octonarii;	
— 1013—1016	trochaici septenarii;	
— 1017.1018,20	iambici octonarii;	
[— 1019	iambicus quaternarius (?);]	
— 1020—1067	trochaici septenarii.	

III. EVNVCHVS.

V. 1—206	iambici senarii;	prol.; act. I sc. 1. 2
— 207	trochaicus octonarius;	
— 208	trochaicus septenarius;	
— 209	iambicus quaternarius;	
— 210. 211	trochaici septenarii;	
— 212	iambicus octonarius;	
— 213	iambicus quaternarius;	act. II sc. 1. 2 (in initio sc. 1
— 214	trochaicus septenarius;	canticum est mut. mod.)
— 215	iambicus quaternarius;	
— 216. 217	trochaici octonarii;	
— 218	trochaicus septenarius;	
— 219—223	iambici octonarii;	
— 224—254	trochaici septenarii;	
— 255—291	iambici septenarii;	
— 292	trochaicus binarius catal.;	
— 293—297	iambici octonarii;	
— 298	trochaicus septenarius;	
— 299	iambicus quaternarius;	
— 300	iambicus senarius;	
— 301	iambicus quaternarius;	
— 302. 303	iambici octonarii;	
— 304	trochaicus octonarius;	act. II sc. 3 (in initio canticum
— 305	trochaicus septenarius;	est mut. mod.)
— 306	iambicus quaternarius;	
— 307—319	iambici octonarii;	
— 320	iambicus senarius;	
— 321. 322	iambici septenarii;	
— 323—351	iambici senarii;	
— 352—366	trochaici septenarii;	
— 367—390	iambici octonarii;	
— 391—538	iambici senarii;	act. III sc. 1—3
— 539—548	iambici septenarii;	act. III sc. 4
— 549. 550	trochaici septenarii;	
— 551. 552	iambici septenarii;	
— 553—556	iambici octonarii;	
— 557	iambicus septenarius;	act. III sc. 5 (in initio canticum
— 558. 559	trochaici octonarii;	est mut. mod.)
— 560	trochaicus septenarius (?);	
— 561	iambicus septenarius;	
— 562—591	iambici octonarii;	
— 592—614	iambici septenarii;	
— 615	trochaicus octonarius;	
— 616	trochaicus septenarius;	
— 617	iambicus octonarius;	act. IV sc. 1 (in initio canticum
— 618—620	trochaici octonarii;	est mut. mod.)
— 621	trochaicus septenarius;	
— 622	iambicus octonarius;	
— 623—628	trochaici septenarii;	
— 629—642	iambici senarii;	act. IV sc. 2

V. 643. 644	trochaici octonarii;	
— 645	trochaicus septenarius;	
— 646	iambicus octonarius;	
— 647	iambicus quaternarius;	
— 648	iambicus octonarius;	
— 649	trochaicus septenarius;	
— 650. 651	iambici octonarii;	act. IV sc. 3 (in initio
— 652	iambicus quaternarius;	canticum est mut. mod.)
— 653	iambicus octonarius;	
— 654	trochaicus octonarius;	
— 655	trochaicus septenarius;	
— 656. 657	iambici octonarii;	
— 658	iambicus senarius;	
— 659—667	iambici octonarii;	
— 668—702	iambici senarii;	act. IV sc. 4
— 703—726	trochaici septenarii;	
— 727—737	iambici octonarii;	act. IV sc. 5
— 738	iambicus senarius;	
— 739—746	trochaici octonarii;	
— 747	trochaicus quaternarius catal.;	
— 748	trochaicus octonarius;	
— 749	trochaicus septenarius;	act. IV sc. 6 (in initio
— 750	iambicus octonarius;	canticum est mut. mod.)
— 751. 752	trochaici septenarii;	
— 753. 754	iambici septenarii;	
— 755—770	trochaici septenarii;	
— 771—788	iambici octonarii[5];	act. IV sc. 7
— 789—816	trochaici octonarii;	
— 817—942	iambici senarii;	act. V sc. 1—4
— 943—970	trochaici septenarii;	
— 971—1001	iambici senarii;	act. V sc. 5
— 1002—1024	iambici septenarii;	act. V sc. 6
— 1025—1031	trochaici septenarii;	act. V sc. 7. 8
— 1032—1049	iambici octonarii;	
— 1050—1094	trochaici septenarii.	act. V sc. 9 (vul. sc. 8 contin.)

IV. PHORMIO.

V. 1—152	iambici senarii;	prol.; act. I sc. 1. 2
— 153. 154	trochaici octonarii;	
— 155	trochaicus septenarius;	
— 156	iambicus octonarius;	
— 157	trochaicus octonarius;	act. II sc. 1 (vul. I sc. 3) (in initio
— 158. 159	trochaici septenarii;	canticum est mut. mod.)
— 160—162	iambici octonarii;	
— 163	iambicus quaternarius;	
— 164—176	iambici octonarii;	
— 177. 178	iambici septenarii;	

5 Versus 788 trochaicus septenarius esse potest.

V. 179	trochaicus octonarius;	act. II sc. 2 (vul. I sc. 4) (in initio canticum est mut. mod.)
— 180.	trochaicus septenarius;	
— 181. 182	iambici octonarii;	
— 183	iambicus quaternarius;	
— 184	iambicus octonarius;	
— 185	trochaicus septenarius;	
— 186	iambicus octonarius;	
— 187. 188	trochaici octonarii;	
— 189. 190	trochaici septenarii;	
— 191	iambicus quaternarius;	
— 192—194 (cum 195)	iambici octonarii[6];	
— 196—215	trochaici septenarii;	
— 216—230	iambici senarii;	
— 231. 232	trochaici septenarii;	act. II sc. 3 (vul. II sc. 1)
— 233—251	iambici octonarii;	
— 252. 253	trochaici septenarii;	
— 254—314	iambici senarii;	
— 315—347	trochaici septenarii;	act. III sc. 1 (vul. II sc. 2)
— 348—464	iambici senarii;	act. III sc. 2. 3 (vul. II sc. 3. 4)
— 465—468	trochaici octonarii;	act. III sc. 4 (vul. III sc. 1) (canticum est mut. mod.)
— 469. 470	trochaici septenarii;	
— 471—478	iambici octonarii;	
— 479. 480	trochaici octonarii;	
— 481. 482	trochaici septenarii;	
— 483	iambicus octonarius;	
— 484	trochaicus septenarius;	
— 485	trochaicus binarius catal.;	act. III sc. 5. 6 (vul. III sc. 2. 3) (in initio sc. 5 [vul. sc. 2] canticum est mut. mod.)
— 486	iambicus octonarius;	
— 487—489	trochaici septenarii;	
— 490	iambicus octonarius;	
— 491	iambicus septenarius;	
— 492	iambicus octonarius;	
— 493—495	trochaici septenarii;	
— 496	iambicus octonarius;	
— 497—501	trochaici septenarii;	
— 502. 503	iambici octonarii;	
— 504—566	trochaici septenarii;	
— 567—712	iambici senarii;	act. IV sc. 1—4
— 713—727	iambici octonarii;	act. IV sc. 5
— 728	trochaicus octonarius;	act. IV sc. 6; V sc. 1. 2 (vul. V sc. 1—3 dim.) (in initio IV sc. 6 [vul. V sc. 1] canticum est mut. mod.)
— 729	trochaicus quaternarius catal.;	
— 730. 731	trochaici octonarii;	
— 732	trochaicus septenarius;	
— 733. 734	iambici octonarii;	
— 735—738	trochaici octonarii;	
— 739—741	trochaici septenarii;	
— 742—747	iambici octonarii;	
— 748—794	iambici septenarii;	
— 795—819	iambici octonarii;	act. V sc. 3 (vul. sc. 3 dim.)
— 820—827	iambici septenarii;	act. V sc. 4
[— 828	iambicus octonarius (?);]	

6 Versus 194 et 195 hic in unum octonarium iamb. contracti vulgo trochaicus octonarius et troch. binarius catal. sunt.

V. 829—840	iambici octonarii;	act. V sc. 5
— 841—883	trochaici septenarii;	act. V sc. 6
— 884—1010	iambici senarii;	act. V sc. 7—9
— 1011—1055	trochaici septenarii.	

V. HECYRA.

V. 1—197	iambici senarii;	prol. I. II; act. I sc. 1. 2
— 198—204	iambici octonarii;	act. II sc. 1
— 205. 206	iambici senarii;	
— 207—216	iambici octonarii;	
— 217—242	trochaici septenarii;	
— 243—273	iambici septenarii;	act. II sc. 2
— 274—280	trochaici septenarii;	act. II sc. 3
— 281	trochaicus octonarius;	act. III sc. 1 (in initio canticum est mut. mod.)
— 282. 283	trochaici septenarii;	
— 284	trochaicus octonarius;	
— 285—288	trochaici septenarii;	
— 289—291	trochaici octonarii;	
— 292	trochaicus septenarius;	
— 293—324	iambici octonarii;	
— 325. 326	iambici septenarii;	
— 327—335	iambici senarii;	
— 336—360	iambici septenarii;	act. III sc. 2
— 361—408	trochaici septenarii;	act. III sc. 3. 4
— 409—450	iambici senarii;	
— 451—484	trochaici septenarii;	act. III sc. 5
— 485—515	iambici senarii;	
— 516. 517	trochaici octonarii;	act. III sc. 6; IV sc. 1 (vul. IV sc. 1. 2) (in initio III sc. 6 [vul. IV sc. 1] canticum est mut. mod.)
— 518	trochaicus septenarius;	
— 519	trochaicus octonarius;	
— 520	trochaicus quaternarius catal.;	
— 521	iambicus octonarius;	
— 522	trochaicus septenarius;	
— 523	iambicus septenarius;	
— 524	trochaicus octonarius;	
— 525	trochaicus septenarius;	
— 526. 527	trochaici octonarii;	
— 528	trochaicus septenarius;	
— 529	trochaicus octonarius;	
— 530. 531	trochaici septenarii;	
— 532—534	trochaici octonarii;	
— 535—543	trochaici septenarii;	
— 544—546	iambici octonarii;	
— 547—565	trochaici septenarii;	
— 566—606	iambici octonarii;	

V. 607	iambicus septenarius;	act. IV sc. 2 (vul. sc. 3) (canticum est mut. mod.)
— 608(?)–610	trochaici septenarii;	
— 611	iambicus octonarius(?);	
— 612	iambicus senarius;	
— 613	trochaicus octonarius;	
— 614	trochaicus septenarius;	
— 615	trochaicus octonarius;	
— 616	trochaicus septenarius;	
— 617	iambicus octonarius;	
— 618—620	trochaici septenarii;	
— 621	iambicus quaternarius;	
— 622	iambicus septenarius;	
— 623—726	iambici senarii;	act. IV sc. 3 (vul. sc. 4)
— 727—730	iambici octonarii;	act. IV sc. 4 (vul. V sc. 1)
— 731	iambicus quaternarius catal.;	
— 732—742	iambici septenarii;	
— 743—767	trochaici septenarii[7];	
— 768—798	iambici septenarii;	act. IV sc. 5 (vul. V sc. 2)
— 799—815	trochaici septenarii;	act. V sc. 1 (vul. V sc. 3)
— 816—840	iambici septenarii;	act. V sc. 2 (vul. V sc. 3)
— 841	trochaicus octonarius;	act. V sc. 3 (vul. sc. 4) (in initio canticum est mut. mod.)
— 842—846	trochaici septenarii;	
— 847	trochaicus octonarius;	
— 848. 849	trochaici septenarii;	
— 850	trochaicus quaternarius catal.;	
— 851. 852	trochaici septenarii;	
— 853	iambicus octonarius;	
— 854—858	iambici senarii;	
— 859—868	iambici octonarii;	
— 869—880	trochaici septenarii[8].	

VI. ADELPHOE.

V. 1—154	iambici senarii;	prol.; act. I sc. 1. 2
— 155—157	trochaici octonarii;	act. II sc. 1 (in initio canticum est mut. mod.)
— 158	trochaicus quaternarius catal.;	
— 159	iambicus octonarius;	
— 160	trochaicus octonarius;	
— 161	trochaicus septenarius;	
— 162	trochaicus octonarius;	
— 163. 164	trochaici septenarii;	
— 165	trochaicus octonarius;	
— 166—169	trochaici septenarii;	
— 170—196	iambici octonarii;	
— 197—208	trochaici septenarii;	
— 209	iambicus septenarius;	act. II sc. 2
— 210—227	iambici octonarii;	
— 228—253	iambici senarii;	

7 De metro v. 743—747 dubitatur.
8 Item de metro v. 875—878.

V. 254—287	iambici octonarii;	act. II sc. 3. 4
— 288	trochaicus septenarius;	
— 289—291	iambici octonarii;	
— 292. 293	trochaici septenarii;	act. III sc. 1 (canticum est mut. mod.)
— 294	iambicus octonarius;	
— 295—298	trochaici septenarii;	
— 299—302	iambici octonarii;	
— 303. 304	trochaici septenarii;	
— 305—308	iambici octonarii;	
— 309	trochaicus septenarius(?);	
— 310—316	iambici octonarii;	act. III sc. 2 (in initio canticum est mut. mod.)
— 317	iambicus quaternarius;	
— 318. 319	trochaici septenarii;	
— 320	iambicus octonarius;	
— 321—329	trochaici septenarii;	
— 330—354	iambici octonarii[9];	
— 355—516	iambici senarii;	act. III sc. 3. 4. 5
— 517	trochaicus octonarius;	
— 518	trochaicus septenarius;	
— 519—522	iambici octonarii;	
— 523	trochaicus octonarius(?);	act. IV sc. 1 (in initio canticum est mut. mod.)
— 524	trochaicus quaternarius catal. (?);	
— 525	trochaicus octonarius;	
— 526	trochaicus septenarius;	
— 527—539	iambici octonarii;	
— 540—591	trochaici septenarii;	act. IV sc. 2
— 592—609	iambici octonarii;	act. IV sc. 3
— 610a	iambicus ternarius catal. (?);	
— 610b	iambicus quaternarius cum iambico quaternario catal. syncop. (versus Reizianus);	
— 611. 612(?)	choriambici trimetri cum iambico binario catal. (?);	
— 613	choriambicus trimeter cum trochaico binario(?);	
— 614	iambicus senarius (?);	act. IV sc. 4. 5 (in initio sc. 4 canticum est mut. mod.)
— 615	iambicus quaternarius catal. (?);	
— 616	trochaicus quaternarius catal. (?);	
— 617	trochaicus octonarius;	
— 618	trochaicus septenarius;	
— 619—624	iambici octonarii;	
— 625—637	trochaici septenarii;	
— 638—678	iambici senarii;	
— 679—706	trochaici septenarii;	
— 707—712	iambici septenarii[10];	
— 713—854	iambici senarii;	act. IV sc. 6—10 (vul. IV sc. 6. 7; V sc. 1—3)
— 855—881	trochaici septenarii;	act. V sc. 1 (vul. V sc. 4)
— 882—933	iambici senarii;	act. V sc. 2—6 (vul. V sc. 5—9)
— 934—955	iambici octonarii;	
— 956—997	trochaici septenarii[11].	

9 Dubitatur de metro v. 332 et 333.
10 Versus 712 in cod. octonarius iambicus est.
11 De metro v. 956—958 dubitatur.

INDEX I.

NOMINA PROPRIA.

1 Asterisco ei loci notantur, quibus scriptura coniecturae non prorsus certae debetur; interrogandi autem signum ibi appono, ubi tradita lectio suspecta esse videtur.

INDEX II.

RES MEMORABILES.

GRIECHISCHE UND RÖMISCHE CLASSIKER.

OCTOBER 1892.

PLUTARCHI vitae inter se comparatae. Edidit IMM. BEKKER.

Octavausgabe. 5 Voll. ℳ 8.40.

Vol. 1. ℳ 1,80. — Vol. 2. ℳ 2,10.
Vol. 3. ℳ 1,50. — Vol. 4. ℳ 1,50.
Vol. 5. ℳ 1,50.

Daraus einzeln:

1. Theseus et Romulus, Lycurgus et Numa. Solon et Poplicola. ℳ 0,90.
2. Themistocles et Camillus, Pericles et Fabius Maximus. Alcibiades et Coriolanus. ℳ 0.90.
3. Timoleon et Aemilius Paulus, Pelopidas et Marcellus, Aristides et Cato, Philopoemen et Flaminius. ℳ 1,20.
4. Pyrrhus et Marius, Lysander et Sulla, Cimon et Lucullus. ℳ 1,20.
5. Nicias et Crassus, Sertorius et Eumenes, Agesilaus et Pompeius. ℳ 1,20.
6. Alexander et Caesar. ℳ 0,75.
7. Phocion et Cato minor, Agis et Cleomenes, Tib. et C. Gracchi. ℳ 0,90.
8. Demosthenes et Cicero, Demetrius et Antonius. ℳ 0,90.
9. Dio et Brutus, Artaxerxes et Aratus, Galba et Otho. ℳ 0,90.

Taschenausgabe. 5 Voll. ℳ 7,80.

Vol. 1. ℳ 1,50. — Vol. 2. ℳ 1,80.
Vol. 3. ℳ 1,50. — Vol. 4. ℳ 1,50.
Vol. 5. ℳ 1,50.

Prachtausgabe. 5 Voll. ℳ 21,00.

Vol. 1. ℳ 4,50. — Vol. 2. ℳ 5,25.
Vol. 3. ℳ 3,75. — Vol. 4. ℳ 3,75.
Vol. 5. ℳ 3,75.

SOPHOCLIS tragoediae. Edidit THEODORUS BERGK.

Octavausgabe. ℳ 1.50.

Jede Tragoedie einzeln ℳ 0,30.

Taschenausgabe. ℳ 1,35.

Jede Tragoedie einzeln ℳ 0,30.

Prachtausgabe. ℳ 4,50.

THUCYDIDIS historia belli peloponnesiaci. Edidit J. M. STAHL.

Octavausgabe. 2 Voll. ℳ 2,40.

Vol. 1. ℳ 1,20. — Vol. 2. ℳ 1.20.

Prachtausgabe. 2 Voll. ℳ 6.00.

Vol. 1. ℳ 3,00. — Vol. 2. ℳ 3,00.

XENOPHONTIS opera. Edidit GUSTAVUS SAUPPE.

Octavausgabe. 5 Voll. ℳ 3.90.

Vol. 1. Cyropaedia. ℳ 0,90.
Vol. 2. Anabasis. ℳ 0,75.
Vol. 3. Commentarii. Apologia Socratis. ℳ 0.45.
Vol. 4. Historia Graeca. ℳ 0.90.
Vol. 5. Scripta minora. ℳ 0.90.

Taschenausgabe. 5 Voll. ℳ 3.75.

Vol. 1. ℳ 0,90. — Vol. 2. ℳ 0,75.
Vol. 3. ℳ 0,45. — Vol. 4. ℳ 0,75.
Vol. 5 ℳ 0,90.

Prachtausgabe. 5 Voll. ℳ 9 75.

Vol. 1. ℳ 2,25. — Vol. 2. ℳ 1,80.
Vol. 3. ℳ 1,20. — Vol. 4. ℳ 2,25.
Vol. 5. ℳ 2,25.

C. IULII CAESARIS commentarii cum supplementis A. Hirtii et aliorum. Edidit F. KRANER.

Octavausgabe. ℳ 1.50.

Daraus einzeln:

De bello Gallico. ℳ 0,75.
De bello Civili. ℳ 0,60.

Taschenausgabe. ℳ 1,35.

Daraus einzeln:

De bello Gallico. ℳ 0,75.
De bello civili. ℳ 0,45.

Prachtausgabe. ℳ 4 50.

C. VALERI CATULLI VERONENSIS carmina B. SCHMIDT recognovit.

Editio maior. ℳ 4.00.

Editio minor. ℳ 0,60.

M. TULLII CICERONIS opera quae supersunt omnia ediderunt J. G. BAITER et C. L. KAYSER.

Octavausgabe. 11 Voll. ℳ 21.75.

Vol. 1. ℳ 1,35. — Vol. 2. ℳ 2,10.
Vol. 3. ℳ 2.10. — Vol. 4. ℳ 2.10.
Vol. 5. ℳ 2,10. — Vol. 6. ℳ 2,10.
Vol. 7. ℳ 1,80. — Vol. 8. ℳ 1,80.
Vol. 9. ℳ 2,10. — Vol. 10. ℳ 2,10.
Vol. 11. ℳ 2,10.

Daraus einzeln:

1. Rhetorica ad Herennium. ℳ 0,75.
2. De inventione. ℳ 0,75.
3. De oratore. ℳ 1,00.
4. Brutus. ℳ 0,60.
5. Orator. ℳ 0,45.
6. De optimo genere oratorum. Partitiones oratoriae. Topica. ℳ 0,45.
7. Orationes pro P. Quinctio, pro Sex. Roscio Amerino, pro Q. Roscio Comoedo. ℳ 0,60.
8. Divinatio in Q. Caecilium, actio in C. Verrem prima. ℳ 0,45.
9. Actionis in C. Verrem secundae sive accusationis libri I—V. ℳ 1,35.
10. Orationes pro M. Tullio, pro M. Fonteio, pro A. Caecina, de imperio Cn. Pompeii (pro lege Manilia). ℳ 0,45.
11. Orationes pro A. Cluentio Habito, de lege agraria tres, pro C. Rabirio perduellionis reo. ℳ 0,75.
12. Orationes in L. Catilinam quattuor, pro L. Murena, pro L. Flacco. ℳ 0,60.
13. Orationes pro P. Sulla, pro A. Licinio Archia poeta. ℳ 0,45.
14. Orationes post reditum in senatu et post reditum ad Quirites habitae, de domo sua, de haruspicum responso. ℳ 0,60.
15. Orationes pro P. Sestio, in P. Vatinium, pro M. Caelio. ℳ 0,60.
16. Orationes de provinciis consularibus, pro L. Cornelio Balbo, in L. Calpurnium Pisonem, pro Cn. Plancio, pro M. Aemilio Scauro, pro C. Rabirio Postumo. ℳ 0,60.
17. Orationes pro T. Annio Milone, pro M. Marcello, pro Q. Ligario, pro rege Deiotaro. ℳ 0,45.
18. Orationes in M. Antonium Philippicae XIV. ℳ 0,90.

Fortsetzung auf der vierten Seite dieses Umschlages.

19. Academica. *M* 0,60.
20. De finibus bonorum et malorum. *M* 0,90.
21. Tusculanae disputationes. *M* 0,75.
22. De deorum natura ad M. Brutum libri tres. *M* 0,60.
23. De divinatione libri duo, de fato liber. *M* 0,60.
24. Cato major de senectute, Laelius de amicitia. *M* 0,45.
25. De officiis ad Marcum filium libri tres, paradoxa Stoicorum ad M. Brutum, Timaeus. *M* 0,60.
26. De re publica sex librorum reliquiae. *M* 0,60.
27. De legibus libri tres. *M* 0,60.
28. Epistolarum ad familiares libri I—IV. *M* 0,60.
29. Epist. ad familiares lib. V—VIII. *M* 0,60.
30. Epist. ad familiares lib. IX—XII. *M* 0,60.
31. Epist. ad familiares lib. XIII-XVI. *M* 0,60.
32. M. Tullii Ciceronis epistolae ad Q. fratrem, Q. Ciceronis de petitione consulatus ad M. fratrem liber. *M* 0,45.
33. Epist. ad Atticum libri I—IV. *M* 0,60.
34. Epist. ad Atticum libri V—VIII. *M* 0,60.
35. Epist. ad Atticum libri IX—XII. *M* 0,60.
36. Epist. ad Atticum lib. XIII—XVI. *M* 0,60.
37. Epist. ad Brutum libri duo et epistola ad Octavianum. *M* 0,60.

Prachtausgabe. 11 Voll. *M* 46,50.
Vol. 1. *M* 3,00. — Vol. 2. *M* 4,50.
Vol. 3. *M* 4,50. — Vol. 4. *M* 4,50.
Vol. 5. *M* 4,50. — Vol. 6. *M* 4,50.
Vol. 7. *M* 3,75. — Vol. 8. *M* 3.75.
Vol. 9. *M* 4,50. — Vol. 10. *M* 4,50.
Vol. 11. *M* 4,50.

CORNELII NEPOTIS vitae et fragmenta. Edidit G. Aen. Koch.
Octavausgabe. *M* 0,45.
Daraus einzeln: Vitae. *M* 0,30.
Taschenausgabe. *M* 0,30.
Prachtausgabe. *M* 1,20.

Q. HORATII FLACCI opera omnia. Edidit Godofredus Stallbaum.
Octavausgabe. *M* 1,00.
Taschenausgabe. *M* 0,75.
Prachtausgabe. *M* 3,00.

D. IUNII IUVENALIS saturae. Edidit O. Ribbeck.
Octavausgabe. *M* 0,45.
Taschenausgabe. *M* 0,45.
Prachtausgabe. *M* 1,20.

TITI LIVI ab urbe condita libri. Edidit Martinus Hertz.
Octavausgabe. 4 Voll. *M* 7.00.
Vol. 1. Pars 1. *M* 1,00. Pars 2. *M* 1,00.
Vol. 2. Pars 1. *M* 1,00. Pars 2. *M* 1,00.
Vol. 3. Pars 1. *M* 0,75. Pars 2. *M* 0,75.
Vol. 4. Pars 1. *M* 0,75. Pars 2. *M* 0,75.
Taschenausgabe. 4 Voll. *M* 5.70.
Vol. 1. Pars 1. *M* 0,90. Pars 2. *M* 0,75.
Vol. 2. Pars 1. *M* 0,75. Pars 2. *M* 0,75.
Vol. 3. Pars 1. *M* 0,60. Pars 2. *M* 0,75.
Vol. 4. Pars 1. *M* 0,60. Pars 2. *M* 0,60.
Prachtausgabe. 4 Voll. *M* 23,55.
Vol. 1. *M* 6,75. — Vol. 2. *M* 6,75.
Vol. 3. *M* 5,25. — Vol. 4. *M* 4,80.

P. OVIDII NASONIS carmina. Ed. Alexander Riese.
Octavausgabe. 3 Voll. *M* 2,90.
Vol. 1. *M* 1,00. — Vol. 2. *M* 0,90.
Vol. 3. *M* 1,00.
Prachtausgabe. 3 Voll. *M* 8,40.
Vol. 1. *M* 2,70. — Vol. 2. *M* 2,70.
Vol. 3. *M* 3,00.

PHAEDRI, AUGUSTI LIBERTI, fabulae Aesopiae. Ed. A. Riese.
Octavausgabe. *M* 0,45.

G. SALUSTI CRISPI operum reliquiae. Edidit F. D. Gerlach.
Octavausgabe. *M* 0,75.
Daraus einzeln:
Catilina et Iugurtha. *M* 0,45.
Taschenausgabe. *M* 0,60.
Daraus einzeln:
Catilina et Iugurtha. *M* 0,45.
Prachtausgabe. *M* 2,25.

CORNELII TACITI opera. Edidit Fr. Haase.
Octavausgabe. 2 Voll. *M* 2,40.
Vol. 1. *M* 1,20. — Vol. 2. *M* 1,20.
Daraus einzeln:
Germania, Agricola, Dialogus de oratoribus. *M* 0,45.
Taschenausgabe. 2 Voll. *M* 2,10.
Vol. 1. *M* 1,5. — Vol. 2. *M* 1,5.
Prachtausgabe. 2 Voll. *M* 7,50.
Vol. 1. *M* 3,75. — Vol. 2. *M* 3,75.

P. TERENTI AFRI comoediae. Recensuit Carolus Dziatzko.
Octavausgabe. *M* 1,20.

ALBII TIBULLI elegiae cum carminibus Pseudotibullianis. Ed. Eduardus Hiller.
Octavausgabe. *M* 0,60.

P. VERGILI MARONIS carmina. Edidit Georgius Thilo.
Octavausgabe. *M* 1,50.
Daraus einzeln:
Bucolica et Georgica. *M* 0,45. Aeneis. *M* 0,90.

P. VERGILII MARONIS opera. Edidit Herm. Paldamus.
Octavausgabe. *M* 1,35.
Daraus einzeln:
Bucolica et Georgica. *M* 0,45. Aeneis. *M* 0,90.
Taschenausgabe. *M* 1,20.
Daraus einzeln:
Bucolica et Georgica. *M* 0,30. Aeneis. *M* 0,75.
Prachtausgabe. *M* 4,50.